

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XIII
H
4
NAPOLI

SANCTI
CAROLI
BORROMEI
HOMILIÆ.

TOMUS PRIMUS.






NAPOLI



2

S. CAROLI
BORROMEI
S. R. E. CARDINALIS
ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI
HOMILIÆ

NUNC PRIMUM E MSS. CODICIBUS BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ
IN LUCEM PRODUCTÆ

JOSEPH ANTONII SAXII
PRÆFATIONE, ET ANNOTATIONIBUS
ILLUSTRATÆ.

TOMUS PRIMUS.





MEDIOLANI MDCCXLVII.
EX TYPOGRAPHIA BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ
APUD JOSEPH MARELLUM
SUPERIORUM FACULTATE AC PRIVILEGIO.

Inscript. Catalogo Biblioth. Coll. Med. S. J. An. 1760.





SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI MAXIMO

VITALIANUS BORROMEUS
ET RELIQUI AMBROSIANÆ BIBLIOTHECÆ PRÆSIDES.



ON sine peculiari divinæ Sapientiæ consilio factum esse arbitramur, BEATISSIME PATER, ut relicta hæc nobis præclara ingenii animique monumenta, quæ SANCTUS *CAROLUS BORROMEUS,* *admi-*

admirabili flagrans erga Deum et Proximum caritate, vivens ediderat, tamdiu consepulta jacerent, donec, TE in supremo Pontificiæ dignitatis culmine sedente, longævis eruta tenebris in lucem prodirent, ac TVO Solio humillimè adsternerentur. Siquidem cùm excellentia Virtutum glorioso huic sanctissimoque Antistiti simillimum TE reddiderit, et splendidam quamdam imaginem Pastoralis curæ, qua ille Mediolanensi Ovili nullis fractus laboribus adstitit, in paterna erga universum Dominicum gregem laudatissimi TVI regiminis solicitudine expressam suspiciamus, jure ac merito censere possumus, reservatum SANCTITATI TVÆ fuisse hoc decus, ut defossus iste nunc primùm cœlestis Sapientiæ Thesaurus, sub felicibus Nominis TVI auspiciis in publicum proferretur.

Equidem, si altè mentibus nostris impressa recolamus vestigia industriæ ac sudorum, quibus incultam olim hanc Domini vineam invictus ille Præsul florentissimam fecit; perpetuum nempe studium in evolvendis diu noctuque Divinæ Scripturæ, Sanctissimorum Patrum et Conciliorum codicibus; inductum pertinaci labore

in

in Clerum Populumque erga Deum et Cœlites religiosissimum cultum; revocatam denique in mores primævæ Ecclesiæ ac sacrorum Canonum disciplinam: hæc autem omnia cum iis, quæ hactenus a BEATITUDINE TUA præstantissimè gesta sunt, comparemus; procul dubio fateri quisque cogetur, ad totius Christianæ Reipublicæ bonum, turbulentis hisce temporibus, alterum in TE CAROLUM *revixisse.*

Et sanè, quis ignoret, bonarum omnium artium scientiarumque studia TIBI adeò in deliciis quovis tempore extitisse, ut divelli ab iisdem passus sis numquam, totusque adhuc incumbas, licèt gravissimo Apostolicæ Sedis pondere pressus, ad ea identidem excogitanda et conscribenda, quæ communi parandæ populorum felicitati, atque animarum saluti promovendæ excelso animo ac mente prævides profutura? Tanta autem est doctrinæ TUÆ existimatio, ut quidquid e TUO calamo elabitur, ubivis terrarum avidè religioseque excipiatur; et nobili quadam æmulatione Præla et Bibliothecæ in præcipuam honoris sui partem trahant, eruditissimè elaboratis a SANCTITATE TUA Libris ditari. Quamvis, si verum fateri velimus, quæ hucusque lucem vide-

runt,

runt, parva ſtudiorum TVORVM portio vocari queunt; TE ipſo teſtante, in Præfatione ad aureum Opus De Beatificatione et Canonizatione Sanctorum, *ſex magnæ molis volumina facilè complenda fore, ſi, quæ ſparſim prodiere confectæ in laborioſiſſimis a TE peractis Muneribus lucubrationes, in unum colligerentur. Quapropter hac etiam in re non immeritò TE conferre cum S.*CAROLO *valemus, cujus, præter quas edimus Homilias, novem in Ambroſiana Bibliotheca ingentes Codices, propria ejuſdem manu, ad Conciones, Arborum modo, in ſua capita veluti ramos diſtribuendas, exarati aſſervantur.*

Nec minori, quàm Sanctus noſter Antiſtes, animi ardore ſuccenderis, ad Dei obſequium honoremque, non in Catholicis tantùm regionibus, ſed etiam apud barbaras Gentes amplificandum; reſtituendam Altaribus Eccleſiiſque reverentiam; ſummam denique religionem erga Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium (de quo numeris omnibus abſolutum Commentarium typis jamdiu evulgaſti) Sacerdotibus Chriſtique Fidelibus conciliandam. Verùm, ut cetera ſilentio prætereamus, recens oculis obverſatur Pontificium Decretum, quo verendum Cælo,

terris,

terris, inferisque Dei Nomen a blasphemiarum contumeliis vindicare toto studes conatu; atque ad penitus eliminandum a Christianorum labiis pudendum hoc scelus, præscripta a S. CAROLO salutaria remedia præcipis adhiberi. De singulari autem TUA erga Cælites veneratione, cujus egregium specimen jam dedisti; cùm Bononiæ residens, Sanctorum Urbis illius ac Diœcesis Acta et solemnem memoriam, imposterum religiosiùs colendam, plena tractatione illustrasti, vix opus est verba facere; cùm TE videamus continuò intentum expendendis caussis Virorum pietate ac miraculis insignium, qui in osculo Domini vitâ defuncti sunt: Jamque plures illorum sacris Fastis adscripseris; et (quemadmodum frequens fuit ac summopere celebranda S. CAROLI solicitudo) non solùm ex obscuro neglectoque tumulo Aris jamdudum donata Corpora, ad augustiorem cultum recipiendum, in Templa transtuleris; sed Homines Deo acceptissimos novo prorsus cælesti splendore adornaveris, et veluti sacras quasdam Colonias in Ecclesiam traduxeris, ut, multiplicatis apud Divinam Majestatem Patronis, universus Christifidelium Cœtus, in præsentium temporum ærumnis, bellisque undique perstre-

penti-

pentibus, optatum ſolatium ac tranquillitatem feliciùs aſſequeretur.

Supereſt, ut palam fiat, qua ſemper ſedulitate inſudaveris, ut commiſſi TIBI Gregis mores componeres, et antiqua Eccleſiæ diſciplina, quæ luctuosâ negligentiâ apud pleroſque jam decidit, fauſtis TUI regiminis temporibus integra refloreret. Sed nobilem hanc curam, non interruptis umquam vigiliis a TE ſuſceptam perfectamque, abundè docent frequentiſſimæ Paſtorales Literæ ad Bononienſes datæ, quæ ſimul collectæ ac recuſæ quinque hactenus Libros implevere; totque aliæ Conſtitutiones, ac Decreta, paſſim edita in ea, qua nunc fulges, Dignitatis amplitudine, præſertim ob redonandum priſtino decori ac legibus Quadrageſimale jejunium: Hæc enim omnia non modò aſſiduum TUUM in Sacrorum Canonum Sanctorumque Patrum doctrina enucleanda laborem oſtendunt, ſed deſiderium quoque ferventiſſimum a TE conceptum, ut, evulſis tamdem noxiis virgultis dumiſque, Dominicus Ager uberes, ùt olim, juſtitiæ fructus emittat. Neque ambigendum eſt, TE in eodem excolendo, glorioſis vigilantiſſimi hujus Præſulis greſſibus inſtitiſſe, cùm

illu-

illuſtria illius exempla, et ſtatuta in Synodis Provinciæ ac Diœceſis, ſcriptis TUIS non rarò inſerueris.

Itaque nullus dubitationi locus nobis relictus eſt, quin TIBI uni, qui Sanctum Carolum egregia operum imitatione tam proximè attingis, Sermones hoſce ab ipſo prolatos, et quemdam adhuc Paſtoralis caritatis ignem ſpirantes inſcriberemus. Occurrebat quidem in MSS. Ambroſianæ Bibliothecæ Codicibus mentio LAMBERTINÆ Familiæ, quæ materno e latere Mediolanenſi Eccleſiæ ſeculo XV. Archiepiſcopum dedit Franciſcum Pizolpaſſum, *Virum ſanctimonia et Literis clariſſimum; adeoque jure optimo exigi a nobis videbatur, ut ejuſdem Bibliothecæ primitiæ typographicæ non alium ſibi Patronum deligerent, quàm illum, qui eidem Proſapiæ tam illuſtre, atque in hanc etiam Metropolim refluens, addidit ornamentum et decus. Sed cùm virtutum potiùs quàm ſanguinis claritate glorieris, ſolam duximus ſufficere poſſe propinquitatem, quam mentis animique præſtantiâ, cum S. Carolo Mediolanenſi Archiepiſcopo TE contraxiſſe hactenus vidimus, ut huic ejuſdem Operum editioni patrocinium TUUM*

implo-

imploraremus. Id nonnisi gratissimum SANCTITATI TUÆ futurum censemus, cùm de augenda, quæ TIBI summopere cordi est, Divini nominis gloria ac bono Christifidelium, hujusmodi Homiliarum promulgatione, spes non modica concipiatur. Quam ob rem ad pedum oscula procumbentes tenuem hanc obsequii nostri tesseram, cui pretium facit celeberrimum Sancti Antistitis nostri nomen, demissâ fronte exhibemus, Deumque Optimum Maximum, ut TE diu sospitem Religioni Ecclesiæ ac Literis servet, enixis precibus obsecramus.

Mediolani ex Ædibus Bibliothecæ Ambrosianæ
Calendis Aprilis Anni MDCCXLVII.

IN

IN HOMILIAS
S. CAROLI BORROMEI
PRÆFATIO

JOSEPHI ANTONII SAXII
OBLATI, ET AMBROSIANÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTI.



ANCTI CAROLI BORROMEI Cardinalis & Archiepiſcopi Mediolani nomen, celebre reddidere eximius ac propè angelicus morum candor, ſumma in ſacris obeundis laboribus patientia, incredibilis aſperitas vitæ ad omnes rigidioris pœnitentiæ leges exactæ, profuſa erga indigentes caritas, Paſtoralis vigilantia & cura Gregis ſui, ſanctioris diſciplinæ inſtitutis informandi, imperterrita denique in Eccleſiaſticis Juribus propugnandis conſtantia, ac numquam intermiſſa earum Virtutum exercitatio, ob quas, veluti fax ſplendidiſſima ſupra Candelabrum poſita, non tam exemplar & ſpeculum ſacrorum Antiſtitum, ſed etiam miraculum factus, ita refulſit in Templo Dei, ut iiſdem vix ulla ſpes ſuperſit, in altum, quem Ipſe attigit, Paſtoralis diligentiæ ac ſanctimoniæ apicem enitendi. Ne tamen parem ingenii, quo ille plurimùm excellebat, laudem conſequeretur, in cauſſa fuit admiranda ejuſdem animi demiſſio, in id unum intenta, ut ignorantiæ potiùs ſibi velum obtendens, doctrinæ opinionem & præconia refugeret. Teſtem hac in re habemus Cardinalem AUGUSTINUM VALERIUM, qui familiari per plures annos conſuetudine

Sancto huic Archiepiscopo conjunctus, in ejusdem Vita (a) hæc scribit: „ CAROLUS pro suâ modestia inter Doctos numerari semper recusavit, nullam se scientiam tenere dicebat, cùm tamen scientiarum omnium principia, & præcipua etiam Dogmata Theologiæ, & Moralis etiam Philosophiæ optimè teneret, ut nemo de quæstionibus etiam difficillimis majore verborum castimonia loqueretur. Alibi verò (b): „ Si quis eruditionem variam & reconditam in CAROLO Cardinali BORROMEO non animadvertit, aut ejus consuetudine non est usus, aut non consideravit, quæ ipse in medium afferre consueverat. Nihil extra rem, nullum ineptum verbum, nullum, quod cujusquam animum posset offendere, annorum multorum, quibus ejus consuetudine sum usus, spatio, a CAROLO memini esse prolatum. Potuisset, si voluisset, latinè scribere satis eleganter; promptè enim & disertè satis loquebatur latinè: Potuisset etiam hac, quâ utimur, linguâ; sed in scribendo aliorum operâ libentiùs utebatur. Adhibebat tamen semper judicium, quod tantum in corrigendis scriptionibus adhibere erat solitus, ut præstantes ingenio & doctrinâ Viros in admirationem traheret. Hinc autem facilè quisquis intelliget, sponte a modestissimo hoc Antistite quæsitas fuisse latebras, ut a molesta laudum insectatione tutam faceret ingenii sui præstantiam, cùm veluti eloquentiæ inops, alienæ opis se indigum simularet. Non evicit tamen: Quotquot namque de Sancti CAROLI rebus gestis aut Historiam, aut sermonem instituerunt, non modò in dicendo rerum ordinem, partitionem, & insignem quamdam facultatem omnia suis locis rectissimè disponendi, verùm etiam omnimodam scientiarum notitiam commendare ac suspicere debuere. GLUSSIANUS, quo nemo diutius intimiusque cum ipso versatus est, ubi de ejusdem studiis agit (c), affirmare non-dubitat, jure ac meritò Sanctum CAROLUM appellari potuisse *Literatissimum*; atque in hujus tituli testimonium provocat ad ejus Conciones, Epistolas Pastorales, Decreta, & Consilia in arduis pertractandis negotiis, quæ omnia præclarum sapientiæ doctrinæque lumen spirabant: Neque ob id so-

(a) Pag. 50.
(b) Pag. 48.
(c) In Vita, Lib. VIII. Cap. XXIX.

ſolùm, ſed ob reliquas etiam ſcientias, quibus eximiè delectabatur; qua in re familiare ipſius Caroli dictum refert, *parvi faciendum eſſe hominem, qui omnium rerum cognitionem aſſequi non conaretur*. Hoc etiam vocabulo *Literatiſſimi* eumdem exornavit P. Franciscus Panigarola in panegyrica Funebri Oratione (*a*), quam publicè recitavit, dum ſolemnes defuncti Caroli Inferiæ celebrarentur; Siquidem a ſacris inſignibus ejuſdem operibus, ad commendationem Doctrinæ ſermonem convertens, inquit, rem magnam fuiſſe, quòd graviſſimis Apoſtolicæ Sedis, & Eccleſiæ ſuæ oneribus preſſus, numquam ſtudia intermiſerit, diu noctuque illis inſudans uſque ad mortem, tanta felicitate ac proventu feraciſſimi ingenii, ut, niſi ſplendor Virtutum ac magnitudo rerum pro Eccleſia geſtarum cetera Caroli ornamenta quodammodo obruiſſet, ex hac tantùm ſtudiorum ac literarum parte, immortalem apud Poſteros laudem mereretur. Et verè; quis (proſequitur), niſi Literatiſſimus, tam fervido amore proſecutus fuiſſet Literatos Viros? Quis illos benevolentiùs excepit, amplis ſtipendiis aluit, donis ac favoribus cumulavit? Præter Seminaria & Collegia, ac quidquid ſummo impendio in hac Urbe peregit, ut Literæ florerent, ejuſdem erga illas amorem ac cultum teſtantur Libri ab ipſo confecti, quos, cùm non amplius frænum modeſtiæ illius ſentiant, ſpero equidem futurum, ut, ſicuti ego eos vidi, ita in publicum eductos Mundus intueatur, ſimulque intelligat, quàm glorioſam in Carolo æmulationem inſtituiſſent Literæ ſanctæ, & Mores. Hucuſque doctiſſimus ac celeberrimus illius ætatis Orator ſacer Panigarola.

Verùm, ut ſplendidiùs eluceſcat Doctrinæ amplitudo, quæ Carolum inſignivit, opportunum reor ſingillatim recenſere ſcientias & ſtudia, quibus excolendis, inexplebili quodam diſcendi ardore inflammatus, capacem mentem admovit. A primis adoleſcentiæ annis Ticinum delatus, Juriſprudentiæ Canonicæ, & Civili comparandæ operam dedit tam aſſiduo improboque labore, ut, teſte Glussiano, in gravem morbum inciderit, veſtigia ejuſdem ferens uſque ad exitum vitæ. Confirmatus tamen viribus curricu-

(*a*) Edita eſt italica hæc Oratio, poſt Vitam Sancti Caroli, pariter italicam, a Joanne Baptiſta Poſſevino conſcriptam.

lum illud perſequi non deſtitit, metamque attigit, publicè, nec ſine cœleſti ſigno improviſi radii in Aulam irrumpentis, Laureâ decoratus. Romam adiens, mandante Avunculo Summo Pontifice PIO IV., inter obſequia Principum, honorum affluentiam, negotiorum molem, ſuas Literis horas aſſignandas invênit, præclaros ſibi Magiſtros deligens, ſub quibus (inſolito Aulis exemplo) ſe diſcipulum faciens, Philoſophiæ ac Theologiæ ſcientias perdidicit. In hac verò poſtrema tantum profecit, ut Cardinalis FEDERICUS BORROMEUS ejuſdem Patruelis, de illo ſcribere hæc potuerit in Libro *de Sacris Oratoribus* ſui temporis (*a*): „ Erat illa Sancti Paſtoris in „ tractandis Fidei Dogmatibus atque Myſteriis prudentia & reli„ gio, ut cùm ab ineunte ætate nequaquam ille diſputando fuiſſet „ exercitatus in ea Theologiæ parte, quæ nomen habet ex Scho„ la, nihil tamen in eo pateretur excidere ſibi, quod aut reprehen„ ſionem haberet aliquam, aut ullâ poſſet offendere ſuſpicione „ mentes Auditorum; idque jure poſſumus admirari.

In deliciis quoque habuit ſtudium Philoſophiæ, quæ ad mores pertinet, ſibique, præ ceteris Stoicorum Codicibus, familiare fecerat *Enchiridion Epicteti Philoſophi*; ejus autem lectione ita commotum fuiſſe CAROLUM tradit GLUSSIANUS (*b*), ut inde non levem injici animo ſtimulum ſenſerit, Eccleſiaſticam amplectendi vitam, ſpretis nuptiis fortuniſque, quas in divite nobilique ſua Domo eidem offerebat unici Fratris inexpectatus interitus. Magni tamen (ſubdit GLUSSIANUS) CAROLO conſtitit hujus ſcientiæ adeptio; Siquidem obſidione quadam munerum rerumque agendarum in Aula Pontificia cinctus per diem, noctu oculis ſomnum eripere cogebatur, ut illam lucraretur. Ceterùm fructus ex ea ſuaviſſimos cepit, Sermones in hoc Philoſophiæ genere doctiſſimos conficiens ac recitans, quos a ſe auditos teſtatur Scriptor memoratus (*c*).

De amœnioribus ſtudiis, Eloquentiâ præſertim, fidem facit VINCENTIUS LUCHINUS qui M. T. CICERONIS Philippicas, & Orationes pro FRONTEJO, & FLACCO in PISONEM, a GABRIELE FAERNO, magni nominis Viro, emendatas illuſtrataſque, Romanis imprimens

(*a*) Pag. 100.
(*b*) In Vita, Lib. VIII. Cap. XXIX.
(*c*) Ibidem.

mens typis anno MDLXIII. eas nuncupavit Carolo Cardinali Borromeo, hanc potissimùm inter alias caussam enuncians, quòd ille Librorum Ciceronis lectione mirificè delectaretur; & quamvis, quantum de publicis negotiis temporis & ocii dabatur, id omne in optimis Philosophiæ & Theologiæ studiis insumeret, plerumque tamen ad mitiorem Eloquentiæ exercitationem diverteret, in qua tamquam in amœno diversorio libenter conquiescebat. Sed placet Caroli a Basilica-Petri, qui Sancti hujus Archiepiscopi Vitam edidit, verba referre. Ait igitur (*a*): „ Humaniora literarum studia „ coluit; cùmque Viros eruditissimos in eo genere plures apud se „ haberet, ex eis aliisque nobilem instituit Academiam, cujus „ exercitationes, *Noctes* appellavit *Vaticanas*, quoniam publicis ple„ rumque negotiis interdiu occupatus, certas eis dabat ipsius in„ tempestæ noctis horas. Valebant ea studia ad doctrinam morum, „ facultatemque dicendi comparandam, tum memoriam quoque „ exercendam; dum posita quæstione, quæ ad mores pertineret, in „ utramque partem, quàm poterant, ornatè, copiosè, atque ele„ ganter disserebant: Ad animorum verò relaxationem aliquid „ etiam admiscere liberalis joci solebant ac leporis. Ex horum nu„ mero, & ex eis, quos in consultationibus adhibebat, Viri fuerunt „ tum Literis, tum Dignitate clarissimi, qui magno fuerunt, par„ timque adhuc sunt Reipublicæ Christianæ usui atque ornamento, „ ex quibus Episcopi, Cardinales, & ipse quoque Gregorius XIII. „ extitere. Verùm de hisce Noctibus Vaticanis, quæ omnium ore celebrantur, fortasse alibi commodiùs differemus, cùm Ambrosiana Bibliotheca custodiat Orationes aliquas tum a Sancto Carolo, tum ab aliis Academiæ Sociis, in iis Noctibus recitatas, quæ aut ineditæ prorsus sunt, aut si aliquando lucem viderunt, in summam raritatem jam devenêre. Addere necessarium duco, quæ Glussianus scripta reliquit (*b*), Sanctum nempe Carolum delectatum etiam fuisse studio Architectonicæ facultatis. Id certè manifestum faciunt tot Templa, Seminaria, Collegia magnificè ab ipso constructa, & fervor ille, quo e suggestu perorabat in Oppidis Pagisque, dum in iis Episcopalis Visitationis munus implebat, ut Incolæ impellerentur

(*a*) Lib. I. Cap. III. | (*b*) Lib. II. Vitæ Cap. X.

tur ad amplás ornátasque Deo Sacras Ædes erigendas. Unum hoc peculiare in dicti sui fidem referendum censuit Scriptor iste, nimirum tanto in hujusmodi Arte judicio præstitisse CAROLUM, ut Templum Maximum in hac Metropoli exornaturus, Odei partem sibi reservaverit; delineationem ejusdem, miræ pulchritudinis a se ipso inventam disponens.

Ut autem ad rem nostram propiùs accedamus, graviora studia sunt recolenda, quæ aggressus est, cùm Romanæ Aulæ curis tamdem exsolutus, ad hanc sibi creditam Domini Vineam convolavit, ut eam longa sterilitate afflictam, & cœlestium rerum ignorantiâ torpentem excoleret, invictâque patientiâ laborum, ac Concionum frequentiâ, jactis undique Divinæ Sapientiæ & Virtutum seminibus, in Hortum fœcundissimum transformaret. Id autem quanto sudorum ac vigiliarum impendio perfecit? Neque enim imparatus inermisque Miles hanc arenam tentavit. Statim ac Mediolanum attigit, ad sacros Libros sedulò evolvendos totus incubuit: In Prophetis, quos cœlestes Oratores appellat VALERIUS hæc referens (a), diu versatus est, & ex Salomone præcipuos locos decerpsit, qui usui Concionum accommodari facilè possent: Celebriora Sanctorum Patrum Scripta consuluit: Interpretes eos Divinæ Sapientiæ selegit, qui solidiorem sensum amplecterentur: Historiam denique Ecclesiasticam, & Canonum scientiam comparare contendit, ut inde Majorum Instituta & Ritus, optimumque Ecclesiæ administrandæ genus hauriret. Ab hisce verò studiis, quæ primò suscepit (testibus ejusdem Vitæ Scriptoribus) numquam manum removit. Quinimo narrat GLUSSIANUS (b) ad extremam eam diligentiam, curamque studendi pervenisse Sanctum CAROLUM, ut, cùm Diœcesim peragraret, Ecclesias Ovesque suas perlustraturus, secum deferret duas Librorum arcas, in scrinii modum aperiendas, atque ab utroque latere Equo impositas, ut, ubicùmque consisteret, studiis vacaret. Et tamen in hoc vehementi discendi desiderio, nihil votis suis nimium indulsit, solitus dicere, Literas tantum esse amandas, quàntum muneris ratio pateretur, tempusque illud tantummodo ca-

(a) In Vita, pag. 48.

(b) Lib. II. Vitæ Cap. X.

capiendum ſtudiorum, quod commiſſæ adminiſtrationis neceſſitas relinqueret. Itaque ad nobilem hanc aviditatem explendam opus fuit eidem, intempeſtas nocti horas furari, ne Paſtoralis ſolicitudo, & expedienda ampliſſimi regiminis ſui negotia quidquam caperent detrimenti. Neque verò modicum temporis ſpatium erat, quod vigiliæ abſumebant. Refert ibidem GLUSSIANUS, ſub extremos vitæ annos, inſumptas paſſim ab ipſo fuiſſe horas ſex in ſtudiis, antequam ad Miſſæ Sacrificium celebrandum accederet; POSSEVINUS autem (*a*) comitem ſe illi adſtitiſſe in ſcribendo legendoque uſque ad ſeptem, atque etiam horas octo teſtatur. Quæ omnia teſtimonio ſuo confirmat Cardinalis FEDERICUS BORROMEUS, in laudato *de ſacris Oratoribus* Libro (*b*): Siquidem indefeſſi laboris exemplar eo in munere Poſteris indicaturus, compendiò hæc ſcribit: „ Ætas noſtra Sanctum CAROLUM habuit concionantem „ tanto ſtudio, tantàque curà, ut commentando & legendo, „ nocturna tempora diebus jungeret. Neque Domeſticis tantùm, aut in hac Urbe degentibus compertum hoc erat; longinquas etiam regiones aſſidui in ſtudio laboris, quo Sanctus CAROLUS detinebatur, fama pervaſerat: quamobrem Cardinalis Sancti GEORGII, Protector Clericorum Regularium Congregationis Sancti PAULI, cùm intereſſe minimè poſſet Comitiis habendis pro reformatione Conſtitutionum memoratæ Congregationis, atque ideo per literas rogaſſet Sanctum CAROLUM nomine Summi Pontificis GREGORII XIII., ut hanc provinciam ſuſciperet, his verbis Epiſtolam ſuam clauſit „ Moleſtum eidem eſſe non debere, pro tan„ tæ caritatis negotio, paucorum dierum intervallo ſtudia ſua, „ & reliquas Eccleſiæ Mediolanenſis curas abrumpere. „ Edita eſt hæc Epiſtola inter alias ADRIANI POLITI, qui a Secretis erat Card. Sancti GEORGII, Venetiis Anno MDCXXIV.

Quamvis, etſi omnes Hiſtoriæ, coævique Teſtes ſilerent, unum illud aureum, ac per cunctas Europæ Provincias celebratiſſimum Opus, quod *Acta Mediolanenſis Eccleſiæ* inſcribitur, ſatis foret, ad palàm faciendum omnibus, quot ſtudia, quot vigilias exhaurire debuerint tot ab ipſo elaboratæ promulgatæque Admonitiones

(*a*) In prævia ad Sancti CAROLI Vitam Epiſtola. | (*b*) Pag. 24.

nes ad Populum, ad Patres-Familias, ad Animarum Pastores, ad Clerum; tot conditæ Regulæ pro Oblatis, Monialibus, Virginibus, Matronis; tot instituti Sacri Cœtus, Seminaria, Collegia; tot denique absoluta Provincialia Concilia, Synodique Diœcesanæ, tanto Doctrinæ, Prudentiæ, & Pietatis ubique elucentium splendore, ut in miraculum trahi possit, tot variis rebus excogitandis, digerendis, perficiendisque unum CAROLUM sufficisse. Et tamen, ac si modica ea fuissent, quæ in prælaudatum Volumen ipso vivente congesta sunt & typis impressa, (curante GALESINIO, anno MDLXXXIII.) ac postmodum, eo in Cœlum evocato, insignibus additamentis recusa, quamplures alios ingenii sui & calami egregios fœtus edidit CAROLUS, non tam luce, quàm auro & cedro dignissimos. Cardinalis VALERIUS in ejusdem Vita (a) sic loquitur: „ Innumerabiles Synopses, sive Tabulas, quibus Tra„ ctationes de Symbolo Fidei, de decem Præceptis, de Sacramen„ tis, de Oratione Dominica, de Passione Domini, deque sin„ gulis sacrosanctis Mysteriis, ita in Solemnitates, in omnia etiam „ Evangelia, quæ diebus Festis recitantur, in Epistolas Sancti „ PAULI confecit, quæ, si unum in Librum redigantur, magnam „ profectò utilitatem Episcopi, & Parochi, & quicumque Ver„ bum Dei prædicare consueverunt, ex ejusdem industria perci„ pient. Subdit ibidem, *Sylvam Pastoralem* (librum nempe ita inscriptum) collectam studio Sancti CAROLI, testamento relictam fuisse JOANNI FRANCISCO BONOMIO Episcopo Vercellensi „ cujus „ pietate (sunt verba VALERII) & industriâ fiet aliquando, ut „ ex optimi Cardinalis laboribus, ab Ecclesiasticis hominibus fru„ ctus percipiantur. Sibi quoque dono datum memorat Commentarium *de arte meditandi*, quem, biennio antequam moreretur, Sanctus ille Præsul conscripserat; subjungitque: „ Profectò bre„ vitate & perspicuitate, gravitate etiam sententiarum dignus est, „ qui in piorum hominum manus verseтur. Duo hæc postrema Opuscula, prout ab Auctoris calamo prodiere, servat Ambrosiana Bibliotheca, suoque loco in lucem proferre animus nobis est, ut non tam fervidis doctissimi illius Veronensis Antisti-

tis

(a) Pag. 50.

tis (cùm viveret) votis, quàm omnibus, qui Sancti Caroli nomen in pretio habent, ac magisterium exoptant, tamdem satisfiat.

Alteram quoque *Sylvam*, quam *Clericalem* inscribere meditabatur, collegerat anno eodem, quo morti concessit, ut narrat Possevinus (*a*). In eam autem congesserat quæ ad severiorem Ecclesiasticam disciplinam instituendam, moresque Clericorum componendos, tum etiam ad quævis Sacrorum hominum cujusvis Ordinis officia optimè administranda, opportuna esse possent. Inde verò uberem messem & sibi & aliis paraverat, Sermones habendi ad Episcopos, Parochos, Moniales, Cœnobitas, Sacrisque Ordinibus initiandos; in conferendis Baptismatis, & Sacri Chrismatis Sacramentis, in Consecratione Ecclesiarum & Altarium, atque hisce similibus religiosis muneribus: Sed consilium adeò proficuum ac nobile festina mors abrupit. Pretiosam hanc supellectilem hæreditariam habuit prædictus Joannes Franciscus Bonomius Vercellensis Episcopus, qui, ùt refert Carolus a Basilica-Petri (*b*) „ eam rectiùs dirigendam, colendam, atque „ dilatandam Francisco Adorno Societatis Jesu commisit. Verùm èt ipse non multò post Sancti Caroli mortem (ut præsenserat) sepulcro illatus fuit. Nunc informis magna ista densaque Sylva, in Bibliothecæ Ambrosianæ pluteos translata, propitiam manum expectat, quæ illam expoliat evulgetque, ad Auctoris sui amplificandam gloriam, & Ecclesiastico Cœtui opulentum rei sacræ patrimonium parandum.

Nondum tamen proximè attigimus partem illam studiorum, quæ ad copiosam concionandi materiem sibi præparandam Sanctus Carolus incredibili usque ad obitum diligentiâ confecit. Memoratus a Basilica-Petri, post enunciatos reliquos Sancti hujus Antistitis literarios labores, hæc subdit: „ Postremò Carolus am„ plam sibi ipse locorum, sententiarumque Sylvam comparabat, „ ex Divinis scriptis imprimis, sed ex aliis quoque Sacris Li„ bris; tum ex probatis etiam Sanctorum Virorum Historiis sa„ lutarium copiam exemplorum: quibus omnibus distinctè ordi-

(*a*) In S. Caroli Vita, Cap. IX. pag. 46. | (*b*) Lib. VII. Vitæ, cap. 24.

„ neque sepositis, ad diversas Conciones uti posset, quotiescum-
„ que usuveniret, cùm præsertim propter occupationes spatium
„ minimè daretur singillatim conquirendi. Varia genera mente
„ comprehendebat, de quibus sibi essent verba ad Populum fa-
„ cienda; tum Divinos Libros attentè legens, quod in quodque
„ genus conveniebat, illud notabat diligenter, ac distinctè de-
„ scribi jubebat. Nec minori cum laude atque etiam admiratione sedulum hoc Patruelis sui studium refert Cardinalis FEDERICUS BORROMEUS; condens enim Opusculum *De Episcopo Concionante*, statim ab initio ita scribit: „ Cùm inclyti nominis æter-
„ næque memoriæ Sanctus CAROLUS Ecclesiam hanc Ambrosia-
„ nam administraret, divino & singulari mihi obtigit beneficio,
„ ut non solùm tanti Viri fruerer aspectu, verùm etiam quan-
„ tum ætas mea tunc, & gravissimæ Pontificis occupationes pa-
„ tiebantur, uterer ipsius consuetudine. Quo quidem tempore
„ ille mecum sæpe est locutus, & multa de suis studiis exerci-
„ tationibusque communicavit. At, sicuti poteram in illa ætate
„ judicare, videbam eum esse totum in concionandi munere, nul-
„ lique parcere vel labori, vel exercitationi, quæ ad illam Pa-
„ storalis Officii partem attineret. Ex omni Scriptorum varie-
„ tate multa decerpebat in idipsum, infinitamque rerum supel-
„ lectilem, assiduo partam labore disponebat, etiam ordine quem
„ ipse commodissimum reperisset; habebatque destinatos huic mu-
„ neri, qui omnia in Commentarios referrent. Rem narrat POSSEVINUS (*a*), quæ fortasse exemplo carebit; tantum nempe fuisse in Sancto hoc Antistite desiderium, novas sacræ eruditionis opes conquirendi, quas postmodum in Animarum salutem e suggestu depromeret, ut, cùm ferè semper præsens in Templo Maximo adesset dum alii concionarentur, unam ex parvis illis gypsatis tabellis, quæ styli cuspide exarantur, secum sub veste deferret, in ea describens quidquid audire ipsi contigisset usibus suis opportunius aptiusque.

Et sanè, quàm ampla esse debuit seges illa, collecta undique continua lectione atque industria, quæ per tot annos Verbi Dei

(*a*) In Vita, pag. 48.

Dei pabulo Populis miniſtrando poſſet ſufficere, præſertim cùm, teſte Valerio (a) ferè nihil repeteret! Adde, frequentes adeò fuiſſe Conciones, quas habuit vigilantiſſimus ille Paſtor, ut ſi earumdem numerus iniretur, mentem admiratione ſuſpenderet, ac pene fidem ſuperaret. Statim ac pedem intulit in hanc Urbem anno MDLXV., Magiſtratibus, Nobilibus, univerſoque Populo in Metropolitana Eccleſia collectis atque plaudentibus, exercere hoc munus cœpit, ac ſermonis initium ſumpſit ab iis Chriſti Domini verbis: *Deſiderio deſideravi manducare hoc Paſcha vobiſcum*, ùt refert Glussianus. Periit hic Sermo; ſed ejus compendium nobis ſervavit Ripamontius (b), ita ſcribens „ Septimo poſt die, „ quàm Mediolanum pervenerat, (ea Dominica dies fuit) in „ Templo Maximo rem Divinam fecit, atque poſt Evangelium, „ primum illud Populo Mediolanenſi paſtoralis eloquentiæ ſpecimen dedit, collacrymantibus præ gaudio multis ob Cardinalis & Archiepiſcopi gloriam, & quia inſueti erant Pontificum ſuorum verba audire. Convenerant frequentes Viri Fœminæque, quantam capere multitudinem vaſta Templi moles poteſt. Concionem ipſe orſus eſt Chriſti Salvatoris voce, deſideriumque illius æquandi cum Apoſtolis tranſtulit ad deſiderii ſui ſimilitudinem, quo Gregem inviſere & alloqui ſuum concupiverat. Cetera deinde exequendo de pietate debita erga Patriam, & Eccleſiam, in qua natus ipſe educatuſque eſſet; de amore erga ſingulos, qui geniti ſecum in eadem Patria eſſent; de abſentiæ ſuæ cauſis, ac de maturato, quantum fieri potuerit, adventu, flexit paulatim ad temporum calamitates, quæ Populum, & Eccleſiam tantopere afflixiſſent. Ubi vetus Metropolitana majeſtas? Ubi magnum Ambrosii nomen? Ubi Apoſtolica diſciplina Fundatoris Barnabæ? Hæc, & in eamdem ſententiam alia rogitans, neque Populum ipſum Clerumve, ſed tempora incuſans, Bellorumque viciſſitudines, & mutatum toties imperii ſtatum, originem malorum: Sub Catholico demum Imperio inſtaurari Civitatem, & decora antiqua renovari, atque inhorreſcere omnes extremi Judicii metu, „ nec

(a) In Vita, pag. 50. (b) De Origine & Pontificatu Sancti Caroli Lib. II. pag. 113.

„ nec priores ullas, ſed alterius vitæ curas deinceps agitare quem-
„ quam paſtorali ſuo jure jubebat. Simul ad novum illud emen-
„ dandæ Patriæ, publicæque conſtituendæ ſalutis opus, labores,
„ & vigilias, & opes, vitamque & ſanguinem offerendo ſuum,
„ commoverat omnes admiratione tam paterni animi, lacrymæ-
„ que ſingulis manabant, & ſuſpiria undique exhauriebantur.

Suſceptum eo tempore laborioſum concionandi curriculum numquam abrupit, ſingulis Dominicis, Feſtiſque diebus verba ad Populum faciens (quod nullus in Italia per ea tempora auſus erat Epiſcopus,) ùt ſcribit VALERIUS (a), quandoque etiam & mane, & veſpere; Quinimmo quater uno die e ſuggeſtu perorare non ſemel auditus eſt. In Quadrageſima vices aliquando deficientis ſacri Oratoris implevit. In quadraginta horarum ſive ſacratiſſimi Dominici Clavi, ſive Euchariſtici Sacramenti Solemnitate, ſingulis etiam horis de hiſce Myſteriis ad Gregem ſuum diſſerebat. Per integras hebdomadas in Viſitationibus Apoſtolicis, & in conferendo, diſtributim per Civitatis Eccleſias, Confirmationis Sacramento, producebat Concionum laborem. Per Diœceſim verò, cùm illam luſtraret, nullus erat ex Populis, rudibus quoque & alpinis, qui eum ſæpiùs declamantem non cerneret. Ipſe ad Clericos Sacris Ordinibus initiandos, ad Canonicos, ad Parochos, ad Vicarios Plebanos, ad Confeſſarios, ad Verbi Dei Prædicatores, ad Presbyteros minores, (Capellanos dicimus) ſimul collectos, exhortatorios Sermones proferebat; ipſe Matronis, Virginibus, Viduis, quibus ſalutares morum & precum Regulas conſtituerat, cùm publicè in Eccleſias iiſdem deſignatas convenirent, æternæ Vitæ ſemitam verbo oſtendebat; ipſe demum, ùt refert CAROLUS A BASILICA-PETRI (b),

„ Quodam tempore invitabat Magiſtratus, & verba faciebat ad
„ eorum munus appoſitè; alio Jureconſultos; alio Notarios, Li-
„ terarum Magiſtros, Artifices, & unumquemque Ordinem di-
„ verſis diebus, & Eccleſiis, juvabat ſeparatim, Euchariſtiam ſan-
„ ctiſſimam præbendo, Concioneque ad unumquodve genus ac-
„ com-

(a) In Opuſculo MS. in Bibliotheca Ambroſiana *De Epiſcopali Concionandi forma*, ad P. Adornum Societatis JESU, versùs finem.

(b) Lib. VII. Vitæ S. CAROLI, Cap. XL.

„ commodatâ: Nec deſiderari a Monialibus paſſus eſt paternum hoc amoris ſui officium; ejuſque rei teſtes ſunt nonnulli Sermones, qui paucis ab hinc annis Patavii lucem aſpexere. Eò adducta eſt frequentia iſta Concionum, ut aliqui eam appellaverint *nimiam;* ſed, quemadmodum adnotavit AUGUSTINUS VALERIUS (*a*) „ in CAROLO Archiepiſcopo, ùt variæ & præſtantes „ virtutes fuerunt, ita hoc in primis præſtitit, ut curioſorum „ hominum, ne dicam vanorum voculas contemneret. Plena eſt Hiſtoria GLUSSIANI, & aliorum præclariſſimas res actas a Sancto hoc Præſule referentium, commemoratione Concionum, quas ſemper habere conſueverat, cùm novum aliquod opus ad amplificandam Dei gloriam inſtitueret; cùm Translationes ſanctorum Corporum ſolemni pompa perageret; cùm peſtis acerrima dilectum ſibi Populum fœde vexaret, eâque depulsâ, inſignis accepti beneficii memores eſſe vellet Mediolanenſes Cives (*b*); cùm ad impetranda neceſſaria aliqua Divinæ Clementiæ dona ſacras ſupplicationes indiceret; cùm demum alienas extra ſuam Diœceſim Eccleſias inviſeret, aut peregrinationes ſuſciperet, ut relicta in terris Dominicæ Paſſionis monumenta, & Sanctorum Lipſana præ ſummâ ſuâ in res ſacras religione veneraretur. Ab omni enim Epiſcopalium munerum, temporum, atque locorum opportunitate occaſionem captabat ingerendi Populis horrorem ſcelerum, excitandi ſuos exteroſque, ad rectam vitæ diſciplinam inſtituendam, uberesque pœnitentiæ & bonorum operum fructus edendos.

Hujus tam egregiæ frequentiſque in perorando diligentiæ nullum jam ſupereſt veſtigium, præter archetypas quaſdam Chartas, in quibus propriâ manu deſignabat ordinem Concionum: quid nempe prooemii loco ſtatuendum foret; quæ propoſitio enuncianda; in quot capita diſtribui poſſet; quibuſque Sacræ Scripturæ teſtimoniis, hiſtoriis, exemplis eſſet confirmanda. Eas deſcribit Cardinalis FEDERICUS BORROMEUS, in Libro *de Claris Ora-*

tori-

(*a*) In Vita pag. 28.

(*b*) Contigit hoc, anno MDLXXVI. Tanta autem fuit eo anno Concionum Sancti CAROLI frequentia, ut vigintiſeptem ab eodem recitatæ adnotentur *in Diario MS. Horatii Caſati* tunc Cæremoniarum in Metropolitano Templo Magiſtri, quod mihi communicavit Jo. Andreas Iricus, eruditione, ac Literis excultiſſimus.

toribus (*a*), his verbis: „ In omni præparanda Concione utebatur arte quadam (Sanctus CAROLUS), ut , Arbore constitutâ, „ disponeret in ramis argumenta & locos, memoriæ credo caussâ, quam ordo ille non parùm adjuvaret. Has Arbores ego „ in octo (nunc novem) volumina digerendas curavi, cùm diu „ velut in tenebris latitassent, & oblivioni propemodum traderentur. Nunc servantur in Ambrosiana Bibliotheca, quanto „ decere arbitramur honore. Rationem autem reddit, cur tanto studio conservandas duxerit pretiosas hasce schedas, simulque dolet, quòd pars aliqua lucubrationum tanti Viri, deplorandâ incuriâ Custodum, absumpta jam fuisset, inquiens: „ Si ea nostris animis insidet divini hominis cura, ut frustula vestis, aut „ aliquam ipsius imaginem adipisci, fuerit pars magnæ fortunæ; „ quid erit caussæ, cur anxiè non conquiramus has reliquias „ ejusdem animi, ne scilicet solitâ mortalium rerum conditione „ dilabantur? Cœperant tamen sentire communem hanc injuriam, ac de Sancti CAROLI scriptis perierat jam aliquid, sicuti ego ab illis accepi, qui debuerant ea fideliter ac sedulò custodire. In hac prædivite Arborum serie, quæ pretiosæ ac venerabiles sunt non modò ob materiæ mirè dispositæ ordinem, sed etiam ob characteres, manu ipsâ tam sancti Antistitis exaratos, plures invèni, in margine hac annotatione signatas: *Concio parata, sed non habita*. Earumdem specimen aliquod, si ocium suppetat, publicum facere in votis est (neque enim omnes in lucem proferre difficillimæ captu scriptionis obscuritas sinit), ut inde, veluti ex ungue, perspicuum cunctis fiat studium laborque Sancti CAROLI, ob amplam messem in annos plurimos recondendam, fontemque sibi aperiendum aquæ perpetuò salientis in Animarum salutem.

Ceterùm gratiæ Deo sunt agendæ quamplurimæ, quòd biennio antequam CAROLUS moreretur, proficuam hanc ejusdem menti cogitationem injecerit, designandi aliquem ex suis Familiaribus, qui Sermones ipsius attentâ exceptos aure calamo describeret quo tempore proferebantur, ac postmodum in latinam linguam transferret.

(*a*) Pag. 103.

ferret. Memoriâ dignum id censuit prælaudatus Sancti Caroli Consobrinus Federicus Borromeus, hæc scribens (a): „ Ostenderat paulò antequam extingueretur, magnopere sibi cordi esse, ut manum illis (Concionibus suis) extremam admoveret, atque ideo delegerat ex suis Familiaribus qui exciperet ab ore Concionantis ipsa verba, significaveratque, placere sibi magis, ut latinè, quàm patrio sermone descriptæ Conciones in manus hominum pervenirent. Latinitatem nimirum, ùt opinor, ipsam plus habere dignitatis arbitrabatur. Porrò si opinioni hujus amplissimi Cardinalis miscere meam liceat, alio etiam consilio id præstitum a Sancto Carolo crederem, ut videlicet iis uti possent Pastores Animarum, quibus injunctum ipsis ab Officio munus Evangelicæ Prædicationis toties commendaverat; quibusque, exemplo suarum Concionum, compertum fieri peroptabat, non lenociniis ac futilibus verbis rem hanc esse agendam, sed solido Divinorum Codicum testimonio; minisque ac promissionibus, per Prophetas & Psalmos Davidicos a Domino promulgatis, ad extirpanda ab Ovibus vitia, virtutesque inserendas, incumbere illos debere.

Neque hac in re falli me arbitror, cùm probe sciam, solicitum admodum fuisse Sanctum Carolum, ne Parochis suis copia deesset, pascendi Verbo Dei Oves ipsis commissas; Siquidem enixè rogavit Episcopum Veronensem Valerium, ut latinas Homilias contexeret in omnia Evangelia, quæ Dominicis Festisque diebus, Ambrosiano Ritu, per annum recitantur. Præstat id audire ab ipso Valerio ita loquente in *Opusculo, de cautione adhibenda in edendis Libris:* „ Rogaverat Carolus, de quo sæpe dixi, Borromeus, ut Homilias conscriberem breves ad usum Parochorum Diœcesis Mediolanensis, adhibito illo ordine, quem Ritus Ambrosianus multos jam annos adhibuit in recitandis Evangeliis. Non denegassem pio Cardinali, & de me maximè merito obsequi in re tam honesta. Scripsi Homilias plusquam centum, minus quàm mediocri adhibitâ diligentiâ, quarum aliquæ mihi aliquando probatæ sunt. Illas omnes in unum Vo-

„ lumen

(a) De claris Oratoribus pag. 103.

„ lumen redactas FEDERICO Cardinali BORROMEO, pietatis & mo-
„ rum ſanctiſſimorum, exiſtimationis etiam, quibus CAROLUS ex-
„ celluerat, hæredi, quem unicè, ùt ſcis (SILVIUM ANTONIANUM alloquitur, cui Librum hunc nuncupaverat) " diligo, donavi.
„ In illas tu copioſam & elegantem admodum Præfationem con-
„ ſcripſiſti. (Volumen iſtud, Codicum Manuſcriptorum Bibliothecæ Ambroſianæ cenſum nunc adauget; ſique annuent ſuperi, pretioſum hunc VALERII laborem non diu luci invidebimus). Itaque, ùt dicebam, non abs re eſt credere, in hunc prorſus finem delectum fuiſſe latinum idioma, cùm de tranſmittendis ad poſteros Sermonibus ſuis nobile conſilium Sanctus CAROLUS agitaret.

Sed quæcumque tamdem fuerit ratio, cur, italicâ dimiſſâ linguâ, quâ Populo concionabatur Antiſtes hic optimus, relinquere nobis voluerit pignus iſtud paternæ dilectionis, nempe Conciones ſuas latinè exaratas, ùt Cardinalis FEDERICUS teſtabatur; adſcribendum id eſt procul dubio ſingulari Dei providentiæ, quæ ita diſpoſuit, ut, cùm vivens CAROLUS non aliam laudem ſpectaverit in paſtorali hoc Officio tam aſſiduè adimplendo, quàm Animarum proventum, mortuus quoque iiſdem prodeſſet; gloriamque eximii Sacri Oratoris, quam ſemper refugerat, immortalem reciperet. Ex iſtis enim, quæ ſuperfuere, magnæ molis Concionum, ùt ita dicam, fragmentis, quanta elucet ingenii vis, eloquii majeſtas, aptitudo rerum, vaſtæque eruditionis in omni ſcientia ubertas? Hinc diſcimus, quo Domùs Domini zelo ſuccenderetur, qua caritate flagraret in Deum & Proximum, qua denique induſtria ſudoreque, acceptum rudem ſcabioſumque myſticum gregem, ſibi fecerit gentem ſanctam, & populum acquiſitionis.

Equidem ſæpius laudatus, ſemperque veneratione maximâ recolendus Cardinalis FEDERICUS, tertium Operis ſui Librum *de Claris* illius temporis *Oratoribus* aggreſſurus, ita de Sancto CAROLO præfatur. „ Non leve decus eſt hominum, qui noſtro ævo ſeſe
„ contulere ad concionandum, in ſua nactos eſſe claſſe tanti no-
„ minis Collegam, qui jam nutu divino, Romani Pontificis
„ aucto-

„ auctoritate, summo Christiani Orbis gaudio, in Cœlestium nu-
„ merum augustissimè est relatus. Adfuere præterea huic sancto
„ Viro summæ illæ laudes, quæ in vero ac magno Conciona-
„ tore esse debent; atque ita semper dixit, ut nominis illius
„ gloriam sustineret......... In verborum delectu ea sum-
„ ma laus ejus fuit, quòd nihil umquam excidit vel deteriore
„ sensu, vel ancipiti; nihil temerè dictum, in quo tamen ple-
„ rique Concionatorum falluntur. Alibi verò (*a*) hæc prose-
quitur. „ Habuit alia pleraque admiranda Vir divinus, insi-
„ gnem nempe diligentiam in Sacrarum Literarum studio, con-
„ stantiam in dicendo per tot annos, laborem æternum, su-
„ sceptam pugnam adversus impedimenta naturæ, patientiam in
„ edifcendo, si necesse foret, ea quæ scripserat, industriam &
„ studiorum artes....... Apparebat etiam in eo, dum verba
„ faceret ad Populum, quidam usus, & ea rerum humanarum
„ cognitio, quæ fons erat eximiæ maturitatis & judicii circa
„ negotia & varietates, quæ versantur in communi vita.....
„ Magna vis etiam erat ei, quandocumque locum e sacris Li-
„ teris aliquem explicaret; Neque descendebat ad eas ineptias,
„ quæ sunt propriæ Concionatorum, dum e suo quisque inge-
„ nio trahere & interpretari sententias volunt. Harum verò
„ Commentationum ipsius in sacras Literas, quæ multæ & fre-
„ quentes erant, memoria relicta nobis esset illustrior & major,
„ si scripta ipsius eam habere perfectionem potuissent, quam
„ habuissent certè, si diutius ille vixisset.

Memorata proxime vidimus a Cardinali Federico impedimenta naturæ, quibus bellum indixerat Sanctus Carolus; Ea nobis comperta fecere ejusdem Vitæ Scriptores. Primum fuit verecunda quædam timiditas, qua absterrebatur a sermone in publicum proferendo: Hanc autem expugnavit, *Noctes Vaticanas* instituens, in quibus, veluti in umbratili palestra, experimentum suì facere inter Amicos cœpit, ac dein prodiens in apertum, ruborem omnem abjecit: coram frequenti Populo in Basilica Sanctæ Mariæ Majoris, in qua Archipresbyteri Dignitate fulge-

(*a*) Pag. 101. & seqq.

bat; sæpius verò in sui Tituli Sanctæ PRAXEDIS Ecclesia, prolixas habens Conciones. Alterum erat difficultas, seu potiùs pronunciandi celeritas, qua efficiebatur, ut obscurè admodum verba exciperentur, aut etiam prorsus intercciderent; longo tamen usu dicendi, eam adeò compressit perfregitque, ut, testante AUGUSTINO VALERIO, in Ecclesia Mediolanensi, ac in Diœcesis Visitatione & sæpe loqueretur, & expedite. De hoc postremo præclarum encomium scriptum reliquit Cardinalis FEDERICUS in Libro *de Episcopo Concionante* (a): „ Magnus hic Vir, cùm expeditiore linguâ minimè uteretur, nec a natura apte promptus „ esset ad concionandum, assiduo labore ac studio naturæ in„ commoda superare nitebatur; ut inde nimirum omnes animad„ verterent, ipsum in eo, non loquendi dulcedine se exercuisse, „ sed ut suo solùm muneri planè satisfaceret.

Hæc præmittenda censui, antequam de occasione imprimendi hujus Voluminis, aut de Homiliis ipsis Sancti CAROLI, quas nunc vulgamus, quidquam dissererem. Occasionem quidem dedit novo parando huic Operi præclarum meditamentum, quod Reverendissimus & Excellentissimus Præsul Comes VITALIANUS BORROMEUS, perpetuus Bibliothecæ Ambrosianæ Conservator, ac reliqui ejusdem Præsides concepere. Animadverterant illi, a Cardinali FEDERICO BORROMEO clarissimæ apud omnes memoriæ, post conditum immensis laboribus impensisque publicum hoc ac per Nationes universas celebre Literarum Domicilium, erectam quoque fuisse Typographicam Officinam, quæ non modò variorum Occidentis idiomatum Libris edendis inserviret, sed Orientalium etiam Linguarum typos complecteretur, ut collectas ex peregrinis Litoribus Codicum manuscriptorum pretiosas merces in commune bonum effunderet; advectis inde liberali ære Magistris, qui exotica hæc studia domestica facerent Mediolanensi Metropoli. Periit nobile hoc Institutum seu ingruentium bellorum injuriis, seu inimicâ bonis Artibus Consiliisque succedentium temporum calamitate. Quamobrem ne optimi Principis ac Conditoris mens omninò spe suâ defraudaretur, obluctantibus

(a) Pag. 133.

tibus licèt infelicis hujus feculi anguftiis, fancitum eft, ut reftituenda in antiquum fplendorem hujus Loci majeftas propriam reciperet Typographiam, elegantiâ omni familiarium faltem characterum, & chartæ nitore inftructam, e qua conflatæ tanto Federici Principis ftudio literariæ Opes, inediti nempe Codices, tot aliis, jam vulgatis in magno præcipuè *Rerum Italicarum* Opere, adhuc fuperftites in publicam paffim lucem educerentur.

Initium autem fumere placuit ab infigni eo thefauro, quem tamdiu reconditum in finu fuo fervaverat Bibliotheca Ambrofiana, Homiliis videlicet Sancti Caroli Borromei; Ita enim & rem gratiffimam facere cenfuimus Inftitutori noftro, id e Cœlis (ùt fperamus) hilariter fpectanti, cùm tot in terris laudibus, fuperiùs relatis, Confobrini fui in concionando præftantiam exornaverit; & proficuum valdè futurum univerfo Chriftifidelium cœtui non dubitamus, quos ad Religionem erga Deum, Refque facras impensè fovendam, conformandos mores Evangelii præceptis, propriique Officii minifteria exactè adimplenda, Conciones iftæ, quamdam vim fuperni Spiritus divinæque Sapientiæ lucem fpirantes, vehementiffimè urgebunt. Præterquamquod inde exemplum defument animarum Rectores, quâ diligentiâ incubandum fit, ad Gregum fuorum falutem opportunè atque importunè curandam, quàm pertinaci labore infudare debeant, comparandæ fibi doctrinæ, affiduâ Sacrorum Voluminum, Canonum, Sanctorumque Patrum lectione, ut traditos eorum tutelæ Populos in viam pacis dirigant, erudiantque; quâ demum methodo vitiorum ulceribus medelam adhibere valeant, virtutum incitamenta proponere, fpeique de ipfis ab Ecclefia conceptæ in facris collatis Muneribus optimè refpondere.

Sylvius Antonianus, qui olim fuerat a Secretis Sancto Carolo Borromeo, ac poftmodum in S. R. E. Cardinalium album relatus eft, probè nofcens, quanto in pretio habendæ forent Conciones hujufmodi, utpote conditæ a Viro, cœlefti facundia ac fpiritu imbuto, fpondere fibi vifus fuit eximiam laudem, ac fructum animarum, quem pariturae forent, fi in publicum emitterentur; fcribens enim ad Cardinalem Federicum, Caroli Patruelem, clau-

tremi biennii diebus, Familiarem hunc ſuum habuerit vigilantiſſimus ille Archiepiſcopus. Certè ejuſdem oculos, atque examen ſubiere, poſt ultimam illis manum adjectam, quemadmodum emendationes & additamenta, ùt diximus, Homiliis iſtis proprio Sancti Caroli charactere appoſita clarè teſtantur.

De ſtylo ejuſmodi Homiliarum non multum eſt differendum, cùm Sanctus Carolus „ rejectis floſculis inanique ornatu, „ locutiones eas verbaque probaret, quæ decorum Eccleſiaſticum „ quoddam retinerent; multò magis autem ſenſum, perſonis re„ buſque ſacris accomodatum quæſivit; quemadmodum ſcriptum reliquit in ejuſdem Vita Carolus a Basilica-Petri Novarienſis Epiſcopus (a). Quamobrem mirum eſſe non debet, ſi aliquando in hiſce Sermonibus demiſſiores loquendi formulæ occurrant, nec elegans ille verborum delectus adhibitus ſit, quo noſtri ævi Concionatores e ſuggeſtu declamant; is enim, qui Latio donandis Sancti Caroli Homiliis operam dabat, ut ejuſdem genio obſequeretur, fideli calamo ſequi debuit eam dicendi methodum, qua uſus fuerat in Concionibus pronunciandis Sanctiſſimus Paſtor: Nec dubium eſt, Sanctum Carolum id unum curaſſe, ut quò uberior animarum fructus colligeretur, præſertim cùm ad rudiorem Populum facienda eſſent verba, familiarior clariorque ſermo ſuus foret. Siquidem caritate, qua plurimum urgebatur, ſuccenſus, & omnibus omnia factus, Elisei exemplo, ſeſe in concionando Auditorum captui commenſurare ſtudebat. Refert Franciscus Panigarola, eximius illius ætatis Orator, juſſum ſe fuiſſe a Sancto hoc Antiſtite, de Dominica Paſſione ſingulis ſextis feriis, in Templo Maximo loqui; Verùm, cùm præſens pro more ſuo Concionanti adſuiſſet Carolus, eumdem monuit, ut amputatis controverſiis Interpretum, rebuſque altioribus, ad ea impoſterum deſcenderet, quæ animos permovere atque inflammare ad pietatem valerent. Quamobrem typis vulgaturus Sermones ſuos de Paſſione Domini, in unum volumen collectos, candidè in Præfatione profeſſus eſt, excepto primo, nullum ex iis fuiſſe a ſe Mediolani verbatim recitatum; cùm eos attem-

(a) Lib. VII. Cap. II.

attemperare debuisset, ac susdeque invertere, ut Sanctissimi Præsulis genio placeret. Inter ceteros insignes sui temporis Viros, singulari veneratione atque amore Aloysium Granatensem Sanctus Carolus prosequebatur, ejusque Libros assiduè volvebat, non alio permotus titulo, ùt opinatur Cardinalis Federicus Borromeus (*a*), nisi quia Concionator ille (alioqui eidem penitus ignotus) pastoralem spiritum ac modum, suo prorsùs similem, in sermonibus referebat; cùm non aliud utrique propositum esset, quàm ut efformatos ad Christianam disciplinam mores in hominum animos inducerent, ac vitia extirparent.

Non hac tamen, ut ita dicam, temperantiâ styli demissioris Carolus utebatur, cùm sermocinandi ad Clerum occasio præberetur; Latino enim idiomate (quod etiam aliis Episcopis commendabat), & accuratiore verborum delectu ad Sacros Ministros concionabatur. Testes hujus rei sunt, graves illæ Orationes, quas in Conciliis Provincialibus, ac Diœcesanis frequentes habebat: Et utinam quamplures haud periissent, cùm paucæ admodum in *Actis Mediolanensis Ecclesiæ* descriptæ occurrant, & nonnullarum, quæ nunc desiderantur, argumenta referat Glussianus, innuens, tres, aut quatuor in singulis Synodis, præsertim Diœcesanis, fuisse a Sancto Carolo recitatas (*b*)! Possevino debemus, quòd quatuor habitæ ab eodem in postrema Synodo anni MDLXXXIV. superfuerint aliarum jacturæ; eas enim a se scriptas ipse testatur (*c*). Alteram nos adjiciemus elegantem sanè ac plenam cœlesti eo igne, quo calebat Pastor ille optimus, & succendere conabatur animos eorum, qui Divinam rem facerent, aut Altaribus inservirent. Delituit hactenus ista inter Codices manu exaratos Bibliothecæ Ambrosianæ; sed digna est numerum reliquarum augere, quas jam vulgatas habemus, cùm ètipsa pronunciata fuerit a Sancto hoc Antistite in Synodo Diœcesana secunda. Latinæ item fuere Conciones, quas seorsim ad quoslibet Mediolani, & Diœcesis Ecclesiasticorum Ordinum Cœtus sæpius per annum habere solebat Sanctus Carolus: Quo in genere

(*a*) Libr. III. de Clar. Orator. pag. 104.
(*b*) Lib. VII. Vitæ, Cap. II.
(*c*) In Vita Sancti Caroli, pag. 102.

nere Sermonum id peculiare adnotavit prælaudatus POSSEVINUS (*a*), ferventiſſimum ſemper fuiſſe in ſuis ad Populum Concionibus CAROLUM; at cùm ad Viros Eccleſiaſticos loqueretur, ſe ipſum ſuperaſſe. Præterire nequeo, quod ſibi in hac re accidiſſe narrat CAROLUS A BASILICA-PETRI (*b*). Præmittit ille, Sanctum hunc Antiſtitem, cùm ad Sacros Miniſtros verba faceret, cœleſti ardore adeo inflammari conſueviſſe, ut divinas dicendi faces etiam animis Auditorum admovere videretur: Siquidem graviſſima Sacerdotum altiſſimaque recolens Munera, ac oſtendens, quàm lentè, quàm oſcitanter, quàmque fœdè nonnunquam ab iis adminiſtrarentur, ut dignè illa peragerent hortabatur. Poſtmodum ſubdit. „ De me ipſo affirmo; cùm ad eum audiendum, ùt aliàs ſæpius, in Synodo eſſe pro modeſtia ſua juſſiſſet, ſi quid in rebus, voce, geſtu obſervarem, de quo moneri illum oporteret; occultâ quadam verborum illius vi mentem meam ſubitò ab ea obſervandi attentione abductam ad divinas ſententias, & ea quæ loquebatur ita converſam atque adeo raptam fuiſſe, ut quam ob cauſſam eò vocatus eſſem, oblitus, toto animo in ejus Oratione defixus tenerer; tum quaſi aliquid rebus humanis majus viderer aſpicere atque audire, mecum, quotquot ubique ſacri rerum Divinarum Adminiſtri eſſent, ibi adeſſe optarem; demumque ad ſatis prolixæ Orationis exitum nimis celeriter me adductum cum dolore ſentirem. Proſequitur ſubinde commendare præſtantiam CAROLI in contexendis Sermonibus, inquiens: „ Porro res ipſæ materieſque Concionis, judicii ſemper & ingenii, imprimis verò Pietatis cujuſdam exquiſitæ lumen præſeferebant. Eadem materies plerumque divinarum Literarum locis nitebatur; iis enim Libris perlegendis & meditandis fere conſumebat quidquid ad eam rem dabatur ocii. Prophetis maximè ſtudebat; qui loci aptiſſimi eſſent ad hujus temporis uſum, eos habebat in promptu, tractabatque accurate. Elogio adeò inſigni, quo BORROMEI Paſtoris Conciones, Poſteris omnibus commendabiles reddidit doctiſſimus Scriptor iſte, non tam auditor earumdem,

(*a*) In Vita Sancti CAROLI, pag. 102. | (*b*) Libr. VII. Vitæ, Cap. XXIV.

dem, quàm admirator, quidquam addere, injuriæ potiùs quàm laudi tribuendum censerem.

Supereſt, ut quæ in hiſce Homiliis publica luce donandis acta a nobis ſunt, paucis exponam. Latebant illæ in pluribus deſcriptæ Codicibus, ſed nullâ temporum ſerie diſtinctæ, cùm mixtæ primis noviſſimæ occurrerent. Itaque ad eas commodiùs diſtribuendas, chronologicus placuit ordo, quo, diebus & annis indicatis, in plenum veluti conſpectum ſeſe proderet indefeſſi hujus ſancti Archiepiſcopi, in habendis Concionibus, uſque ad exitum vitæ perpetuus labor. Verum quidem eſt, exiguum admodum eſſe numerum earum, quæ poſtremum biennium præceſſere; Vix enim duas italicas, nonnullaſque alias latino ſermone conceptas invenimus, quibus, ne fortaſſe occaſio fieret eadem repetendi, argumentum, diem, & annum Sanctus Carolus a tergo propriâ inſcripſerat manu. At nimis ſerò ſanctiſſimus ille Præſul ſibi in animum induci paſſus eſt, divinitus certè inſpiratum propoſitum, Conciones a ſe habitas Gregi ſuo adeo dilecto, in amoris extremi teſſeram, novique proventûs materiem relinquendi; nonniſi enim vergente in occaſum vitâ familiarem ſibi Virum, ùt ſuperius retulimus, delegit, qui & verba publicè dicentis exciperet, & ipſi adjutor foret ad ea, quæ dixerat, latino idiomate digerenda. Diligentiam quoque adhibuimus in deſignandis locis Sacræ Scripturæ, quæ ipſi ſemper ad manus erat, &, fœcundi adinſtar agri, uberem eidem ſegetem offerebat, ut divini verbi cibo commiſſas ſibi Oves abunde reficeret. Quoniam verò ætate Sancti Caroli nondum prodierant Sacra Biblia, Sixti V., ac Clementis VIII. juſſu impreſſa, curare nobis opus fuit, ut ad lectiones, quibus nunc utimur, allata ab ipſo divinorum Voluminum teſtimonia redigerentur. Demum, ne ornamentis ſuis præclara hæc Editio careret, ad calcem Homiliarum nonnullas animadverſiones adjecimus, quibus aut peregrinatio per Pagos & Oppida Mediolanenſis, exterarumque Diœceſeon, tanto ſudorum impendio ac Concionum labore a ſancto hoc Antiſtite ſuſcepta illuſtraretur; aut portio illa Eccleſiaſticæ eruditionis, quâ plurimùm is pollebat, quæque in hiſce Homi-

liis non infrequenter occurrit, clarius lumen acciperet. Neque omiſimus opportunos Indices inſtruere, quibus commodior harum Concionum uſ Lectoribus pararetur.

Hæc ſunt, q. æ de Sanctiſſimi Cardinalis Archiepiſcopi CAROLI BORROMEI Doctrinâ, Studiis, & Scriptis; deque conſiliis noſtris in hac inſtruenda ejuſdem Homiliarum impreſſione commemorare neceſſarium duximus. Quandoquidem verò .ninime ambigimus, gratas Lectoribus futuras primitias haſce prœli Ambroſianæ Bibliothecæ, animos ſumimus ad edendas quoque reliquas tanti Præſulis Lucubrationes; paratos nos profitentes ad emittenda deinceps in lucem alia illuſtrium doctrinâ Virorum Opera, quæ adhuc inedita apud nos latent: Cùm æquum non ſit, etiam inter tumultum obſtrepentium undique militarium armorum, ignavo ſilentio Literas contabeſcere; & ſereniores affluſuros dies, propitiâ afflante ſupremi Numinis indulgentiâ, nobis aliquando polliceamur.



ELEN-

E L E N C H U S
HOMILIARUM,
Quæ in hoc Primo Volumine continentur.

HO-

HOMILIA XVII.

HOMILIA XVIII.

HOMILIA XIX.

HOMILIA XX.

HOMILIA XXI.

HOMILIA XXII.

HOMILIA XXIII.

HOMILIA XXIV.

HO-

HOMILIA XXV.

HOMILIA XXVI.

HOMILIA XXVII.

HOMILIA XXVIII.

HOMILIA XXIX.

HOMILIA XXX.

HOMILIA XXXI.

HOMILIA XXXII.

HO-

ELENCHUS HOMILIARUM.

HOMILIA XLI.

HOMILIA XLII.

HOMILIA XLIII.

HOMILIA XLIV.



HO-

COMPERTA est adeo non tam Diœcesis ac Provinciæ Mediolanensis populis, verùm etiam positis ultra montes & maria nationibus Vitæ integerrimæ castimonia, ardorque ferventissimus, quo S. CAROLUS BORROMEUS Mediolani Archiepiscopus non tantùm morum corruptelas ab hac sibi commissa Domini vinea extirpare contendit, sed longe a finibus nostris etiam pericula Hæresum propulsavit; comperta, inquam, adeo hæc sunt, ut supervacaneum videri possit, ea, quæ ab ejusdem ore aut calamo profluxerunt, ad examen revocare; solumque illius nomen iisdem inscriptum, esse valeat defæcatæ ab omni labe ejus doctrinæ luculentissimum testimonium. Nihilominus ut obtemperem mandatis Reverendissimi Patris Fr. Hermenegildi Todeschini, Generalis in Mediolanensi Ditione contra hæreticam pravitatem Inquisitoris, qui pro muneris sui ratione mihi provinciam injunxit subjiciendi votum MSStis S. CAROLI Codicibus, ad prælum paratis, candidè fateor, a me fuisse avidis, sed semper inoffensis oculis perlustratas ejusdem Homilias, Sermones, & reliqua Sancti Præsulis Opera, incredibili studio & labore ab ipso confecta. Quinimo visum mihi est, cœleste quoddam lumen, & eximiæ caritatis ignem ubique refulgere, quo indefessus ille Pastor oves suas Catholicæ Fidei regulis informare, easque ad verum Dei cultum, vitiorum fugam, virtutumque omnium amorem accendere conabatur. Quamobrem absque ulla hæsitatione censeo, facultatem concedi posse, ut quamprimum typis excusa in lucem prodeant ad Dei gloriam, ad sanctissimi hujus Antistitis laudem, atque ad commune Fidelium emolumentum. Me tamen &c.

Mediolani ex Ædibus Bibliothecæ Ambrosianæ III. Idus Februarii MDCCXLVII.

Joseph Antonius Saxius S. T. D., SS. Ambrosii & Caroli Oblatus, ac Bibliothecæ Ambrosianæ Præfectus.


DIE VII. MARTII MDCCXLVII.

ATTENTA SUPRADICTA APPROBATIONE IMPRIMATUR.

Fr. Hermenegildus Todeschini Ord. Præd. Inquisitor Generalis Mediolani.

Benedictus Mazzolenus Canonicus Theologus S. Nazarii pro Eminentissimo ac Reverendissimo D. D. Card. Archiepiscopo.

Vidit Julius Cæsar Bersanus pro Excellentissimo Senatu.



HOMILIA I.

IN EPIPHANIA DOMINI

ANNO MDLXVII. VI. JANUARII.



SALOMON divino afflatu instructus ait, Sapientem ex auditu cognitionem sibi addere majorem: & si Sapienti detur occasio, sapientior erit (*a*). Hoc animadvertens Sancta Mater Ecclesia, cupiens Filios suos ad perfectam & Christianam sapientiam deducere, ad audienda ea mysteria, quæ Fidem instruant, spem roborent, caritatem inflamment, solemnioribus Festis omnes convocat; ut illis sapientiæ occasio detur, & ea audiantur, quibus sapientiæ sit incrementum. Ita, Fratres carissimi, hodiernus dies nobis multa proponit, quæ & caritatem Dei erga nos commendent, & nostrum erga Divinam bonitatem officium doceant. Nam hodie celebramus tria insignia Salvatoris mira-

(*a*) *Proverb. IX. v. 9.*

miracula, quæ hoc eodem die, ſed non uno tempore, facta ſunt; hodie enim a Magis, ſtella duce, Infans adoratur; hodie in Jordane, trigeſimo anno, baptizatur; hodie in nuptiis aqua in vinum mutatur. Magnum, & admirabile erat illud, quòd tactu ſuæ mundiſſimæ carnis vim regenerativam dederit aquis, quòdque paterna voce cœlitus delapſa, & Spiritu Sancto viſibiliter deſcendente, aperto Cœlo, Filius Dei ſit declaratus. Mirabile etiam videre, quomodo ad imperium Creatoris aqua in vinum converſa ſit. Verùm illud longè mirabilius, & ad nos conſolandum majus, quod in fide, & adoratione Magorum factum eſſe conſpicimus. Quid enim majori admiratione dignius, quàm videre Idololatras ſubitò ad verum Dei cultum converſos, Reges Puerum ætate infirmum, ſapientes Infantem, divites pannis involutum Pauperem proſtratos venerari? Ad nos etiam majorem conſolationem hæc Domini apparitio debet afferre, quòd noſtræ vocationis, ideſt Gentium, prima eſt manifeſtatio. Nam reliqua omnia, quæ præceſſerant, ſolis Judæis gaudium videbantur adferre, natus in Judæa regione, natus ex Judæa Matre, apparens Judæis Paſtoribus, baptizatus poſtea in Judæa, quaſi omnia pro Judæis facta fuiſſent: *Notus in Judæa Deus: in Iſraël magnum nomen ejus* (*a*). Verùm hodie gentium ſpes revelata eſt, & facti ſunt Magi primitiæ gentium, adeo ut, qui in mediâ Judæâ, Judæis aliquot dies latuerat incognitus, ſpretus atque neglectus; nunc ſe ſe gentibus manifeſtum exhibuerit adorandum atque colendum: *Notum fecit Dominus ſalutare ſuum, in conſpectu gentium revelavit juſtitiam ſuam* (*b*).

Voluit ejus Salvatoris benignitas non ſolùm pro omnibus deſcendere, verùm etiam omnibus innoteſcere, non ſolùm naſci, verùm etiam agnoſci. Propter quam agnitionem nos hanc diem celebrem habemus, in qua noſtræ vocationis primitias & ad conſiderandum, & ad imitandum nobis propoſitas habemus in Evangelio. Cùm autem duo ſint, quæ in omni lectione ſpectanda judicantur, mala ut fugiamus, & bonorum exempla atque conſilia ut ſequamur, in hac Evangelica lectione, tamquam in fertiliſſimo & uberrimo agro, utrumque reperiemus. Nam in Herode, ac Judæorum Sacerdotibus, & Scribis conſpiciemus ſummam impietatem; in Magis ſingularem fidem, ac piam religionem; in omnibus ſummam Dei providentiam, quomodo & quærentibus ſe non deſit, & impiorum conſilia diſſipet. Nos

(*a*) *Pſal. LXXV. v. 1.*
(*b*) *Pſal. XCVII. v. 2.* Manu propria hunc textum addidit S. Carolus in margine manuſcripti exemplaris, quod nunc publici juris facimus.

Nos docuit Evangelica lectio, quomodo nato Christo Cœlorum Rege in Bethlehem Judæ, & venientibus ab Oriente Magis, ut illum adorarent, duce stella, & apud Herodem quærentibus illis, ubinam esset, qui nascebatur Rex Judæorum: quomodo, inquam, Herodes Rex terrenus, & tota Jerosolyma cum eo turbabatur. Externi Christum quærebant; sed illi, apud quos natus est, non solùm non quærebant, verùm etiam in ejus nativitate turbabantur: Herodes, sibi timens de Regno, diligenter quæsivit de Puero, ut illum occideret, simulans interim, se velle illum adorare; & cùm Principes Sacerdotum, & Scribæ per prophetias instructi dixissent, *in Bethlehem Judæ* eum nasci debere, Magos ad se clam vocans, jubet, ut diligenter de Puero quærant, & ad se referant, quo ille quoque posset eum adorare. Vox quidem Christi militis, sed animus homicidæ; devotionem promittebat, sed gladium acuebat; & malitiam cordis sui, humilitatis colore depingebat. Talis est consuetudo omnium malignorum, quando aliquem in occulto graviùs lædere volunt; humilitatem illi, & amicitiam fingunt.

Cæterùm illi eâdem stellâ ducti Puerum in gremio Matris invenerunt, & admoniti divinitus, ubi illum muneribus oblatis adoraverunt, per aliam viam reversi sunt in patriam suam; ita ut pii Magi optatum invenerint Regem, & impii Herodis nefarii conatus impediti sint atque delusi. Quòd si nos Magorum fidem, studium in quærendo Christo, atque devotionem in ejus adoratione velimus imitari, sine dubio eum in sinu Matris, nempe Ecclesiæ, per gratiam reperiemus, & mystico illo Herode, nempe Dæmone confuso atque deluso, in patriam nostram cœlestem ibimus. Nam si diligenter consideremus Magorum pietatem, & sagacem diligentiam, & singularem religionem, inveniemus Christianæ institutionis perfectum exemplar, & peculiarem fidei constantiam. Laudatur in Evangelio Centurionis fides; admirantur multi Latronis confessionem in cruce, inter tormenta Dominum agnoscentis: Verùm Magorum fides multò admirabilior; nam illi, vel miracula viderant, vel prædicata audiverant, & apud se Christum conversantem habuerant. At hi nihil tale; cùm adhuc non cognovissent Christum, Christi facti sunt Confessores, & non timebant in conspectu Herodis, alium Regem timentis, eum Regem Judæorum appellare; cùmque adhuc Christum non vidissent, tamen pro eo mori erant parati; nullis sumptibus aut laboribus parcebant; non

non aſperitate viarum , non longitudine itinerum, non dulcedine natalis ſoli, non rerum ſuarum ſtudio, non divitiarum cupiditate, non Tyrannorum metu poterant retardari, quin diligenter quærerent, quem ſtella indice natum eſſe credebant. Cùm verò Jeroſolymis ſtella eos deſereret, a Rege, & aliis diligenter de Salvatore quærebant; nobis inſinuantes, oportere veros cultores Dei, Chriſtum quærere & humanâ diligentiâ, & directione divina. Nec minus eorum fides elucebat, poſtquam Puerum invenerant, quàm cùm illum quærerent. Nam cùm Regem ſe inventuros ſperarent, & hac fide patriam reliquiſſent, invenientes Puerum ortu recentem, corpore exiguum, paupertate contemptibilem, nullâ famulantium pompâ, nullâ famâ præliorum glorioſum, apertis theſauris ſuis, proſtrati eum adoraverunt, agnoſcentes, illum & verum Deum eſſe, & Regem, & pro ſalute hominum moriturum; quam fidem non votis, ſed operibus, non prolatione verborum, ſed oblatione munerum profeſſi ſunt. Nam aurum ùt Regi, thus ùt Deo, myrrham ùt morituro illi obtulerunt.

Cavendum eſt nobis, ne hi contra nos in judicio ſurgant, & nos condemnent, qui ad conſpectum unius ſtellæ, relictis omnibus, per maximos labores & aſpera itinera ſolicitè Auctorem ſalutis quærebant; nos autem non ſtella, ſed Sol juſtitiæ, ſuâ, & ſuorum Sanctorum prædicatione vocat, miraculis invitat, beneficiis allicit, ut per novitatem vitæ ad illum accedamus. Illi abſentem quærebant, nos præſentem & ultro ſe offerentem repellimus; illi cum mortis periculo per Herodis tyrannidem ad ſuum Regem contendebant, nos legum pœnis, Sanctorum exemplis, bonorum prædicationibus adduci non poſſumus, ut eum nos viſitantem recipiamus, & illi pulſanti aperiamus.

Oportet, Fratres, eos, qui cum gaudio magno voluerint Chriſtum invenire, & propter peccata ſua longè ab illo habitant, carnales cupiditates deſerere, vitia, & pravas conſuetudines relinquere, & Dæmonis jugum abjicere, & per bona opera ad locum, ubi Chriſtus eſt, perſeveranter contendere. Hoc Noë præcepit Dominus, ut, relictâ terrâ, quæ repleta erat iniquitate, in Arcam ſe reciperet (*a*); & Abraham, ut egrederetur de terra ſua, de cognatione ſua, & de domo Patris ſui, & iret in terram, quam monſtraret Dominus (*b*); ſic Moyſi, ut Iſraëlitas de Ægypto duceret in Terram promiſſionis (*c*). Idem canit Propheta: *Decli-*

(*a*) *Geneſ. VII. v.* 1. | (*b*) *Ibidem XII. v.* 1. | (*c*) *Exodi III. v.* 10.

Declina a malo, & fac bonum (*a*). Idem Præcursor Domini: *Pœnitentiam agite, & facite fructus pœnitentiæ dignos* (*b*). Hoc inculcat vas electionis Paulus, *exuite*, inquiens, *veterem hominem, & induite novum* (*c*).

Sed Magi non tantùm reliquerunt patriam, & quærebant Christum, verùm etiam munera attulerunt; sic in lege scriptum est, ut in conspectu Domini nullus vacuus appareat (*d*): ita ėt nos ad Dominum portemus animam, auri puritate splendentem, & orationes ascendentes sicut thus, & incensum in conspectu Domini, & pias conversationes, quibus membra nostra mortificata peccato, Domino autem fructificantia, tamquam myrrhà condiantur. Ad hoc enim *apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus; erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc seculo* (*e*); in hoc *dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum* (*f*).

Duæ partes hic ab Apostolo pietatis, sive justitiæ proponuntur; una est innocentia, qua a malo abstinemus, altera est solicitudo, qua bona facimus: utraque pars necessaria, ut ad Deum appropinquemus, & firmiter illi adhæreamus. Ceterùm omnibus, qui vocati ad Christum contendunt, Herodes perturbatus occurrit, & nascenti spiritualiter Christo insidias parat: statim audito ortu Cœlorum Regis, Rex terrenus turbatus est, & timore percussus, quia, teste Gregorio (*g*), terrena altitudo confunditur, cùm celsitudo cœlestis aperitur.

Nec tantùm Herodes turbabatur, sed tota Jerosolyma cum eo; etiam Pontifices, & Sacerdotes, quia multi eorum officia & dignitates ab Herode mercati erant: & ideo audito rumore novi Regis, plus timebant de amissione dignitatis, quàm gaudebant de nativitate Salvatoris. Et quot sunt, Fratres, qui mala fide volunt Beneficia retinere potius, quàm de doctrina Christi, fideliter administrata & prædicata audire? Si aliquid de nato spiritualiter Christo, de crebra Corporis & Sanguinis ejus receptione dicatur, si aliquid promulgetur, quod ad Christianam & Apostolicam vivendi rationem pertineat, turbatur mysticus hic tyrannus Herodes, & omnes, qui ab eo pendent, nempe, qui res iniquè possident, qui flagitiosam vitam agunt. Nec mirùm: nam, quos conscien-

(*a*) *Psal. XXXVI. v.* 27.
(*b*) *Matth. III. v.* 2. & 8.
(*c*) *Ad Ephe. IV. v.* 23. & 24.
(*d*) *Deuter. XVI. v.* 16.
(*e*) *Ad Tit. II. v.* 11. & 12.
(*f*) *Ibidem v.* 14.
(*g*) *In I. Reg. c.* 5.

ſcientia ſceleris, & injuſtitiæ arguit, adveniente juſto Judice, & revocatâ diſciplinâ, quæ neglecta jacebat, ſibi timent & tremunt; tamen providentiâ divinâ Magi ab his de Chriſto quærebant, tum ad eorum confuſionem, tum ad noſtram doctrinam, tum etiam ad Magorum confirmationem. Quæ enim major confuſio eſſe poteſt, quàm ea Judæorum, qui ſacris literis edocti Magos docuerunt locum, ubi naſceretur Meſſias, ſe verò ipſos docere nolebant? Alios docere viam ſalutis, & eamdem ſequi nolle, extremæ eſt dementiæ; ſimileſque judicantur ab Auguſtino his, qui Arcam Noë ædificabant, qua Noë, & familia ſalvabantur; ipſi tamen diluvio perierunt (a): nobis verò documento eſt, apud malos Sacerdotes ſanam doctrinam reperiri ab his, qui humiliter & diligenter quærunt; nam ſi Pontifices iſti, & Sacerdotes, cùm eſſent Chriſti inimici, Magos volentes Chriſtum invenire, ad Chriſtum dirigebant; ſi Cayphas, quia erat Pontifex ejus anni, ùt ait Scriptura, verè prophetabat (b), expedire nempe, unum hominem mori pro populo; ſi Dominus ipſe ſuadebat, ut faciamus ea, quæ jubeant illi, qui ſedent in Cathedra Moyſi, licèt eorum opera non ſint imitanda (c): nos non debemus, propter malam vitam Prælatorum, ſanum Dei verbum per illos prædicatum ſpernere, ſed doctrinam ſequentes, ad Chriſtum venire, & vitam eorum relinquentes, mortem fugere.

Quæ cùm ita ſint, exultantibus animis primitias noſtræ vocationis celebremus: adoratores Magos, ſinceritate fidei, perſeverantiâ ſtudii, & devotione cultûs imitemur; & ſicut illi eum adorarunt in paupertate, veneremur nos illum nunc in majeſtate. Fugiamus Herodis, & ſuorum malitiam, hypocriſiâ velatam; ſequamur veram pietatem, quæ ad omnia valet: *abjiciamus opera tenebrarum, induamur arma lucis* (d), & in omnibus noſtris actionibus appareat Chriſtus, precemurque, ut dignetur, per hanc lætam apparitionem ſuam, nobis concedere plenam ſui cognitionem, ut intus in cordibus noſtris illum inveniamus, ibique myrrham compunctionis internæ, & thus orationis devotæ, atque aurum dilectionis fervidæ, ejus benignitati offeramus; & ſicut a patria cœleſti per culpam, & prævaricationem ſumus egreſſi, per aliam viam, nempe viam veritatis & obedientiæ, in eam revertamur, ducente illo, qui vivit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

HO-

(a) *Geneſ. VII.*
(b) *Joann. XI. v. 51.*
(c) *Matth. XXIII. v. 2. & 3.*
(d) *Ad Rom. XIII. v. 12.*

HOMILIA II.

IN CŒNA DOMINI
LOTIO PEDUM CAPITULO (*a*),
Habita in Evangelium Joannis Cap. XIII.
Ante diem Feſtum Paſchæ.

ANNO MDLXVII. XXVII. MARTII.



ITA nunc deflenda eſt Chriſtianorum ratio, in eamque miſeriam redactus eſt Catholicæ Religionis ſtatus, ut ſæpe magis mirentur Homines, quod quis officium faciat, quàm quod prætermittat, multique (proh dolor!) reperiuntur, qui hypocritam judicabunt, ſi Homo, qui ſanctam profitetur vitam, ſanctorum veſtigiis inhæreat, ſi Chriſtianus Chriſti exemplum ſequatur; quod cum multis aliis in rebus videmus evenire, tum maximè in lotione pedum, qua & Sancti, & Sanctorum Dominus ſingulari quadam humilitate, admirabili documento, altiſſimo myſterio uſus eſt.

Nam, ut a priſcis illis temporibus incipiam, magnus ille Patriarcha Abraham, Angelos Dei in humana forma hoſpitio excepturus, voluntatem ſuam & amorem erga illos non potuit melius expri-

(*a*) Olim in Eccleſia Mediolanenſi, die Jovis in Cœna Domini, Archiepiſcopus pedes abluebat Sacerdotibus, & Diaconis primarii Metropolitani Cleri, necnon primo ex Notariis, Magiſtro Chori, & primo ex Mazeconicis, quemadmodum ſcriptum reliquit Paulus Morigia in Kalendario, Italicâ linguâ typis commiſſo, ubi agit de mobilibus diebus Feſtis Mediolani celebratis. Hoc Chriſtianæ demiſſionis officium a ſe præſtitum fuiſſe, teſtatur S. Carolus, qui inſcriptionem huic Homiliæ proprio caractere a tergo appoſuit his verbis: *Lotio pedum Capitulo*. Conſuetudo iſta jam deſiit tempore Cardinalis Cæſaris Montii Antiſtitis noſtri, ſubſtitutis XII. ſenibus pauperibus viris, quibus etiam in præſentiarum Archiepiſcopus pedes lavat, eoſque opimo convivio excipit, iiſdem ad menſam miniſtrans, veſtem albam tribuens, ac pecuniam elargiens. Ceterùm antiquum fuiſſe hunc morem, docet Pontificale Romanum, in quo mentio fit de lotione pedum Canonicis Eccleſiæ, *prout in aliquibus locis ſervatur*. Edmundus Martene de Antiquis Eccleſiæ Ritibus Lib. IV. Cap. XXII. tradit, Remenſem Archiepiſcopum conſueviſſe pedes lavare Archidiacono, Præpoſito, Decano, & Perſonis ſuæ Eccleſiæ, ex antiqua traditione, cujus meminit Concilium Toletanum XVII. celebratum anno DCXCIV.

exprimere, quàm si illis pedes lavaret (*a*); idem ẻt filius fratris sui Loth eisdem Angelis fecit (*b*): & Dominus in Evangelio Simoni quasi probro objicit, quòd sibi intranti in domum suam, aquam pedibus numquam dedisset (*c*). Apostolus etiam Paulus eam nolebat admittere in numerum Viduarum, quæ Sanctorum pedes lavare non consueverat (*d*); habet enim hæc pedum lotio, non solùm humilitatis argumentum, verùm etiam pietatis maximum indicium, & ad conjungendos mutuo amore animos admirabilem vim. Quare Salvator noster videns passionem suam imminere, & volens suis Discipulis, jam discessurus ab eis, aliquod egregium documentum, & exemplum imitatione dignum relinquere, omnium eorum pedes priùs ipse lavit; deinde ipsis, ut idem aliis facerent, præcepit, dicens: *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita ẻt vos faciatis* (*e*).

In hac re, dilectissimi Fratres, ut cetera omittam, Salvatoris nostri humilitas admirabilis non solùm diligenter consideranda, verùm etiam maximo studio imitanda est; tres enim reperiuntur humilitatis gradus, quorum primus sufficiens est, secundus abundans, in tertio omnis impletur justitia. In primo gradu sunt, qui libenter omni superiori parent & obsequuntur; in secundo, qui etiam æqualibus se submittunt; in tertio illi numerandi sunt, qui suis inferioribus servire non dedignantur. In quibus omnibus perspicuum est, Christum Dominum nostrum se & humillimum, & obedientissimum præstitisse. Nam Patri superiori, si ejus spectes humanitatem, æquali secundùm Divinitatem, ita parebat, & subjecit se, ut nihil aliud se facturum diceret, quam voluntatem Patris sui. Quantam verò humilitatem & obsequium præstiterit hominibus longè se inferioribus & ipsius testimonio, & historiâ Evangelicâ constat: *Non enim*, inquit ille, *veni ministrari, sed ministrare* (*f*). Verùm si unà mecum considerare velitis Evangelium, quo narrantur ea, quæ in lotione pedum fecerit & dixerit, omnia, quæ ego nunc insinuavi, luculentiùs poteritis perspicere: *Ante diem Festum Paschæ*.

Omnia, quæ in mysterio Incarnationis Christi habentur, humilitatem maximam docent, & amorem immensum ostendunt; propter amorem enim descendit de Cœlis, amore nostro baptizatus,

(*a*) Genes. XVIII. v. 4.
(*b*) Ibid. XIX. v. 2.
(*c*) Lucæ VII. v. 44.
(*d*) I. ad Timot. V. v. 10.
(*e*) Joann. XIII. v. 15.
(*f*) Matth. XX. v. 28.

tus, amore nostro jejunavit, tentationem, afflictiones, opprobria, & denique mortem passus est. Ita etiam admirabilem hanc dilectionem in ultima Cœna demonstravit, sacratissimum sui Corporis Sacramentum, aliaque Religionis pia mysteria & officia instituens. Ceterùm & hæc lotio pedum, de qua nunc dicere pauca decrevimus, eamdem ejus erga suos dilectionem mirabiliter commendat, & ministros suos animi modestiam docet. Quare Sanctus Evangelista dicit: *Sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc Mundo ad Patrem : cùm dilexisset suos, qui erant in Mundo; in finem dilexit eos (a):* quasi diceret; cùm semper erga suos singularis amoris signa & opera præstitisset, in finem, ideſt perseveranter, summa & perfecta dilectione, usque ad mortem eadem opera præstare non cessavit. Cùm enim Diabolus misisset in cor Judæ, ut illum traderet, Dominus noster, cùm sciret, se omnia accepisse a Patre, & a Deo exiisse, & ad Deum in gloria reversurum, tamen non dedignatus est, instar servi humilis, pauperum Piscatorum pedes lavare, & ea omnia in hoc munere facere, eoque modo, ut summa ejus diligentia atque modestia & submissio declararetur. Surrexit enim a Cœna Dominus, Discipulis recumbentibus: Vestimenta posuit, ut posset expeditiùs omnia exequi : Præcinxit se linteo, ut ostenderet se paratum ministrare, adjuvare, & benefacere. Denique ipse aquam mittit in pelvim, ipse humillimè ministrat, procumbit ad pedes famulorum, & quod abjectissimis hominibus committi solet, pedes eorum lavat; & solus hæc omnia peragit, solus aquam infundit, solus lavat, solus tergit. Omnibus ex æquo bonitatis argumentum ostendit, & dilectionis suæ signum præbuit, omnium pedes humiliter lavit, omnes sui Corporis Sacramento pavit; sed non omnes inde æqualem acceperunt fructum: Judas enim, qui erat illum traditurus, æquo animo loculos Domini portabat, eamdem escam cum ceteris Apostolis manducabat, pedes suos lavandos porrigebat, & omnibus commodis cum ceteris Discipulis frui desiderabat. Ceterùm nulla humanitate, nullis beneficiis a traditione sanguinis Innocentis potuit retrahi. Qua in re mirabilis fuit proditoris detestanda perversitas, qui non timore Domini, non reverentiâ majestatis, non innocentiâ vitæ, non magnitudine beneficiorum potuit commoveri; sed mirabilior judicanda est Domini benignitas, qui videns & sciens pertinaciam Traditoris, tamen non desivit esse erga illum benignus, sed omni beneficiorum gene-

(a) *Joannis XIII. v. 1.*

genere obduratum ejus cor emollire conabatur; exemplum nobis relinquens, ut inimicorum etiam noſtrorum converſionem quæramus potius, quàm perniciem, & eos conemur lucrifacere, non perdere. Verùm in Sancto Petro, & aliis hæc uberiorem fecerunt fructum, quæ Judæ acerbiorem damnationem tulerunt. *Venit ad Simonem Petrum &c.* (*a*). Ter locutus eſt Petrus, ſed diſſimiliter; ter etiam reſpondit Dominus, & ſingulas reſponſiones ad ſermonem Petri accommodavit. Nam Petrus primò ex ignorantia rogabat: *Tu mihi lavas pedes* (*b*)? quaſi abſurdum putaret, Filium Dei ad genua abjectiſſimi hominis procumbere, ut ejus pedes lavaret; ſecundò ex pertinacia dixit: *Non lavabis mihi pedes in æternum* (*c*); tertiò videns Dominum ſuum velle omnino, ut parèret, plura obtulit, quàm Salvator antea rogaverat, dicens: *Non tantùm pedes meos, ſed & manus, & caput* (*d*). Ita Salvator ignorantiam ejus inſtruxit dicens: *Quod ego facio, tu neſcis modò: ſcies autem poſtea* (*e*), quaſi diceret; tu adhuc hujus lotionis myſterium ignoras; ſi ſcires, numquam hoc interrogares. Deinde pertinaciam ejus obtundit minis: *Si non lavero te, non habebis partem mecum* (*f*). Poſtremò fidem, & obedientiam ejus commendat, qua ſe ſubmittit totum voluntati Domini ſui, dicens: *Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet: ſed eſt mundus totus; & vos mundi eſtis* (*g*). Ex hoc loco intelligere poterimus, non oportere ſubditos nimiâ obſtinatione Magiſtratuum præcepta contemnere, nec per verecundiam recuſare, quod illi nobis offerunt, licèt nobis indignum videatur, quod proponitur. Docentur prætereà èt Superiores, ſubditis perſuadere etiam primò repugnantibus, & minis compellere, ut ſanam doctrinam recipiant. Pertinax ſatis erat in recuſando Petrus, ſed ubi ſententiam Domini firmam eſſe & definitam viderat, facilè admiſit; utrumque tamen ex caritate, & reverentia: nam more ſuo Petrus propter ſuam indignitatem, & majeſtatem Salvatoris, rogat, ne tam vile officium circa ſe faciat, ſicut alibi dixerat: *Exi a me, quia homo peccator ſum Domine* (*h*): idem etiam a Præcurſore Domini factum fuiſſe legimus, dicente: *Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me* (*i*)? Verùm Sapientis eſt, ex cauſa juſta potius mutare ſententiam, quàm in eadem cum pertinacia permanere. Ideo obedientia Petri laudatur, qui cognita voluntate Domini, ſuam omnino reliquit, & ſe totum ſua-

(*a*) *Joannis XIII. v. 6.*
(*b*) *Ibidem.*
(*c*) *Ibidem. v. 8.*
(*d*) *Ibidem v. 9.*
(*e*) *Ibidem v. 7.*
(*f*) *Ibidem v. 8.*
(*g*) *Ibidem v. 10.*
(*h*) *Lucæ V. v. 8.*
(*i*) *Matth. III. v. 14.*

ſuaque omnia Domino ſubjecit. Videmus hic a Domino duas ablutiones eſſe inſinuatas, unam, qua totum corpus, alteram, qua pedes lavantur; hæc crebrò, illa ſemel adhibenda eſt, quia pedes non poſſunt ſatis lavari; ſtatim namque iterum, atque iterum inquinantur, & quia quotidiano pulvere, & luto ſordeſcunt, quotidie lavandi ſunt. Docemur etiam per hanc duplicem corporis, corporaliumque membrorum ablutionem, eſſe duplicem animæ, & affectuum ejus emundationem ſpiritualem; illa verò emundatio, qua tota anima lavatur, in Baptiſmo fit, quo ab innata immunditia, ideſt a peccato originali, mundatur homo, nec umquam hæc lotio iteranda eſt; verùm pedes, ideſt affectus animi, crebrò lavandi ſunt, quia quotidie peccamus: *Si enim dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt* (a); hos pedes animorum noſtrorum debemus Chriſto Salvatori lavandos proponere, qui eos lavat, ſine intermiſſione in Cœlo pro nobis interpellans, & per Sacramentum Pœnitentiæ gratiam ad remittenda peccata infundens.

Nec myſterio caret, quòd peractâ cœnâ Judaicâ, qua Agnus Paſchalis comedebatur, pedes Diſcipulorum priùs laverit, quàm ſanctum Euchariſtiæ Sacramentum inſtitueret; monſtrans, majorem oportere nos adhibere præparationem, quoties ad ſacram accedimus Communionem, quàm habebant Judæi, cùm Agnum Paſchalem comedebant; illotis enim pedibus, Agnum manducabant; erat namque tantùm typus & figura. Ceterùm ad tremendum Euchariſtiæ myſterium nonniſi mundis pedibus, ideſt purgatis animi affectibus, conveniebat accedere. Neque ſatis eſt, externam devotionem Mundo oſtendere, niſi interiùs ſincerè, & non fictè animus per pœnitentiam purgetur. Ideo Redemptor noſter cùm dicit: *Non omnes eſſe mundos*, non ſolùm Judam proditorem percutit, ſed omnes alios, qui ſub titulo Chriſtiani nominis malè vivunt, & linguâ Diſcipulos Chriſti ſe profitentur, moribus autem illum crucifigunt; non enim quidquid auri ſpecie fulget, aurum eſt: Nam èt Judas exteriùs lotos habebat pedes, & inter Diſcipulos Chriſti converſabatur; interiùs verò animum gerebat malitioſum, & capientibus Filium Dei ſe ducem præſtitit.

Poſtquam ergo lavit pedes &c. Solet Salvator noſter priùs facere, deinde docere, ut ſimul & exemplo monſtret, & verbo inſtituat. Ita hic, ubi exemplum humilitatis & dilectionis lavando pedes

(a) I. Joannis I. v. 8.

pedes Discipulorum ostendisset, docet, hoc non ociosè ab eo fuisse factum, sed ut eos ad imitationem suî alliceret: *Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus & Magister; èt vos debetis alter alterius lavare pedes: Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita èt vos faciatis* (*a*). In hac re, quam nobis proposuit Redemptor noster, tria nobis notanda sunt: in ipso namque Salvatore edocemur, quid Ecclesiæ Prælatos, & Christi Ministros oportet facere: in Juda proditore discimus, esse aliquos, qui dulces cum Christo capiunt cibos, & panem ejus comedunt, & palam se Discipulos Christi profitentur, sed interiùs contra Christum conspirant. Tales sunt illi, qui Christiani volunt videri, & propter Beneficia ac dignitates Ecclesiasticas, ministerium Christi suscipiunt, non pietatis amore, sed lucri honorisque cupiditate. In reliquis Apostolis illi significantur, qui interiùs omnes affectus lavandos Christo porrigunt, ut partem cum illo habeant in Cœlis. Nos autem, Fratres dilectissimi, dissimulationem Judæ, & pertinaciam fugiamus; ac cum Petro caput, manus, & pedes nostros, idest intentionem, opera, & affectus ad lavandum Christo exhibeamus, ut ubi hæc, gratiâ ejus fuerint mundata ac lota, in Cœlis eadem ab eo sint coronata. Ceterùm, si quæ in exemplo Christi mysticè continentur penitus velimus considerare, inveniemus, ab eo expressum perfectum Apostoli officium. Surrexit enim a cœna Judaica; sic èt Ministros ejus oportet veteris hominis conversationem & Judaismum relinquere, & novum induere; a scientia ad opus, a cibo ad laborem, a litera ad spiritum surgere; deinde vestimenta ponere, idest omnia virtutum impedimenta abjicere, ut strenuè possint laborare, & linteo albo, idest integritate vitæ, se præcingere; deinde aquam salutaris doctrinæ haurire, & subditorum suorum mores lavare doctrinâ, Sacramentis, exemplis. Hoc fecit Dux & Antesignanus noster Christus, ut similiter èt nos faciamus. *Non est Discipulus super Magistrum* (*b*), nec convenit humilis Domini servos esse superbos. Confundor sæpenumero, Fratres dilectissimi, quoties superbiam nostram, qui pulvis & cinis sumus, cum humilitate Domini nostri comparo; ille enim, cùm Deus sit & Angelorum Dominus, pauperibus ministrare non est dedignatus, nos verò conservis nostris servire recusamus. Filius Dei a mensa surrexit, ut servis sedentibus ministraret; nos putamus contra dignitatem nostram esse, si pauper con-

(*a*) *Joannis XIII. v.* 14. *&* 15.

(*b*) *Matth. X. v.* 24.

conſervus, non dicam nobiſcum una in menſa fuerit, ſed ſi nobis manducantibus propius accedat. Creator Cœli & terræ, Diſcipulorum pauperum pedes lavit; at inter nos quot reperiuntur, qui proprios pedes citiùs vino lavarent, quàm ut pauperi calicem aquæ frigidæ porrigerent? Ille proditori ſuo humanitatis officia præſtitit; nos amicis juſta officia negamus. Quo quid indignius dici, aut cogitari poteſt? Diſcipuli Magiſtro, Servi Domino, Creaturæ Creatori, pulvis & cinis Homini cœleſti ſimilis eſſe recuſat. Moveat ergo nos, Fratres, hujus rei indignitas, moveat in tanta majeſtate tam humilis ſubmiſſio, atque humiliemus nos cum Domino, ſi velimus cum eo exaltari; ſerviamus cum ipſo pauperibus, ſi cupimus cum eo regnare; lavemus invicem alter alterius pedes, ſi a Chriſto Diſcipuli haberi velimus; conformemus nos ipſos capiti noſtro in vita, & ipſe dignabitur nos ſibi conformare in gloria. Amen.



HOMILIA III.

DE

SANCTO AMBROSIO

Habita in ipsius Basilica Mediolani

ANNO MDLXVII. VII. DECEMBRIS.



Ome, è prestantissimo il reggimento di Cristo celeste Pastor nostro, e Principe de' Pastori sopra il gregge suo, perchè sola la bontà sua esclude ogni imperfezione, e mancamento, e egli solo è buono per essenza, gli altri in tanto sono buoni, quanto participano d'esso, che è sommo bene: Così fra tutti gli altri spirituali Pastori, quelli sono più degni di lode, ed ammirazione, i quali, se ben non possono (come non può alcuno) alla perfettissima idea Pastorale di Cristo avvicinarsi molto; tuttavia quando da lui sono stati chiamati a questo ministerio, se l'anno posta innanzi gli occhi, ed anno studiato con ogni diligenza di ritrarla in un certo modo come in pittura, o adombrarla almeno nelle sue operazioni Pastorali.

Beate poi e felicissime sono quelle Anime, alle quali ha donato la Divina misericordia d'essere introdotte a vivere sotto tale protezione e tutela nel gregge di Cristo; perchè corrispondendo loro dalla parte sua, come conviene, a questi celesti favori, possono sperare, che nell'estrema giornata siano da quel supremo Pastore, come obedienti e buone pecorelle, separate dalli capretti ribelli (a), e raccolte alla destra sua, ed ivi in perpetua sicurtà, e pace da lui pasciute negli abbondantissimi pascoli suoi celesti.

Di questa felicità Cristiana abbiamo oggi a ragionarvi, e consolarci con voi, Milanesi miei, invitati dalla caparra e pegno, che ne ha

(a) *Matth. XXV. v.* 33.

ne ha dato Cristo a questo Popolo, dandogli quel glorioso Santo Ambrosio, prima per guida e Pastore in questa vita, poi Avvocato e Protettore per sempre in Cielo, che per questa causa celebra solennemente la Chiesa nostra il giorno d'oggi, nel quale cominciò quel Santo non da se, ma come Aron chiamato (*a*), ed in un certo modo astretto dalla Divina providenza a sedere, reggere, e favorire questa Episcopal Cattedra di Milano.

Al qual trattato convenientissimamente s'accompagna il ragionamento, che oggi fa Cristo in San Gioanni nell'Evangelio(*b*) corrente, ove fa testimonio di quella prestanza sua nella carità Pastorale, e riduce come in compendio innanzi agli occhi nostri sotto tre capi, come l'abbia esercitata; dà forma e norma a tutti gli altri Pastori, come l'abbiano a seguire e servire in questo ufficio; insegna alle pecorelle, qual deve essere la corrispondenza loro; finalmente scuopre il frutto, che nasce dall'ineffabile carità sua, e da questa mutua osservanza d'ufficj di Pastori, e delle pecorelle, nelle quali cose tutte consiste la felicità Cristiana.

Entra dunque il Signore con questa parola: *Ego sum Pastor*. Poteva egli con parole, e proemio più formidabile intonare l'ubbidienza, che dobbiamo alla sua legge, come già fece quando la diede al Popolo d'Israele, congiungendo col primo precetto quelle parole: *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitates patrum in filios in tertiam, & quartam generationem* (*c*); ma, come è venuto a discacciare il timor servile, e introdurre ne' cuori nostri l'ubbidienza filiale, che sia radicata in amore e carità, lascia le minaccie, i nomi spaventevoli, ed usa quel nome, che più facilmente ci può dar notizia e memoria del suo amore: *Ego sum Pastor*; quasi dicesse: Come il buon Pastore raguna le pecorelle disperse, le regge e governa, le guida a i pascoli, le abbevera, le riduce alla mandra, le difende da i lupi e da ogni altra molestia, medica le piaghe loro, finalmente tutto è posto nella loro cura e custodia; così son io Pastor vostro, per esercitar con voi questi ufficj, ed eseguir le promesse, che vi ho fatte per Ezechiele Profeta: *Ego ipse requiram oves meas, & visitabo eas; quod perierat, requiram; quod abjectum erat, reducam; & quod confractum fuerat, alligabo; & quod infirmum fuerat, consolidabo; & quod pingue, & forte, custodiam* (*d*).

Ma

(*a*) *Ad Heb. V. v. 4.*
(*b*) *Joann. X. a v. 1. usque ad 16.*
(*c*) *Exod. XX. v. 5.*
(*d*) *Ezech. XXXIV. v. 11. & 16.*

Ma perchè previde il Signore, che molti dovevano essere nell' avvenire con nome ed ufficio di Pastore, i quali abbandonarebbero la carità pastorale, e quello scopo e fine, che sempre deve essere proposto a i veri Pastori della salute del suo gregge, come poco innanzi l' avea dichiarato Cristo in sua persona: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant* (*a*), parlando delle pecorelle sue; questi a guisa di mercenarj, anzi fatti mercenarj, poichè nell' ufficio Pastorale cercano non le pecorelle di Cristo, ma la lana ed il latte, le entrate, le dignità, gli onori, ed i comodi, de' quali si lamentava Dio per bocca di Ezechiele Profeta: *Lac comedebatis, & lanis operiebamini; & quod crassum erat, occidebatis; gregem autem meum non pascebatis* (*b*); e poco di poi: *Non quæsierunt Pastores mei gregem meum, sed pascebant Pastores semetipsos, & greges meos non pascebant* (*c*): Quando poi è bisogno resistere al Demonio, alli ministri, ed instromenti suoi; quando bisogna confondere, e disperdere le false dottrine, correggere i vizj, e con questi ufficj farsi odioso alle genti incantate ed accecate dal Demonio; quando bisogna portar la Croce, abbandonano il gregge in preda a i lupi spirituali, come ne rende testimonio, e la ragione Cristo nelle parole susseguenti dell' Evangelio: *Mercenarius autem, & qui non est Pastor, cujus non sunt oves propriæ* (*d*); [perchè non ha procurato lui di far come San Paolo, il qual dice: *Filioli, quos iterum parturio* (*e*), e altrove: *In Christo per Evangelium ego vos genui* (*f*).] *videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit; & lupus rapit, & dispergit oves. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus.* Misera condizione d' Uomini, che potendo lecitamente pascersi del latte, perchè è scritto: *Non ligabis os bovis terentis fruges* (*g*): e dice San Paolo: *Qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt; & qui Altari deserviunt, cum Altari participant. Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere* (*h*), potendo essi santamente mirare in quella mercede celeste, promessa a' buoni Pastori: *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui* (*i*), si perdono negli interessi di questo Mondo, e così risguardando principalmente la temporal mercede, si fanno di essa indegni, ed inabili all' eterna; però ad esclusione di questa sorte di Pas-

(*a*) *Joann. X. v.* 10.
(*b*) *Ezech. XXXIV. v.* 3.
(*c*) *Ibidem v.* 8.
(*d*) *Joannis X. v.* 12.
(*e*) *Ad Galat. IV. v.* 19.
(*f*) *I. ad Cor. IV. v.* 15.
(*g*) *Deuter. XXV. v.* 4.
(*h*) *I. Cor. IX. v.* 13. *&* 14.
(*i*) *Matth. XXV. v.* 23.

di Paſtori, aggiunge Criſto la parola *Bonus: Ego ſum Paſtor bonus*.

Veramente è buono Paſtor Criſto, ed ha dimoſtrato, ed eſercitato notabilmente la bontà, e carità ſua Paſtorale: *Bonus Paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis*. Queſta è la legge della perfezione Paſtorale, che ſpenda il Paſtor ſino la vita, ſe è biſogno, per la ſalute del ſuo gregge, e par, che non ſi poſſa fare più di queſto, perchè diceva Criſto altrove: *Majorem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis* (*a*); pure ha trovato modo l'ineffabile bontà ſua di eccedere queſta perfezione, che ha poſta la vita per gl'inimici; ha patito trentatrè anni in queſta vita tanti ſtenti, quanti ognun ſa, e finalmente la morte in Croce per la ſalute di un gregge ribelle e contumace; ed è ſtata volontaria e ſpontanea queſta dimoſtrazione, perchè egli ſteſſo la teſtifica nel teſto Evangelico, parlando della ſua vita: *Nemo tollit eam a me, ſed ego pono eam a me ipſo* (*b*), ed il Profeta Iſaia: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit* (*c*).

Volete conoſcere l'importanza di queſta carità di Criſto, ed inſieme ſcoprir maggiormente l'affettuoſo deſiderio, che avea Dio eterno della noſtra redenzione? Udite le parole, che dice Criſto più a baſſo: *Propterea me Pater diligit, quia ego pono animam*; poteva dir Criſto, perchè io ſono Sapienza del Padre, Figliuol ſuo *ab æterno*, ſplendor ſuo e figura della ſua ſoſtanza, ed egli in me e per me ha creato tutte le coſe; perchè fra lui, e me intercede indiſſolubile ed ineſplicabile legame d'amore, lo Spirito Santo terza Perſona della divina noſtra eſſenza, per queſto mi ama il Padre; ma laſciando tutto queſto da canto, dice: però mi ama, perchè io do la vita mia per la redenzione umana, conforme alla cauſa, che rende San Paolo della eſaltazione di Criſto: *Factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltavit illum* (*d*); e David Profeta: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput* (*e*).

Conſoliamoci qui noi Sacerdoti, e Paſtori, d'ogni vigilia e fatica, ſpeſe a beneficio del gregge di Criſto, che non ſaranno vane; poichè Criſto, che ha tanti altri meriti, riceve sì larga retribuzione di queſto ufficio.

Ma eſſo va più oltre ſcoprendo la carità ſua Paſtorale verſo il gregge: *Ego cognoſco oves meas* (*f*). Guardinſi i lupi rapaci, i frau-

 dolen-

(*a*) *Joann.* XV. v. 13.
(*b*) *Ibidem* X. v. 18.
(*c*) *Iſa.* LIII. v. 7.
(*d*) *Ad Phil.* II. v. 8. & 9.
(*e*) *Pſal.* CIX. v. 7.
(*f*) *Joannis* X. v. 14.

dolenti, gl' ippocriti, che pensano coprire la malizia sua con vestirsi abiti di pecorelle, perchè Cristo conosce le sue, dicea San Paolo: *Cognovit Dominus, qui sunt ejus* (*a*); non vede solo di fuori, ma penetra diligentemente sino a i pensieri occultissimi. Questo è ufficio di Pastori, indagar con ogni studio la vita e costumi, ad una ad una delle sue pecorelle; questo accennò Cristo poco innanzi, quando parlando pur dell' ufficio del Pastore disse: *Et vocat eas nominatim* (*b*).

In queste parole: *Cognosco oves meas*, c' insinua anche quella universal provvidenza, sollecitudine, e governo, che ha Dio del Mondo, la particolar protezione, che ha degli Uomini, de' quali non può perire un capello contra la volontà sua, i quali pasce, veste, e nutrisce, de' quali ha tanta cura, che sino gli Angeli, creature nobilissime, ha deputato al ministero e custodia loro. Non è conosciuta, in questa vita piena di tempeste, la paterna protezione, con la quale ci governa Dio e difende da innumerabili pericoli; come avviene, che i naviganti, mentre sono nel mar tempestoso, non attendono al magisterio, con il quale il Nocchiero va riparando all' impeto de' venti, ed agli altri pericoli della fortuna; ma quando poi, liberati da ogni timore, sono ridotti in porto, allora riconoscono la sollecitudine, la prudenza, e la diligenza del buon Nocchiero, che ha loro salvato la vita, e trattili fuori dalla pericolosa tempesta.

Un altro misterio più importante ci viene insinuato in queste parole: *Ego cognosco oves meas*, di quella nozione, che è ristretta solo alle buone pecorelle di Cristo, agli eletti Servi suoi; che sebbene conosce tutte quelle, che sono dentro al gregge nella cura, che ha di loro in assisterli perpetuamente, come ha promesso: *Ero vobiscum omnibus diebus usque ad consummationem seculi* (*c*), in illuminarle, in pascerle, per mezzo delle Scritture sante e de' Ministri suoi, di sana dottrina, e con li Santi Sacramenti, fra i quali per maggior dimostrazione dell'amor suo, ha dato loro sino la Carne e Sangue suo, in cibo e nutrimento spirituale delle Anime; tuttavia con uno special modo di protezione, e con una approbazione, si dice conoscere e risguardare le pecorelle, e gli eletti suoi, che così leggiamo nel Genesi: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus; Chain autem non respexit* (*d*): così dice David Profeta:

(*a*) *II. ad Tim. II. v. 19.*
(*b*) *Joannis X. v. 3.*
(*c*) *Matt. ult. v. 20. S. Leo Epist. XIV. & LXIX. ad Augustam, & Theodorum.*
(*d*) *Gen. IV. v. 4. & 5.*

feta: *Oculi Domini super justos* (*a*), e altrove: *Oculi Domini super metuentes eum* (*b*), *& oculi ejus in pauperem respiciunt* (*c*); e Maria Vergine disse: *Respexit Dominus humilitatem Ancillæ suæ* (*d*); e guai a quelli, che mentre sono in questa vita, non procurano di esser conosciuti da Cristo in questo Mondo, perchè nel giorno del giudicio sarà data loro quella ripulsa, che fu data alle Vergini stolte in testimonio della reprobazione di esse, con quelle parole: *Nescio vos* (*e*); e sebbene alcuno replicasse: *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? & in nomine tuo Dæmonia ejecimus? &c.* (*f*), saranno pur ributtati con la medesima sentenza: *Nescio vos. Discedite a me operarii iniquitatis* (*g*); e sarà questa sentenza inappellabile.

Ma torniamo alla carità di Cristo verso il gregge suo, e vediamo il terzo modo, nel quale l'ha esercitata. Dice Cristo nell' Evangelio: *Habeo alias oves, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere* (*h*). Già avea protestato Cristo: *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israël* (*i*); perchè dovea personalmente con la sua predicazione favorir quel Popolo, e poi per gli Apostoli divolgare l'Evangelio, e comunicare la Redenzion sua a tutto il Mondo, congiungendo in una sola fede, e salute la Giudea, e li Gentili. Però manifesta in queste parole l'ardentissimo desiderio suo di veder già eseguita questa liberalità della divina misericordia. Ponderate la parola *oportet*, e giudicate quanto gli pesa, quanto gli preme, quanto è stimolato dalla carità sua a questo ufficio di ridurre le pecorelle disperse all'ovile: *& illas oportet me adducere*. Volete più particolarmente contemplare questa carità? Immaginatevi di vederlo affannato e stanco, sedere a mezzo il giorno sopra il fonte di Giacob ad aspettar quella Samaritana (*k*). Udite il dialogo, che fa seco lei; riconoscete la carità, con la quale va riducendo quella pecorella a poco a poco al gregge; questa ardentissima carità lo spinge ad andare a cavare dalla sepoltura Lazaro quattriduano (*l*), in figura dell' affetto e desiderio, col quale procura di ridurre a casa sua anche quelle anime, che lungamente sono state sepolte nel peccato. E che maggior testimonio vogliamo di questa carità di Cristo, che noi medesimi? questa ci ha di olivastri, inseriti nella pianta buona, ci ha regenerati figliuoli di Abraam, ascritti nella gente santa, e popolo di

(*a*) *Psal. XXXIII. v. 16.*
(*b*) *Psal. XXXII. v. 18.*
(*c*) *Psal. X. v. 5.*
(*d*) *Luc. I. v. 48.*
(*e*) *Matt. XXV. v. 12.*
(*f*) *Matt. VII. v. 22.*
(*g*) *Lucæ XIII. v. 27.*
(*h*) *Joannis X. v. 16.*
(*i*) *Matth. XV. v. 24.*
(*k*) *Joann. IV. v. 6.*
(*l*) *Joann. XI. v. 7. & 11.*

acquisizione. E chi è di noi in particolare, che non senta ogni giorno, come Cristo arda di desiderio, ed in mille modi lo chiami con intime ed esterne vocazioni per ridurlo all' ovile celeste? Questo amore ineffabile, questa dolce necessità spiegata in quelle parole: *Et illas oportet me adducere*, che non ha però altro legame, nè altra legge, che la sua carità medesima, l' ha tratto dal cielo in terra. Averebbe potuto compiacersi d'esser servito dagli Angeli suoi, e lasciare il Mondo nella miserabile perdizione, nella quale era caduto per sua colpa; ma come amorevol Pastore (*a*), lasciò le novantanove pecorelle, e venne in questo deserto, in questa valle di miserie a raccogliere questa sola pecorella smarrita dell' umana natura, e toltala sopra le sue spalle, con infinita carità se l' ha riportata all' ovile; già che in esso, come Capo nostro, s'è impossessata questa natura umana del Paradiso. Or vedete, come ben ha empito i numeri della perfezione Pastorale questo eccellente nostro Pastore celeste, come bene gli conviene quel testimonio: *Ego sum pastor bonus*; poichè non ha lasciato, che desiderare, nè che immaginar si possa più della carità Pastorale.

Siaci lecito, Pastor supremo, passar dal fonte a i rivoli, dal Creatore alla creatura, dal Signore al servo, dal Maestro al discepolo, dalla carità tua far transito alla contemplazione di quella di Ambrosio, anzi alla tua medesima, esercitata con questo Popolo, per Ambrosio; veder, come egli ha ben seguito le regole, l' esempio tuo, come ti ha sempre servito nel ministerio suo Pastorale. Sappiamo, che non è ingiuria, ma gloria tua, che, come ti lodiamo in te medesimo, così ti celebriamo e commendiamo in questo favorito Servo tuo, vivo membro, e ministro, ed instromento tuo, nel quale, e per il quale in vita sua, e dopo morte, ti sei degnato mandare mille grazie e mille benedizioni a questo Popolo, ed al Mondo tutto. Per questo l'hai favorito, perchè s'eccitasse maggiormente la pietà Cristiana ad onorarlo, riverirlo, supplicarlo, e confidar nelle sue intercessioni teco; certissimi, che gli onori, le orazioni, che mandiamo a lui per mezzo suo sono rappresentate nel cospetto tuo, più cumulata e favoritamente; ed alla fine tutta l'eccellenza, tutte le laudi del dono si riferiscono e finiscono in gloria di te donatore ed autore d'ogni bene, e dispensatore di tutte le grazie.

Questo glorioso Santo ricordevole della prima regola Pastorale,

(*a*) *Luc. XV. v. 4. & seqq.*

rale, di non ſtimar la vita medeſima, ove ne vada il beneficio ſpirituale del ſuo gregge, non perdette mai occaſione di moſtrarſene oſſervantiſſimo: ſi oppoſe con il Clero ſuo nella Chieſa medeſima contra i Soldati del Conte Stilicone, facendo giro intorno ad un povero fuggitivo con evidentiſſimo pericolo della vita ſua, per difenſione dell' immunità Eccleſiaſtica, e fu da Dio favorita mirabilmente quell'opera, e ſanto zelo ſuo(*a*). Quanti inſulti, quanta violenza, quante inſidie gli furono ordite dalla rabbia di Giuſtina Imperatrice Ariana(*b*), quante minaccie di eſilio, di tormenti, di morte gli furono fatte da Lei, e dal Figliuolo? ed egli intrepidamente poſpoſe ogni coſa alla conſervazione, ed augumento della Fede Cattolica nel ſuo gregge, ad eſtirpazione ed eſterminio della ſetta Ariana. Udite, con che libertà s' opponeva a i Soldati di Valentiniano, i quali per ordine dell' Imperatore volevano a tutti i modi, ch' egli concedeſſe una Chieſa agli Ariani, riferita da lui in una epiſtola ſcritta a ſua Sorella Marcellina: *Quæ Dei ſunt, Imperatoriæ Majeſtati non ſunt ſubjecta. Si patrimonium petitur, invadite; ſi corpus, occurram; vultis in vincula rapere? vultis in mortem? voluptati eſt mihi. Non ego me vallabo circumfuſione Populorum; neque Altaria tenebo, vitam deprecans, ſed pro Altaribus gratiùs immolabor* (*c*); ed un' altra volta: *Abſit, ut ego tradam hæreditatem Chriſti, hæreditatem Dionyſii, hæreditatem Miroclis &c. prius eſt, ut animam auferat, quàm Eccleſiam* (*d*). Ben ſi può gloriare lui con David Profeta: *Loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu Regum, & non confundebar* (*e*). Chi può immaginarſi la virtù e coſtanza, con la quale ſcacciò Teodoſio Im-

(*a*) Præſtat illuſtre hoc Eccleſiaſticæ fortitudinis exemplum, a S. Ambroſio editum, verbis Paulini deſcribere in vita ejuſdem n. XXXIV. „ Per idem tempus (ideſt anno CCCXCVI.) cùm „ Conſulatus ſui tempore Imperator Honorius „ in Urbe Mediolanenſium, Lybicarum fera„ rum exhiberet munus, populo illuc concur„ rente, data copia eſt miſſis Militibus tunc ab „ Stilicone Comite, hortatu Euſebii Præfecti, „ ut Creſconius quidam de Eccleſia raperetur; „ quem confugientem ad Altare Domini, San„ ctus Epiſcopus cum Clericis, qui in tempore „ aderant, defendendum circumdedit. Sed mul„ titudo Militum, quæ Duces ſuos habebat de „ perfidia Arianorum, prævaluit adversùm „ paucos, atque, ablato Creſconio, exultantes „ ad Amphitheatrum revertuntur, Eccleſiæ luc„ tum non modicum relinquentes; nam Sacer„ dos proſtratus ante Altare Domini, factum „ diu flevit. Sed in tempore cùm revertiſſent, „ & renunciaſſent iis, a quibus fuerant deſtinati „ Milites, dimiſſi Leopardi ſaltu celeri ad eum„ dem locum, in quo ſederant, qui de Eccleſia „ triumphabant, adſcendentes graviter lania„ tos reliquerunt. Quod ubi vidit tunc Stilico „ Comes, pœnitentià motus eſt, ita ut per mul„ tos dies ſatisfaceret Sacerdoti, & illæſum qui„ dem illum, qui ablatus fuerat, dimiſit: ſed „ quia graviſſimorum criminum erat reus, & „ aliter emendari non poterat, ad exſilium de„ ſtinavit, non multo poſt indulgentia proſe„ quente.

(*b*) *Theodoretus lib. V. cap. XIII. Hiſt. Eccl. Niceph. lib. II. cap. XIX.*

(*c*) *Ambr. Epiſt. XXXIII. lib. V.* Legitur hæc in Epiſtolarum claſſe I. ſub num. XX. juxta editionem Pariſiis adornatam a Benedictinis Monachis S. Mauri.

(*d*) In Sermone de Baſilicis tradendis §. 18. Maurini Patres in hoc Sermone legunt: *Prius eſt, ut animam mihi, quàm fidem auferat.*

(*e*) *Pſal. CXVIII. v. 46.*

Imperatore dalla Chiesa (*a*), lo scomunicò, lo tenne per otto mesi (*b*) in continue lagrime, e penitenza? Lo scacciò poi da i cancelli Sacerdotali; scomunicò Massimino (*Massimo*), che tirannicamente avea occupato l'Imperio (*c*); impedì, che non si rifacesse la Sinagoga de' Giudei, e Valentiniani da un Vescovo, prima con epistole all' Imperatore, nelle quali erano queste parole fra le altre cose: *Si indignus sum, qui a te audiar; indignus sum, qui pro te offeram, cui tua vota, cui tuas committas preces; paratus denique sum pro hoc negotio mortem subire* (*d*). Poi alla presenza con la viva voce, nel qual tempo non volle andare all' Altare, prima che dall' Imperatore gli fosse data la fede, che non sarebbero più molestati li Monaci, che avevano abbruciata quella Sinagoga in Oriente (*e*).

Ma passiamo a vedere, come ha soddisfatto alla seconda regola Pastorale: *Ego cognosco oves meas*, al qual capo si riferiscono tutte le dimostrazioni, che ha fatte di diligentissima cura, provvidenza, e custodia, e sollicitudine nel reggimento del suo Popolo, nel qual ufficio non era mai stanco di travagliar giorno e notte, ora scrivendo, ora insegnando e predicando, ora orando, ora ascoltando, ora intercedendo nelle cause de' miserabili, ora amministrando i santi Sacramenti, ora formando e instaurando i riti, e le cerimonie Ecclesiastiche a ornamento e splendore di questa Chiesa di Milano, i quali instituti vivono oggidì, e rendono buona testimonianza delle fatiche, de' studj, della pietà sua in questa parte. Scrive Paolino Vescovo Nolano (*f*), allora suo Diacono, che a pena bastavano

vano

(*a*) Aono CCCXC. post cædem Tessalonicensem ipsius jussu patratam.

(*b*) Nempe ab Aprili mense osque ad Natalitiam solemnitatem, in qua admissus tandem fuit ad sacram Synaxim, Theodoreto referente.

(*c*) Baronius io Annalibus Ecclesiasticis ad anno CCCLXXXVII. censuit, Maximum Tyrannum non fuisse anathemate perculsum, sed Sanctum Ambrosium in secunda Legatione, quam rogantibus Justina, & Valentiniano juniore ad eundem suscepit, abstinuisse solummodo a Maximi, & Episcoporum, qui ipsi adhærebant, communione. Attamen clarè nimis loquitur Paulinus, ejusdem vitæ Scriptor, his verbis: *Ipsum verò Maximum a communionis consortio segregavit, admonens, ut effusi sanguinis Domini sui* (Gratiani Imperatoris), *&, quod est gravius, Innocentis, ageret pænitentiam, si sibi apud Deum vellet esse consultum*. Idem sentiunt Godefridus Hermantius in Vita hujus Sanctissimi Antistitis, Gallicè scripta, & Monachi Maurini in notis ad Epistolam XXIV. quam Ambrosius redux a Legatione dedit Valentiniano Imperatori.

(*d*) Legitur hæc Epistola, scripta sub finem anni CCCLXXXVIII. ad Theodosium Imperatorem, in classe I. Epistolarum oum. XI.

(*e*) Desumpta hæc suot ex Vita S. Ambrosii a Paulino conscripta num. XXII. & XXIII. Sermonem autem, quem habuit in Ecclesia coram Imperatore, inseruit S. Ambrosius Epistolæ XLII. ad Marcellinam Sororem.

(*f*) Invaluerat per eam ætatem opinio, Scriptorem Vitæ S. Ambrosii fuisse S. Paulinum Nolæ Episcopum, qui èt ipse in Clerum Mediolanensem admissus fuerat sub S. Ambrosio, ac Diaconl officium gerebat. Verùm certò jam constat, Vitæ hujus Auctorem alterum extitisse Paulinum S. Ambrosii Notarium, qui Presbyter postmodum factus, atque a S. Venerio Mediolani Episcopo io Africam missus, agregia edidit sanctimoniæ, & Doctrinæ exempla, scribens contra Cœlestium Pelagii Discipulum, quemadmodum adnotat Pagius in Critica Baroniana ad annum CCCXCVII. num. XXI. Verba autem Paulini hæc sunt sub num. XXXVIII. „ Io re-

„ bus

vano cinque Vescovi dopo la morte sua a supplire alle fatiche, che egli solo faceva vivendo, nelle amministrazioni del Battesimo, ed altri Sacramenti.

Ebbe tanta cura de' poveri, che nel principio del suo Sacerdozio e Pontificato, loro diede tutti gli argenti, e cose preziose, che si trovava; nel progresso, quando ne vide la necessità estrema, non perdonò anche a i calici, e sacri vasi, ed altri tesori, come quello, che era constituito da Dio fedele dispensatore e de i temporali, e de i spirituali beni di questa Chiesa. Finalmente in morte, riservato l'usufrutto a sua Sorella per la vita sua, ebbe cura ancora de i poveri, non volendo altri, che loro, eredi del suo patrimonio (*a*), conforme alla voce, che già avea pronunciato, degna di buon Pastore: *Omnia mea pauperum sunt*. In somma accomodando con ogni studio i rimedj necessarj ed utili, alla salute e progresso spirituale del suo gregge, mostrò con quanta sollecitudine attendesse a conoscere ed intendere minutamente lo stato, ed i bisogni, e le azioni tutte di ciascuna pecorella sua, e di poter dir con Giacobbe in occasione delle fatiche, e vigilanza sua Pastorale: *Die, noctuque æstu urebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis* (*b*).

Non è possibile immaginarsi con quanta carità osservasse ed esercitasse il terzo ufficio de' Pastori, spiegato in quelle parole: *Oportet me adducere alias oves*, come fosse studioso di congregare, riunire, e rivocare dagli errori le pecorelle disperse. Dicane testimonio il buon Padre Agostino (*c*), che come pecorella vagabonda andava peregrinando nelle dottrine forastiere e false, nè sapeva trovar quiete o riposo all' intelletto suo, nè veder la porta dell' ovile di Cristo, finchè dalla carità d' Ambrosio non vi fu introdotto con frutto non solamente di quella anima, ma del Mondo tutto. Ditelo voi medesimi, dalle fatiche e vigilanza di questo Santo Pastore restituiti, e ridotti nel gregge della Santa Chiesa, dal quale gran parte di voi era smarrita a que' tempi ammorbati dalla infezione Ariana, il cui progresso era stato incredibilmente ajutato dall' empio Ausenzio, allora Vescovo qui, e seduttore di questo Popolo, al quale successe Ambrosio Santissimo Pastore. Dicalo Paolino, che racconta, che erano udite da Ambrosio le confessioni de' peccatori con tanta

„ bus etiam Divinis implendis fortissimus in „ tantum, ut quod solitus erat circa baptizandos solus implere, quinque postea Episcopi, „ tempore, quo decessit, vix implerent.

(*a*) Narrat hæc omnia Paulinus in Vita S. Ambrosii.

(*b*) *Gen. XXXI. v. 40.*

(*c*) Hoc testimonium dat Augustinus in epist. ad Casulanum, & in fine lib. I. de nupt. & concup. Hoc idem Possidius Augustini discipulus in ejus vitâ.

tanta carità, che ſpargendo egli abbondantiſſime lagrime in quell' atto ſopra le miſerie de' peccati loro, inteneriva, ed ammolliva per forza in un certo modo anche i cuori duriſſimi; riduceva quelle anime alla vera contrizione, dalla quale erano lontaniſſime, quando ſi preſentavano a i piedi ſuoi.

Ma che andiamo cercando le dimoſtrazioni paſſate della carità ſua, ſe ancora vive, ancora produce frutti mirabili ſopra queſto Popolo? Son finite le fatiche, i diſagi, i pericoli, che ha ſoſtenuto per voi Ambroſio; ma la ſollecitudine, la cura, la protezione è più che mai viva; ancora con i ſcritti ſuoi, con gl' inſtituti ſanti, che ha laſciato qui, con li meriti paſſati, e con le gratiſſime orazioni, che continuamente offeriſce a Dio, vi paſce, vi governa, vi cuſtodiſce, vi difende, e ad eſempio del buon Mosè, che con le orazioni ſue talmente riteneva l' ira di Dio contra il Popolo Iſraelitico, che egli gli diceva: *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos* (*a*); ritiene, ed impediſce i flagelli di Dio, già vicini aſſai, che non arrivino ſopra queſto Popolo, che li ha tanto procacciati con i peccati ſuoi. E però convenientiſſimamente, come buon Diſcepolo di quel Maeſtro, al qual ſolo ſi dovea quella confeſſione: *Ego ſum Paſtor bonus*; meritò da Teodoſio piiſſimo Imperatore quel teſtimonio: *Non inveni dignum Pontificem, niſi Ambroſium* (*b*).

Grandi titoli ſono queſti di Paſtor buono, di Pontefice degno; grandi ſono anche le fatiche, i ſudori, le vigilie, lo ſpargimento del ſangue, con i quali ſono acquiſtati; e tutto queſto è conſecrato alla ſalute, alla felicità delle noſtre anime: e noi Paſtori, e Sacerdoti; voi Magiſtrati, Padri, e Madri di famiglia; voi tutti, che in qual ſi voglia modo avete cura e governo d' altri; anzi Criſtiani tutti, che tutti per ora mi giova di chiamarvi in un certo modo Paſtori, come tutti ſiete obbligati ad ajutare il buon progreſſo ſpirituale delle anime di que', che ſono nel governo voſtro, e attendere diligentiſſimamente alle voſtre medeſime, procurando, che i ſudditi, i figliuoli, i ſervitori vivano con buone arti, piglino buone erudizioni, creſchino nel timor di Dio, abbondino

nelle

(*a*) *Exod. XXXII. v.* 10.

(*b*) Theodoretus Hiſt. Eccleſ. Lib. V. Cap. XVIII. poſtquam retulit, Theodoſium, cùm intereſſet ſacrificio, & ad Altare oblationem ſuam detuliſſet, remanſiſſe intra cancellos Presbyterii: Ambroſium verò miſiſſe ad illum, qui eum moneret, ſolis Clericis in iſto loco fas eſſe conſiſtere, & his monitis illico paruiſſe Imperatorem, ſubjungit, eundem Principem non longo poſt tempore, cùm in Baſilica Conſtantinopolitana invitaretur a Nectario, ut Altaris ſepta ingrederetur, hanc vocem emiſiſſe, Antiſtiti noſtro tam glorioſam: *Epiſcopum, excepto Ambroſio, novi neminem.*

nelle virtù Cristiane; i proprj affetti, le passioni, i sentimenti esteriori siano tutti ben custoditi, e governati dalla ragione, e carità Cristiana; voi tutti chiamo oggi in giudicio: parvi, che si debba far sì poca stima dell'anima, come facciamo? Se avessimo in una via difficile, e pericolosa di cadere, in un vaso di vetro il prezioso Sangue di Gesù Cristo con tutto il tesoro de' meriti de' Santi servi suoi, non andaressimo noi con un timore inestimabile, ed avvertimento grandissimo per non rompere quel vaso, e perdere quel tesoro preziosissimo, che vi fosse dentro? Qual via è più difficile e pericolosa di questo Mondo, per il quale camminando ciascuno di noi, nel vaso di questa carne ed umanità nostra fragilissima, facilissima a rompersi e cadere ne i peccati, porta l'anima, della quale fa più stima Cristo, che non ha fatto del suo Sangue, per la quale ha offerto e le fatiche, ed i martirj de i Servi suoi, e se medesimo? Dunque siamo buoni Pastori, seguendo le vestigia sue, e del nostro Ambrosio; per la salute spirituale dell' Anima poniamo e la vita, e gli onori, e le ricchezze, e le comodità di questo Mondo; custodiamola con quella sollecitudine, cura, e diligenza, che ricerca la dignità sua, acquistata col Sangue di Cristo. Sia sempre impresso nella memoria nostra quel terzo ufficio Pastorale: *Oportet me adducere;* è necessario ufficio mio di ridurre quest' anima all' ovile di Cristo, che per lei è morto. Quando si ribella la carne, e non vuol portare il giogo della mortificazione sua; quando siamo stimolati dalle proprie passioni alle ingiurie ed alle vendette, alle rapine, alle carnalità; quando mormorano i ministri del Demonio, a che tanta strettezza? tante riforme? quando vi adula il Mondo con quelle velenose lusinghe; Dio vuol pur che io goda questa vita; la legge di Cristo è legge di libertà: date bando ad ogni cosa con questa parola Pastorale: *Oportet me adducere;* ricordiamoci del precetto dato a' Pastori in persona di Timoteo da San Paolo: *Argue, obsecra, increpa* (*a*), e di quel che dice Cristo: *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud* (*b*). Ubbidiamo interamente alle instruzioni, che oggi dà Cristo nell' Evangelio Dominicale agli Apostoli suoi, quando li manda, perchè conducano a lui quell' Asina col Puledro suo, figura dell' acquisto, che voleva facessero della Giudea, e delle genti al suo ovile: *Adducite mihi, & si quis vobis aliquid dixerit, dicite: Dominus his opus habet* (*c*), così rispondiamo noi a tutte le tentazioni: il Si-

(*a*) *II. ad Timot. IV. v. 2.* | (*b*) *Matth. XI. v. 12.* | (*c*) *Matth. XXI. v. 2. & 3.*

il Signore vuole per se quest'anima, la quale ha creata e redenta, perchè serva alla sua gloria.

Con questa armatura, con questa ferma deliberazione, Figliuoli, accompagnate la osservanza di quella corrispondenza, che Cristo Pastor nostro supremo ricerca dalle pecorelle sue nel Testo Evangelico, dove sono gli ufficj, che vuole Cristo dalle sue pecorelle; imperocchè quando ha detto: *Ego cognosco oves meas*, soggiunge, *& cognoscunt me meæ;* e poco dappoi, *& audiunt vocem meam.* Bisogna dunque, che conoscano Cristo, ed ubbidiscano alla voce sua. Questa cognizione non basta, che arrivi a quel grado d'intendere i misterj suoi, come ci dà la fede morta; ma conviene, che sia viva, e che per carità produca operazioni degne di vita nell'osservanza della legge divina; perchè, come diceva S. Gioanni: *Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est* (a); e Cristo, il quale, dopo le parole *Ego cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ*, subito soggiunge: *sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem*, mostra, che siccome la cognizione, che mutuamente intercede tra lui, ed il Padre, è cognizione affettuosa, piena d'amore; così conviene, che sia quella delle pecorelle sue verso di lui, tutta ridondante di viva carità. Anzi desidero in voi quello eccellente grado della cognizione di Cristo, al quale solo s'arriva col mezzo della carità istessa, e dell'amore. Parvi nuovo, che dall'amore nasca la cognizione, perchè è contra le regole ordinarie de' Filosofi? Non sapete, che i Cherubini, de' quali è proprio il dono delle scienze, sono illuminati in queste scienze da Dio, per mezzo de' Serafini, de' quali è proprio dono l'ardere nella carità ed amore di Dio? Ma ve ne darò un esempio basso. Come il gustare il mele, dà più intera e perfetta cognizione della dolcezza sua, che non può far qualsivoglia altro modo di cognizione, che sia preceduto; così si conosce più perfettamente Cristo dalle anime, quando elle si uniscono seco, e lo gustano per amore, che non hanno potuto conoscere per qualsivoglia grado di fede, che in loro sia preceduto all'amore. Però diceva David: *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus* (b), prima gustate, poi vedete; perchè la cognizione della soavità e della dolcezza di Cristo nasce dal gusto, che ne abbiamo per lo amore. Gustate dunque Cristo ne' santi Sacramenti, nelle parole sue, nella conversazione, per mezzo delle orazioni e meditazione santa, e lo conoscerete pieno di dolcezze e consolazioni tali,

(a) I. Joann. II. v. 4. | (b) Psal. XXXIII. v. 9.

tali, che non possono nè spiegarsi, nè immaginarsi, nè intendersi da chi non ne ha fatto prova. E perchè non possano essere sturbati questi gusti, siate diligentissimi anche nel secondo ufficio delle pecorelle buone, che consiste in ascoltare ed ubbidire alla voce di Cristo, il quale vi parla ora dentro al cuore, ora fuori con le visite sue, e con la voce de' suoi Pastori, a i quali ha detto: *Qui vos audit, me audit* (a).

Beate voi pecorelle, beati voi Pastori, se di questo modo corrisponderemo mutuamente negli ufficj nostri alla perfettissima carità Pastorale, che ha esercitato verso di noi Cristo e per se medesimo, ed in questo vivo membro e ministro suo Ambrosio; perchè, e noi Pastori saremo partecipi di quella dilezione del Padre, con la quale ha rimunerato la bontà Pastorale di Cristo: *Propterea me diligit Pater* (b), e voi della beatitudine, che promise Cristo a quelli, che ascoltano ed ubbidiscono alle parole sue: *Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud* (c), e di quella perfetta cognizione di Cristo, nella quale consiste la felicità eterna: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum* (d). A queste mutue corrispondenze seguirà il frutto, che oggi promette Cristo nell'Evangelio: *Fiet unum ovile, & unus Pastor*.

Già non è altro, che un ovile della Chiesa Santa. *Credo unam Sanctam Catholicam Ecclesiam*, dice il Simbolo, della quale è capo e Pastor principale Cristo, e suo Vicario universale in terra il Pontefice Romano, sotto al quale poi sono subalterni tutti gli altri Pastori particolari; ma perchè placata l'ira di Dio contra i peccati nostri, e levati i scandali nostri, si darà grande occasione ed ajuto a racquistar molte pecorelle dalle mani de' lupi eresiarchi, che ora se ne stanno fuori dell'ovile, e come vagabonde vanno inventandosi questa Chiesa invisibile a lor modo qui, e lì, dove più si compiace l'insania loro: *Fiet unum ovile*, cioè con la lor riduzione si estingueranno le conventicole, le separazioni, i scismi, le Chiese immaginarie, e si riconoscerà per Madre, ed ovile comune questa sola vera Chiesa. *Fiet unum ovile* anche fra quelli, che già vi sono dentro, perchè ora altri con le operazioni corrispondendo alla fede di che fanno professione, la confessano anche coi fatti; altri no: onde con l'osservanza di questa dottrina Evangelica, questi anche si anderanno riducendo a conformarsi, ed in parole ed in fatti,

(a) *Luc. X. v. 16.*
(b) *Joann. X. v. 17.*
(c) *Luc. XI. v. 28.*
(d) *Joann. XVII. v. 3.*

a quegli altri ; e si farà un solo ovile uniforme e corrispondente : *Fiet unum ovile*. Finalmente perchè essendo questa Chiesa parte trionfante in Cielo, parte militante in terra, alla fine, fatta la separazione delle pecorelle da i capretti, esse si ridurranno all'ovile celeste; non vi saranno più due parti di questa Chiesa, ma una sola trionfante, un solo ovile, nel quale pasceranno insieme gli Angeli, e gli Uomini, sotto un solo Pastor Cristo: *Et unus Pastor*, perchè là non sarà più bisogno degli altri Pastori ; essi ancora saranno pecorelle, ed insieme con le altre saranno pasciute da Cristo in quei pascoli dolcissimi della visione e fruizione Divina, promessa da Dio per Ezechiele Profeta : *Ego pascam oves meas*, *& accubare eas faciam*, *dicit Dominus Deus* (*a*); *in pascuis uberrimis pascam eas*, *& in montibus excelsis Israël erunt pascua earum ; ibi requiescent in herbis virentibus*, *& in pascuis pinguibus pascentur super montes Israël* (*b*). O che abbondanza, o che ricchezza, o che sazietà senza fastidio sarà in quell' ovile, ove Cristo medesimo sarà e Pastore, e pascolo, e fonte indeficiente per appagare tutta la nostra sete ; egli medesimo, *discumbere eos faciet*, *& transiens ministrabit illis* (*c*) in tutti i secoli de' secoli. *Amen*.



HO-

(*a*) *Ezech. XXXIV. v.* 15. | (*b*) *Ibid. v.* 14. | (*c*) *Luc. XII. v.* 37.

HOMILIA IV.

DE

SANCTO STEPHANO

Habita in ipſius Baſilica Mediolani

ANNO MDLXVII. XXVI. DECEMBRIS.



ER ſollevare e ſoſtenere la fiacchezza ordinaria di queſta noſtra inferma natura, ardita ad ogni altra coſa più, che alle impreſe Criſtiane, giova mirabilmente, che con la vita di Criſto perfettiſſimo eſemplar noſtro ſia ſpeſſe volte rinnovata nelle meditazioni noſtre la memoria delle paſſate azioni, e de' trionfi glorioſi delli Santi ſervi ſuoi; perchè, come naturalmente l'occhio infermo, quello maſſimamente, che ha prima dimorato un pezzo nelle tenebre ed aria oſcura, più facilmente s'affiſſa nelle ſtelle, e negli altri lumi minori, che non ſarebbe in un ſubito nel Sole, l'eccellenza del quale non può eſſere, che non l'abbaglj; così l'anima Criſtiana con l'occhio ſpirituale infermo per natura, e tanto maggiormente, quanto più lungamente s'è abituato nelle tenebre de' vizj ed orrori de' peccati, nell'oſcuriſſima notte di queſto cieco Mondo, non è atta in un ſubito a contemplare intimamente l'eccellenza delle virtù di Criſto, nè ad abbracciarla con lo ſtudio dell'imitazione, ma vi ſi accomoda più facilmente a poco a poco, mentre va mettendoſi innanzi i lumi minori delle operazioni virtuoſe de' Servi ſuoi: la quale contemplazione tanto più ci è neceſſaria, quanto che ſenza di eſſa, il Demonio fraudolentemente piglia occaſione dalla perfezione di Criſto di procurar d'indurci, ſe non in diſperazione, almeno in grande puſillanimità e diffidenza di poterlo imitare e ſeguire; con queſto paragone, che noi ſiamo uomini puri, eſſo fu Dio e Uomo inſieme; non ci laſciando vedere, che altre

ſono

sono le operazioni, ch' egli ha fatto in terra, come Dio, ed in queste saressimo temerarj, se presumessimo di seguirlo; altre sono quelle operazioni, che ha fatto, come Uomo per informar con la vita ed esempio suo, i costumi e le operazioni nostre, ed in queste dobbiamo studiare di seguirlo ed imitarlo, quanto possiamo con l'ajuto suo. Ma sia come si voglia; resta confusa ogni diabolica suggestione in questo proposito, quando ci mettiamo dinanzi agli occhi le virtù, la bontà, le maraviglie, la perfezione de' Servi di Cristo; è forza, che si confortino, e prendano animo i Cristiani, quando dicono fra se medesimi: questi furono servi, come noi, puri uomini, come noi, nati in peccato, come noi, e molti di loro forse in questa vita caduti più volte in peccati attuali, come noi; e pur la divina Misericordia gli ha sublimati a tanto grado di grazia, a tante vittorie, a tanta eccellenza, a tanta conformità col suo Signore.

Questa consolazione più segnalatamente riceviamo nella meditazione delle azioni de' Martiri fra tutti gli altri Santi, come quelli, che con singolar modo si sono conformati alla passione di Cristo, nella quale sono fondate tutte le speranze della salute nostra; oltre che, quanto naturalmente l'uomo preferisce la vita istessa, e la conservazione dell'esser suo alla conservazione di qualsivoglia cosa, che si possa aggiungere a questo essere, ed alla vita, come sono le comodità, li piaceri, le ricchezze, gli onori, e questi altri, che si chiamano beni esterni; tanto pare, che sia più ammirabile, ed abbia maggior forza nella consolazione e conforto nostro in questa misera vita, l'esempio di quella virtù Cristiana, che anno esercitato i Servi di Dio nel disprezzo della vita propria, che non gli esempj di quei, che per Cristo anno disprezzato qualsivoglia di questi beni esterni del Mondo.

Grande efficacia deve aver nei cuori nostri l'esempio delle Vergini, degli Eremiti, de' Monaci, de' Sacerdoti, e de' Pastori delle anime, e di tutti gli altri eletti, li quali per purità della vita, per la contemplazione delle cose Divine, per il gusto de' sacri studj, per la carità verso il gregge di Cristo anno bandite le delizie della carne, mortificati i corpi suoi, dispensate a' poveri le ricchezze, abbandonate le case, i parenti, gli amici, le grandezze, gli onori, ed il Mondo tutto.

Ma per animarci al disprezzo d'ogni cosa per Cristo, per tenerci ristretti con lui per carità talmente, che nè morte, nè vita,
nè

nè tempo, nè creatura di questo Mondo, nè Angelo ce ne possa mai separare, giova incredibilmente la contemplazione frequente di quelli Servi di Cristo, che per lui anno dato la vita ed il sangue, nello spargimento di cui vedevano in un certo modo il distruggimento dell'esser suo, quanto al corpo, se non fosse stata la speranza della Risurrezione, che sopra la natura dava loro il lume divino.

Fra tutti li Martiri poi è illustre Stefano, come primizia ed antesignano di tutti gli altri Martiri; come onorato da Dio di segnalatissimi testimonj; come quello finalmente che per proprio studio dalla parte sua, e per singolar favore dal canto della divina provvidenza, ha quasi ritratte le persecuzioni, le passioni di Cristo nel suo martirio, come vi faremo vedere, con l'ajuto di Dio, oggi, che è il giorno, nel quale la Chiesa Santa fa solenne memoria del martirio, e celeste natale suo.

Questo stolto Mondo ama ed ambisce sedere ne' primi luoghi, conseguire i primati nelle Cattedre degli onori, delle dignità transitorie, de' favori delle Corti, delle salutazioni nelle piazze. Altro primato contende, ed ottiene questo glorioso atleta Stefano, che è il primato di spargere il sangue per confessione e testificazione del nome di Cristo, che l'ha sparso per lui, e per il Mondo tutto; ad esso con molta pietà s'accomoda da antichissimi Padri, e dal giudicio della Chiesa nostra Ambrosiana (*a*) il significato di quel primo pesce preso nella rete di Pietro, trovato con il didragma in bocca, che per se stesso e per Cristo paga Pietro agli Esattori del Censo, secondo l'istoria Evangelica (*b*), che oggi si recita; perciocchè Stefano è il primo, che preso dalla predicazione e dottrina di Pietro, e dagli altri Santi Apostoli constituiti da Cristo pescatori degli uomini condotto al lido dell'eterna felicità, comparisce nel conspetto di Dio con il didragma in bocca, cioè con la duplice confessione e testimonianza della fede e nome di Cristo, della Divinità ed Umanità sua, la qual confessione ha autenticata col Sangue suo, e l'offerisce, come censo, a Dio eterno Re delli Re, e Signore de' Signori, parte a beneficio della sua Anima, ed acquisto della sua corona e palma nel Cielo; parte la ripone nell' infinito tesoro da Cristo donato alla sua Chiesa santa de' meriti cumulati a beneficio di essa, da esser dispensato secondo i bisogni da Pietro

(*a*) Sanctus Ambrosius lib. de Virginitate cap. XVIII. num. 119. editionis postremæ Parisiensis. Sanctus Hilarius in Matt. cap. XVII. & Sanctus Thomas in Commentario ad eundem locum.

(*b*) *Matth. XVII. v. 23. & seqq.*

Pietro Vicario di Cristo in terra, e da' legitimi successori suoi. Felici primizie sono queste di Stefano, che essendo discepolo degli Apostoli li previene nel martirio, e nel sacrificio della sua morte a Cristo, ed in conseguenza è precursore a loro nel Paradiso. Queste sono primizie de' frutti gloriosi della Croce di Cristo, e della venuta sua al Mondo; in esse scopriamo manifestamente, come Cristo nella passione sua, e nel duello, che ha fatto in questo steccato del Mondo col Demonio, non solamente l'ha spogliato esso, come capo nostro, del possesso, che avea sopra il Mondo, conforme a quello, che ne avea predetto: *Nunc Princeps hujus Mundi ejicietur foras* (*a*); ma talmente ha indebolite le forze sue, ed accresciute le nostre, che noi ancora come membri suoi nella virtù, che ci s'influisce dal capo, possiamo e combatter seco, e vincerlo; onde convenientissimamente è trasferita la solennità di questo trionfo di Stefano sopra della morte e del Demonio, dal giorno terzo di Agosto, al giorno della Invenzione del suo Corpo, che immediatamente siegue la Natività del Signore (*b*), perchè vediamo e riconosciamo queste vittorie di Stefano dalla virtù del nascimento, della vita, e morte di Cristo, e conforme a questa dottrina, che abbiamo nelle primizie del martirio, ci governiamo nell'onore e nella celebrazione di tutti i Martiri, che anno seguito Stefano, come Antesignano suo

(*a*) *Joan. XII. v. 31.*

(*b*) Qua die Sanctissimus Protomartyr Stephanus, lapidibus obrutus, gloriosè pro Christo sanguinem fuderit, quove mense, aut anno inventum fuerit atque translatum ejusdem Corpus, variæ inter eruditos viros ferbuere disputationes. Petrus Galesinius in Commentariis ad suum Martyrologium, eandem, quam in hoc Sermone Sanctus Carolus innuit, opinionem propugnavit his verbis: *Porro hoc die, qui est III. Nonas* (Augusti) *Beatus Stephanus Martyrium pertulit, ùt cognosci potest ex Latinorum, & Græcorum Literis; sed ob multas rationes, quas & Siccardus, & Bellethus, & Durantius scribunt, Ecclesia Martyrii celebritatem transtulit ad VII. Kalendas Januarii, quo die sacræ illius Reliquiæ, inventæ translatæque sunt.* Non ita sensere celebriores alii Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores, Baronius, Labbeus, Husserius, Tillemontius, qui concordes tradunt, Martyrium S. Stephani contigisse sub finem anni ejusdem, quo Christus Cœlos ascendit. Joannes verò Baptista Solerius in adnotationibus ad Martyrologium Usuardi, Tom. II. supplementi ad mensem Junii in Actis SS. Bollandi, diem XXVI. Decembris huic celebratissimo natali statuit *ex receptissima totius Ecclesiæ sententia, quæ hunc diem a S. Augustini ætate, ùt verum inclytissimi Stephani Natalem, seu Martyrii aut sepulturæ diem, constantissimè celebravit*, atque antiqua monumenta profert, apertè id testantia.

Quod verò spectat ad Inventionem sacri Corporis, certum est ex narratione Luciani Presbyteri, cui divinitus facta est revelatio ejusmodi reliquiarum, peractam esse die XIX. Decembris Anno CCCCXV., Honorii Imperatoris XXI. (non VII. ùt in antiquis etiam Martyrologiis Adonis, Usuardi, & aliorum legitur). Cur autem die III. Augusti passim in Ecclesia celebretur illustris memoria prædictæ Inventionis, Baronius conjecturam illam approbat, quam ei olim suggesserat præstantissimus in Ecclesiastica eruditione D. Antonius Gemnius; quòd nempe ab antiquissimo tempore, Anconæ in Italia ageretur die III. Augusti solemnitas in honorem Protomartyris Stephani, ob unum ex lapidibus, quibus in brachio percussus est, illuc allatum: Cùmque post Inventionem ejusdem Reliquiarum, teste S. Augustino, subsecuta ibidem fuerint quamplura miracula, affixa quoque sit eidem diei memoria Inventionis sacri Corporis, propagatâ in alias etiam Ecclesias celebritate. Bollandi Sectatores in prætermissis ad diem III. Augusti spondent, se de hisce omnibus sermonem accuratum instituturos, cùm præclarissimum Opus de Actis SS. ad diem XXVI. Decembris pervenerit.

ſuo in queſta ſingolare imitazione di Criſto. Feliciſſima giornata è queſta, nella quale ebbe favore dalla divina Miſericordia l'uomo di cominciare a poter dire a Criſto : tu Signore hai dato il Sangue e la Vita tua per redenzione mia, ed io ora ardiſco di offerire il ſangue e la vita mia per la confeſſione del nome tuo; non è queſta virtù mia, ma frutto della redenzione, che tu hai fatta di me; il tuo Sangue vivifica, e dà merito eterno al ſangue mio; la tua morte dà frutti di vita alla mia morte; tuoi doni ſono, tue grazie, ch'io poſſa, ch'io voglia eſſerti grato con queſto ſacrificio mio. Così mi par di ſentire Stefano nell'ingreſſo, che oggi fa nel Cielo; così tutti quelli, che l'anno ſeguito nell'effuſione del ſangue e perdita della vita per Criſto, a confuſione noſtra e di tutti quelli, alli quali ſendo comune queſta morte di Criſto, queſta redenzione, ch'egli ha fatto del Mondo, ſono sì ingrati, che non pure offeriſcono in ſegno di gratitudine a Criſto il ſangue e la vita loro, ma nè anche le coſe di minore importanza, l'ubbidienza, la ſervitù divota, il timore filiale, l'amore vero, il ſacrificio dell' orazione e delle divine laudi, i digiuni, le aſtinenze, la mortificazione della carne, la larghezza delle limoſine, il diſprezzo del Mondo e delle pompe ſue; e pur l'abbiamo proteſtato, quando cominciammo a partecipare di queſta redenzione nel ſacro Batteſimo. O Milaneſi, è così nobile l'eſempio, che oggi vi dà Stefano di gratitudine con Dio, è così grande l'invito, che con eſſo vi fa oggi la Chieſa ſanta. E pur voglio condeſcendere all'infermità noſtra, alla condizione di queſti tempi, e purchè ſiate in qualche modo grati a Dio, mi contento di voi. Non avete oggi occaſione neceſſaria di ſpargere il ſangue con Stefano per Criſto? ſpargete le facoltà, le ricchezze voſtre ne' poveri di Criſto, ſe non tutte, mi contento per ora delle ſuperfluità, dell'abbondanza, e delle comodità voſtre; provvedete alle neceſſità di chi non ha da vivere. Vi par duro far ſacrificio a Criſto con la morte voſtra, e l'occaſione inſtante non lo ricerca? fategli ſacrificio della vita, donategli vita pura, ſanta, ed innocente, coſtumi buoni, operazioni oneſte; viva Criſto in voi, ed in ogni azione della vita voſtra riſplenda eſſo talmente, che già non viviate a voi ſteſſi, ma a lui, che è morto per voi, ed egli viva in voi, che ha dato a voi la vita. Vedete, che non è gran coſa quella, che vi dimando; come è ſoave la legge, che vi impongo oggi per amor di Criſto, a paragone di quel, che ha fatto Stefano per Criſto.

Però Dio onora questo buon Servo suo con singolarissimi testimonj, prima nelle Scritture sante, poi in fatto nei miracoli. Quando gli Apostoli vollero eleggere quei sette Diaconi, de' quali Stefano fu il primo, al ministerio delle Vedove, dissero fra di loro queste parole: *Considerate viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus* (*a*): e poco dopo dice il medesimo San Luca, narrando la elezione di Stefano: *& elegerunt Stephanum virum plenum fide, & Spiritu Sancto*; più a basso il medesimo parlando di Stefano, e delle maraviglie sue, *Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine*; finalmente volendo riferire quel segnalato favore, che Dio fece a Stefano di fargli vedere i Cieli aperti, e la gloria sua, incomincia in questo modo: *Cùm autem esset plenus Spiritu Sancto &c.* Questo testimonio, questo nobile encomio, che fa a Stefano più volte lo Spirito Santo nelle sacre Lettere, di esser pieno di sapienza, di fede, di fortezza, e singolarmente di grazia, e di esso Spirito Santo, non vedo io, che sia fatto ad altri Santi, per favoriti che fossero, se non a Stefano; solo a Cristo è data la pienezza dello Spirito Santo, e Maria madre sua è chiamata dall'Angelo, piena di grazia; e di Gioanni Battista Precursore suo è scritto, che si empirebbe di Spirito Santo nel ventre della Madre; e di Elisabeth sua madre dice San Luca: *Ut audivit salutationem Mariæ, repleta est Spiritu Sancto Elisabeth* (*b*). Altri non mi ricordo, che siano stati chiamati con questo singolarissimo titolo: non dico già per questo, che sia la medesima pienezza di Spirito Santo, che ebbe Cristo, e quella della Madre sua, e quella di Stefano; perchè a Cristo, come Uomo fu data tutta la pienezza dello Spirito Santo, e da esso, come dal capo e fonte, sono poi diffusi tutti i rivi, che anno riempito e Maria, e Gioanni Battista, e la Madre di lui, e Stefano, e gli altri membri suoi; perchè, come dice San Gioanni: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus* (*c*): a Maria fu infusa quella pienezza di grazia, della quale solo era capace quella creatura, che avea da esser Madre naturale del Figliuol di Dio; e così a Stefano è data quella pienezza, che gli era di bisogno per ben adempire il ministerio suo, e che conveniva a chi dovea far la strada a tante migliaja di Martiri, ed insegnar loro col suo esempio a morire per la confessione di Cristo; basta che è singolare il favore, che gli fanno le Scritture; e Luca Evangelista fa di questo testimonio, che non ha fatto, come abbiamo detto, se non a pochissimi altri Santi. Lungo

(*a*) *Act. VI. v. 3.* | (*b*) *Luc. I. v. 41.* | (*c*) *Joan. I. v. 16.*

Lungo sarebbe poi a spiegar distintamente i miracoli, con li quali ha autenticato Dio la santità di questo Servo suo ; a vedere come per questa via ha accompagnato di nobilissimi testimonj la vita, il ministerio, le prigioni, il martirio suo. Il Beato Agostino (*a*) scrive pienamente e racconta la moltitudine de' miracoli, che Dio ha operato in diversi tempi dopo la morte di questo Santo per mezzo suo : di quelli ch'egli faceva in vita, mentre attendeva con gli Apostoli al suo ministerio, ne dice San Luca una parola sola, in modo che pare per la moltitudine sua non sappia, nè possa spiegarli : *Stephanus autem*, dice, *plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia, & signa magna in Populo* (*b*) ; è miracoloso nelle dispute contra tutte quelle Congregazioni de' Libertini, Cirenensi, ed Alessandrini, de' quali dice San Luca: *Et non poterant resistere sapientiæ, & spiritui, qui loquebatur* (*c*); è miracoloso in mezzo alle accuse e persecuzioni sue; poichè per il medesimo testimonio di Luca (*d*) si fa la faccia sua, nel cospetto di tutti quei Magistrati, risplendente come faccia di Angelo, e quasi incomincia a mostrare prima del martirio, lo splendore, gli ornamenti, la gloria, de' quali sarà illustrato quel Corpo santo per mezzo delle persecuzioni, e delle percosse, che patirà in questo Mondo ; è miracoloso in quella beata estasi, nella quale di qua giù contempla la gloria della Maestà Divina, e Gesù Cristo alla destra del Padre : il qual miracolo stupendissimo recita San Luca con queste parole : *Intendens in Cœlum, vidit gloriam Dei, & Jesum stantem a dextris Dei, & ait : ecce video Cœlos apertos, & Filium hominis stantem a dextris Dei* (*e*); in questo miracolo abbiamo segnalatissimi favori fatti a Stefano, ed in lui promessi a tutti quelli, che nella confessione del suo nome spargessero il sangue; abbiamo anche mirabili consolazioni per noi altri, ed instruzioni per qualsivoglia persecuzione e travaglio, che ci venga per amor di Cristo.

Ma per più chiara intelligenza di questo dovete sapere, che è stato solito della divina Sapienza nel principio dell'uso de' Sacramenti, e delle altre sue instituzioni il dar segni esteriori manifestamente degli effetti, che interiormente in quel tempo, ed in avvenire opererebbe la Maestà Divina in quel misterio, ed instituto; perchè poi ne i progressi della Chiesa sua, cessando i miracoli, re-

(*a*) August. lib. XXII. cap. VIII. de Civitate Dei, & Serm. III. de eodem Sancto Stephano.
(*b*) *Act. Apost. VI. v.* 8.
(*c*) *Ibid. v.* 10.
(*d*) *Ibid. v.* 15.
(*e*) *Ibid. VII. v.* 55.

ſtaſſe ſtabilita la ſede noſtra da quegli effetti, ſe ben non ci foſſero inſegnati da neſſuna dimoſtrazione ſtraordinaria a i ſenſi noſtri eſteriori: per eſempio, quando Criſto amminiſtrò maravglioſamente la Confermazione agli Apoſtoli ſuoi, che fu nel giorno della Pentecoſte (*a*), diede ſegni eſteriori dell'interno augumento di Spirito Santo (*b*), che in quell'atto ſi facea nel cuore degli Apoſtoli, e della grandezza de' doni delle lingue, ed altri, de' quali gli arrichiva; e però accompagnò con la emiſſione di queſto Spirito ſuoni dal Cielo, come di vento veementiſſimo, che empì tutta la caſa, dove erano gli Apoſtoli, ed apparvero lingue diſpartite, come di fuoco, ſopra di ciaſcun di loro; ſignificazione manifeſta, dalla quale intendeſſimo noi l'abbondanza di carità, la ricchezza de' doni dello Spirito Santo, che internamente ci vien diffuſa ne' cuori, quando ci ſarebbe in ogni tempo amminiſtrato oggidì il Sacramento della Confermazione, o Creſima: parimente, quando ſi legge, che quello ſcomunicato dall'Apoſtolo San Paolo fu ſubito diſſipato, e veſſato nel corpo da' ſpiriti immondi (*c*), come anche quell'altro ſervo ſcomunicato da Santo Ambroſio (*d*), volle Dio, che intendeſſimo per ſempre l'effetto, che internamente opera quella funzione Eccleſiaſtica nell'anima di colui, nel quale è eſercitata; imperocchè è fatta preda del Demonio, dal quale vien diſſipata miſeramente, mentre ſta in quello ſtato, nel modo, che vediamo veſſato il corpo alcuna volta da ſpiriti immondi; così quando Criſto fu battezzato da Gioanni (*e*), che fu non uſo, ma inſtituzione del Sacramento noſtro (*f*); perchè allora Criſto col puriſſimo contatto delle

(*a*) Cùm certum ſit, Sacramenta omnia inſtituta fuiſſe a Chriſto Domino, ex Concil. Tridentino, ſeſs. VII. can. I. diſceptatur inter Doctores, quo tempore Confirmationis Sacramentum Chriſtus inſtituerit. Triplicem opinionem refert S. Thomas in III. part. quæſt. LXXII. art. I. ad I., ac demum ſententiam ſuam profert, his verbis. „ Dicendum eſt, quòd Chriſtus inſtituit „ hoc Sacramentum, non exhibendo, ſed promit„ tendo, ſecundùm illud Joannis XVI. (*v.* 7.) *Si* „ *non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; ſi au*„ *tem abiero, mittam eum ad vos*. Et hoc ideo, „ quia in hoc Sacramento datur plenitudo Spiri„ tus Sancti, quæ non erat danda ante Chriſti „ Reſurrectionem, & Aſcenſionem, ſecundùm „ illud Joannis VII. (*v.* 39.) *Nondum erat Spi*„ *ritus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus*. Huic Angelici Doctoris ſententiæ adhæſit Sanctus Carolus Borromeus.

(*b*) *Act. II. v.* 4.

(*c*) *Act. XIX. v.* 16.

(*d*) Paulinus in vita ejuſdem hoc narrans ait: „ Quem (ſervum Stiliconis Comitis) eo„ dem momento, cùm adhuc ſermo eſſet in ore „ Sacerdotis, ſpiritus immundus arreptum di„ ſcerpere cœpit.

(*e*) *Matth. III. v.* 13.

(*f*) Hanc doctrinam S. Carolus hauſit ab Angelico Doct. in III. parte quæſt. LXVI. art. II., ubi quærit, *utrum Baptiſmus fuerit inſtitutus poſt Chriſti Paſſionem*.

In Reſponſione namque ita loquitur: „ Dicen„ dum, quòd Sacramenta ex ſui inſtitutione ha„ bent, quòd conferant gratiam; unde tunc vi„ detur aliquod Sacramentum inſtitui, quan„ do accipit virtutem producendi ſuum effectum. „ Hanc autem virtutem accepit Baptiſmus, „ quando Chriſtus eſt baptizatus; unde tunc „ verè Baptiſmus inſtitutus fuit quantum ad ip„ ſum Sacramentum: ſed neceſſitas utendi hoc „ Sacramento, indicta fuit hominibus poſt Paſ„ ſionem, & Reſurrectionem &c.

le carni sue diede santificazione all'acqua (*a*), perchè fosse poi coveniente materia di questo Sacramento del Battesimo. Subito che Cristo fu battezzato, dice S. Matteo (*b*): *& ecce aperti sunt ei Cœli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut Columbam, & venientem super se, & ecce vox de Cœlis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. L'aprirsi del Cielo, la discesa dello Spirito Santo in forma di Colomba, la voce del Padre, che attesta, che questo è Figliuol suo diletto, tutte servirono, oltre al darci la cognizione di Cristo, a farci intendere anche gli effetti, che per l'avvenire sarebbe il Sacramento del Battesimo in noi, il quale ci apre il Paradiso, ci dà lo Spirito Santo, nel quale ci fa figliuoli adottivi di Dio, perchè per esso *clamamus Abba Pater* (*c*) in questo rinascimento spirituale, che facciamo nel sacro Battesimo; così nel proposito nostro, quando vediamo aprirsi i Cieli, mostrarsi Cristo a Stefano primo Martire nel principio delle sue persecuzioni e martirio, abbiamo chiara dottrina di quella virtù, di quel privilegio, che ha donato Cristo al martirio non solamente di Stefano, ma di tutti gli altri, che lo seguirebbono; imperocchè solo il martirio, come il Battesimo, ha forza di aprirci subito i Cieli, e di assorbire con le colpe originali ed attuali tutte le reliquie di pena dovute a loro, che potessero impedirci o ritardarci qualche tempo la fruizione del Paradiso, e della divina gloria. S'aprono adunque i Cieli a Stefano, perchè ognuno sappia, che non resta altro, se non che esali lo spirito per Cristo, a far, che senza dimora sia ricevuto purgatissimo da ogni difetto nel felicissimo consorzio degli Angeli, a contemplar eternamente la faccia di Dio: vede Stefano Cristo, vede la gloria di Dio, perchè già ne' suoi travaglj, quanto al Mondo, abbia un'arra della felicità eterna, la quale consiste nella perfetta cognizione di Dio, e di Cristo, il quale disse in San Gioanni: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum* (*d*); alla qual visione, che ha Stefano del Padre, e del Figliuolo, si accompagna il testimonio dell' Evangelista *Cùm esset plenus Spiritu Sancto* (*e*), perchè intendiamo con che favore, con che protezione paterna assistono tutte tre le persone della Santissima Trinità alle persecuzioni, alli travaglj, al martirio di Stefano, e di tutti gli altri, che patiscono in questo Mondo per amor di Dio: però si vede Cristo star in piedi in questo luogo: *Video Jesum stan-*

(*a*) Ambr. in Lucam lib. II. nu. 83. editionis PP. Maurinor.
(*b*) *Cap. III. v. 16. & 17.*
(*c*) *Ad Rom. VIII. v. 15.*
(*d*) *Joan. XVII. v. 3.*
(*e*) *Act. VII. v. 55.*

ſtantem, dice lui, *a dextris Dei* (*a*), e altrove quaſi ſempre dove ſi narra, che il Figliuolo ſia alla deſtra del Padre, lo leggiamo *ſedente*, come nel Simbolo: *Sedet ad dexteram Patris*. Queſta è dimoſtrazione della carità, con la quale aſſiſte a' Servi ſuoi, nelle perſecuzioni de' quali non riposa eſſo, ſe bene è ſempre beatiſſimo, ma con loro combatte contra le perſecuzioni, contra il Demonio, contra il Mondo tutto; e ne vediamo manifeſto ſegno in Stefano poco di poi il ſuo martirio, quando Criſto dice a San Paolo, che era ſtato uno de' più acerbi perſecutori di Stefano: *Saule, Saule quid me perſequeris* (*b*)? per moſtrar, che egli è con i Servi ſuoi, e riceve in ſe medeſimo le percoſſe e le afflizioni, che ſi danno a loro, come avea ricevuto da Paolo le perſecuzioni fatte a Stefano, ed al rimanente della Chieſa. Queſta carità di Dio ci aveva proteſtato David in perſona ſua, quando diſſe: *Cum ipſo ſum in tribulatione* (*c*); e più largamente in tutto quel Salmo: *Qui habitat in adjutorio Altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur*. Par bene agli occhi noſtri, che tal'ora dorma, mentre viene infeſtata la nave di Pietro da venti impetuoſi, e da tempeſte turbolentiſſime; ma queſto ſerve ad eſercitar la fede noſtra nella protezion ſua, ed eccitare l'affetto a ricorrere da lui per ajuto, come fanno li Diſcepoli, che lo riſvegliano, quando ſi vedono poſti in sì pericoloſa tempeſta, ed eſſo allora comanda al mare, a' venti, ed ogni creatura l'ubbidiſce (*d*); così farà finalmente l'eſito delle turbolenze, che oggidì patiſce da tante parti la Santa Chieſa, quando con le orazioni, con viva fede, con l'oſſervanza della ſua volontà avremo impetrato l'ajuto ſuo, poichè egli ſempre ci aſſiſte, nè mai può abbandonare la ſua cara Spoſa, alla quale ha detto, parlando con gli Apoſtoli: *Ero vobiſcum uſque ad conſummationem ſeculi* (*e*). L'importanza ſta, che ſe noi vogliamo godere la protezione di Criſto, come fa Stefano; ſe con lui vogliamo partecipare delle divine grazie e favori; ſe vogliamo rimaner ſeco conſolatiſſimi in ogni travaglio di queſto Mondo, fa biſogno prender l'armatura, che egli ha preſo, procurar, che Dio ci ſtabiliſca il cuore nella grazia ſua, che c'inveſta in ogni parte dello Spirito Santo, del quale egli era ripieno; e come egli negli abbattimenti ſuoi alzava gli occhi al Cielo, e però, come dice San Luca: *Intendens in Cœlum vidit gloriam Dei* (*f*); così noi nella guerra che ci fa il Mondo, il Demonio, e la Carne, alzia-

(*a*) *Act. VII. v. 55.* (*b*) *Ibid. IX. v. 4.* (*c*) *Pſal. XC. v. 15.* (*d*) *Matth. VIII. v. 26., & Luc. VIII. v. 24.* (*e*) *Matth. XXVIII. v. 20.* (*f*) *Act. VII. v. 55.*

alziamo gli occhi al Cielo, e contempliamo la gloria, che è preparata, a chi combatte virilmente, nella visione e fruizione divina: con questa diligenza vinceremo tutte le difficoltà, non faremo stima del Mondo, perchè saremo stabiliti in quelle beate promesse di Cristo: *Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & persequuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos, mentientes propter me, gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in Cælis* (a): ci consolaremo nel testimonio di San Paolo: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (b). *Quæ videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna* (c). E come non si vergogna l'anima Cristiana d'angustiarsi, ed abbassarsi in questo povero e vile obbietto della terra, e delle cose sue, essendo ella come un punto in comparazione de' Cieli, ed i Cieli niente in comparazione di Dio, obbietto infinito, nel quale ha che contemplare eternamente l'occhio dell' anima nostra, con perpetua consolazione e sazietà, senza fastidio? Ma è tempo ormai, che vediamo, come nel martirio di questo glorioso Santo risplenda nobilmente la singolare imitazione delle passioni di Cristo. Non è parte di esso, nella quale non sia qualche vivo ritratto della Croce, delle persecuzioni di Cristo. Come ebbe principio la Passione del Signore dall' invidia de' Farisei, ed altri, per i progressi, che faceva Cristo in acquistar credito nel Mondo, la qual invidia fu principalmente esacerbata e provocata nel miracolo del risuscitamento di Lazaro; così la grandezza de' miracoli, che faceva Stefano nel popolo, e la sapienza, dalla quale restarono confusi quelli della Sinagoga de' Cirenensi, ed Alessandrini, e di Cilicia, ed Asia, che disputavano con seco, de' quali dice San Luca negli Atti Apostolici: *Et non poterant resistere sapientiæ, & spiritui, qui loquebatur* (d); e più a basso: *dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum* (e): questo provocò talmente l'invidia di quella gente, che, come dice San Luca, *summiserunt viros, qui dicerent, se audivisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen, & in Deum* (f); così commosse la plebe, i Magistrati, ed i Scribi; così fatto un gran concorso gli misero le mani addosso, e lo tirarono in giudicio: Ivi, dice San Luca: *Statuerunt falsos testes, qui dicerent: homo iste non cessat loqui verba adversùs locum sanctum, & legem; audivimus enim eum dicentem: quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses* (g). Queste sono le parole, con le quali narra San Luca il principio del giudicio fatto

(a) *Matth. V. v. 11. & 12.*
(b) *Ad Rom. VIII. v. 18.*
(c) *II. ad Corinth. IV. v. 18.*
(d) *Act. VI. v. 10.* (e) *Ibid. VII. v. 54.*
(f) *Ibid. VI. v. 11.*
(g) *Ibid. v. 13. & seq.*

fatto contra di Stefano, le quali vi ho voluto recitare, perchè vediate quanta conformità ha con quello di Crifto. Già avete veduto, che le caufe dell'accufa dell'uno, e dell'altro, le caufe della perfecuzione, fono invidia; qui vedete contra Stefano effer indotti falfi teftimonj, come anche contra Crifto, imperocchè dice San Marco: *Multi teftimonium falfum dicebant adversùs eum* (*a*), e più a baffo: *& quidam furgentes, falfum teftimonium ferebant adversùs eum, dicentes, quoniam nos audivimus eum dicentem: ego diffolvam templum hoc manufactum, & per triduum alind, non manufactum, ædificabo.* Dove abbiamo anche la conformità della imputazione data all'uno, e l'altro: Crifto è accufato di aver parlato contra il Tempio, Stefano parimente; Crifto fu imputato di commovere i popoli con nuova dottrina, Stefano di predicar ed infegnare contra la tradizione di Mosè; Crifto è accufato di beftemmia, Stefano ancora; Crifto è condannato alla morte, fopra quelle parole, che diffe: *Videbitis filium hominis fedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus Cœli* (*b*); Stefano è condotto alla morte, perchè dice: *Ecce video Filium hominis ftantem a dextris virtutis Dei;* finalmente Stefano, come Crifto, è condotto al fupplicio fuori della Città, e in mezzo del fuo martirio fa orazione per fe medefimo, e fi raccomanda a Dio con quelle parole: *Domine Jefu fufcipe fpiritum meum* (*c*), conforme all'orazione, che fece Crifto in Croce: *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum* (*d*); così piaceffe a Dio, che noi oggi imparaffimo quefta bella dottrina da Crifto, e da Stefano, di ricorrere a Dio, e raccomandarci a lui, principalmente nelle croci noftre, nelle infermità, in tutte le afflizioni di qualfivoglia forte. E quanti fono tra noi, che nelle infermità ricorrono agli incantatori, alli malefici, a i fuperftiziofi, ed al Demonio ifteffo? Altri ne' travaglj del Mondo ricorrono più tofto alla prudenza carnale, e lafciano l'ajuto principale della orazione, di ricorrere alla mano di Dio potentiffima, quando non vi fono più altri rimedj; altri nel fine della vita fua, o per poco buona difpofizione loro, o per l'ingratitudine ed avarizia de' falfi parenti ed amici, che anno appreffo, fono più che mai folleciti delle cofe del Mondo, e non anno punto di cura, nè follecitudine di raccomandar l'anima fua nelle mani di Dio, e fe ne muojono da beftie. O povera Criftianità, non è quefta una confufione del nome, e profeffione, che facciamo di Criftiani? Non così fa Stefano, il quale dà volontieri il corpo fuo in preda a i perfe-

(*a*) *Marc. XIV. v. 56. & feqq.*
(*b*) *Matth. XXVI. v.64., & Marc. XIV. v.62.*
(*c*) *Act. VII. v. 58.*
(*d*) *Luc. XXIII. v. 46.*

i perfecutori, e nelle orazioni dà l'anima a Crifto, anzi nell'ifteffo tempo del martirio fa profitto nell'orazione, fa profitto nella carità, e nelle perfezioni Evangeliche; imperocchè alla orazione fatta per fe fteffo, aggiunge, ad imitazione di Crifto, l'orazione per li perfecutori fuoi, per quelli, che gli danno la morte: *Domine ne ftatuas illis hoc peccatum* (*a*); e già fcuopre manifeftamente nel fuo efempio la perfezione, che ha portata Crifto nel Mondo, della quale egli diceva: *Audiftis, quia dictum eft: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum; ego autem dico vobis: diligite inimicos veftros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perfequentibus, & calumniantibus vos* (*b*). Non comandava la legge antica, che fi odiaffe il nemico, ma la cecità Ebrea aveva talmente anguftiato le interpretazioni della Legge nella nuda fcorza della lettera, la quale pareva, che efcludeffe il nemico, sì che non foffe comprefo nel precetto, che avevano della dilezione del proffimo: ma venne Crifto, vero lume del Mondo, e c'infegnò, che non folo i parenti, non gli amici foli, non i benefattori, non quei, che fono nati nell'ifteffa patria, non quelli, che ci fono congiunti di qualfivoglia legame naturale, o civile, non i giufti foli; ma i foreftieri, gl'incogniti, i peccatori ancora, purchè fiano in iftato, che non fia difperata affatto la lor falute; parimente li nemici, e perfecutori noftri vengono comprefi fotto quefto precetto: tutti quelli dobbiamo amare, alli quali in qualfivoglia tempo può effer comunicata la carità di Crifto, e la participazione della fua gloria; in quefta fapienza Criftiana è inftrutto il noftro Stefano, il quale prega per quelli, che duriffimamente lo percuotono, e mentre in quefto modo nella replicata orazione, con più diligenza la feconda volta prega con le ginocchia in terra, fcuopre maggiormente la perfezione della carità fua; non altrimente, che il granello di pepe, quanto è più pefto e fracaffato, fa più fentire apertamente l'acutezza e virtù fua. Alla grandezza della carità, e fervore dell'orazione rifponde il premio, poichè fra quelli perfecutori, Saulo crudeliffimo è dalla divina Mifericordia convertito in Paolo, vafo di elezione, Apoftolo immediato di Crifto, Dottor delle Genti; e ad effo ancora con più nobil modo è participata in quefta vita, in quel celefte rapimento, la vifione divina, della quale fu favorito Stefano nell'eftafi fua. Vedete l'efficacia dell'orazione, vedete quanto è favorita dalla Maeftà divina la dilezione degl'inimici; come farà all'incontro feveramente giudicata l'iniquità di

(*a*) *Act. VII. v.* 59. | (*b*) *Matth. V. v.* 43. & 44.

di quelli, che non amano Dio, che ha tanto amato loro, che ha dato la vita per la loro salute; che fa loro continuamente beneficj e grazie, con tutto che siano peccatori; come saran trattati quelli, che non amano gli amici con vera sincerità, ma regolano l'amor loro dagli interessi suoi. Che sarà di quelli, li quali non amano anche se stessi, che pur son molti? che già non si deve reputare, che ami se stesso quel pazzo infermo, che rifiuta tutte le medicine accomodate al bisogno suo, appetisce e procura le cose, che aggravano l'infermità, e vanno a cammino di farla incurabile: così quelli dilungati per i peccati da Dio, che è vero fonte della vita e felicità nostra; allontanati dalla imitazione, da i studj, e dalle vie insegnateci da lui con la dottrina e con l'esempio suo, vanno vagando negli errori, e facendosi più incapaci della divina Misericordia. Finiamola in una parola: il fine di tutti loro sarà abbominevole, ed il fine della vita loro sarà principio di guai, e di miseria senza fine; non avendo amato Dio, nè gli amici, nè se stessi in vita, non avranno chi ami loro dopo morte. All'incontro la carità, della quale è pieno Stefano in questa vita, nella morte si consuma in gloria, talchè la morte gli è porto di salute, fine de' martirj, riposo delle fatiche, transito alla vera vita; però la chiama San Luca, dormizione; non dice, se non *Obdormivit* (a). Ha forza questa parola di significare singolarmente la quiete, la tranquillità di quell'Anima, la quale nel mezzo del martirio, dei tormenti, è confortata dalla divina grazia, sostenuta dalle celesti speranze, riposata nella protezione divina, che prima le ha aperti li Cieli, ch'essa sia uscita dal corpo, e dal Mondo; prima le ha dato a gustare la vera vita, ch'essa abbia sentita la morte; prima le ha mostrata l'assistenza sua, che l'abbia condotta nello steccato dell'ultimo abbattimento. Beato sonno, beata quiete, beata dormizione, nella quale quel glorioso Santo se ne vola al Cielo; e, come quello, che porta seco la primizia delle spoglie del Demonio in questa sorte d'abbattimento, è incontrato e ricevuto da Cristo, e da tutti quei Cori celesti con infinito trionfo, ed allegrezza. Beati noi, se come ha egli ben imitato il suo Maestro Cristo, così saremo noi studiosi di conformarci seco nella grazia, nella sapienza Cristiana, nella fedeltà del ministerio, nella sana dottrina, nella pazienza e costanza, nella dilezione degl'inimici nostri, nella fervente orazione; perchè saremo anche compagni suoi, e partecipi seco del Regno di Cristo, il quale vive e regna in tutti i secoli. *Amen*. HO-

(a) *Act. VII. v. 59.*

HOMILIA V.

In Evangelium Lucæ Cap. V. (a)

HABITA DOMINICA IX. POST PENTECOSTEM

Anno mdlxviii. xxix. Julii.



Um omnia, quæ Dominus & Salvator noster fecit ac docuit, magna mysteria, & salutarem contineant doctrinam; tum vèl ea maximè, quæ hoc Evangelium nobis suppeditat, quod hodierno die Sancta Mater Ecclesia ad legendum nobis proponit. Uberrimum certè exhibet thesaurum omnibus virtutum præceptis, & fidei institutis refertum; in eo enim videre licet, quo studio & quasi impetu omnes ad Christum, & audiendum verbum Dei debeant concurrere. Hic Apostolicæ Sedis auctoritas, hìc primatus Petri adumbratur, hìc boni Pastoris officium, hic Prælatorum functiones, hìc obedientiæ præmia, hìc humilitatis exaltatio, denique hìc Christianæ sanctæque vitæ institutio, & perfectionis exempla ante oculos ponuntur. Ceterum, ut ea caritati vestræ faciliùs innotescant, historiam ipsam breviter percurremus; tum latentem & mysticum sensum attingemus; postremò ea proponemus pietati vestræ consideranda, quæ huic tempori, loco, & præsenti nostro instituto congruere videbuntur, & ad consolationem animarum nostrarum maximè conducere.

Postquàm igitur Salvator Noster Jesus Christus, relictâ Civitate Nazareth, ac perlustratâ Galilæâ, & finitimis peragratis partibus, tanta & tam multa miracula fecisset, ut fama ejus per totam Syriam volaret, maxima hominum multitudo ex Galilæâ, Decapoli, & Jerosolymis, aliisque locis eum sequebatur tanto studio & ardore, ut inter se contenderent, quis ad illum propiùs posset accedere.

(a) Titulum hunc a tergo adnotavit manu propria Sanctus Carolus.

dere. Cùmque, eo ambulante juxta mare Galilææ, turbæ in illum irruerent, magno desiderio audiendi verbi Dei, conspiciens ille duas naves juxta stagnum stantes, dum piscatores lavarent retia sua, in unam earum, quæ erat Simonis, conscendit, rogans eum, ut eam a terra pusillum abduceret, ne a multitudine irruente opprimeretur; neque tamen ita longè, quin illi, qui in litore essent, vocem ejus & prædicationem possent audire: ac ita effecit, ut nec ab irruente multitudine disturbaretur, nec rursus homines audire illum cupientes, fructu ejus sermonis carerent. Postquam illis salutaria dogmata exposuisset, ac divinâ suæ prædicationis virtute omnes in suî admirationem rapuisset, ut eum Præceptorem ac Dominum appellarent, voluit eosdem miraculo confirmare, quos instituerat sermone: & quos ad audiendum repererat attentos, & ad obediendum paratos, noluit a se dimittere vacuos. Dixit ergo Petro: *Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam* (*a*); at Simon respondit: *Præceptor*, ac Domine, novimus nos ex eo labore, quem tota nocte sine ullo fructu cepimus, frustra nos retia laxaturos, si viribus nostris tantùm nitamur. Ceterùm, quia tu Præceptor es, æquum est, ut consilium tuum sequar; quia Dominus, par est, tuo obedire mandato; ideo *In verbo tuo laxabo retia* (*b*). Licèt mihi rationem humanam sequenti nulla spes pisces capiendi appareat, tuo tamen consilio & auctoritate potius nitar, quàm meo ingenio. Hæc cùm ita fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, ita ut rete rumperetur: hac novitate miraculi attoniti, nec loqui valentes, socios nutu vocarunt, ut se adjuvarent; & ita utramque navem: piscibus impleverunt, ut pene submergerentur. O magna obedientiæ vis! quæ multò plus citò impetravit, quàm multorum sedulitas diuturna potuit efficere; & cùm tota nocte laborantes multæ naves, ne unum piscem potuissent capere, verbo Domini obediendo, una navis, unico conatu plures cepit, quàm duæ naves ad terram non sine periculo poterant portare! Tum hujus miraculi magnitudine Petrus agnoscens divinâ virtute, non humanâ operâ hoc contigisse, ad pedes Domini prostratus dixit: *Exi a me, quia homo peccator ego sum* (*c*). Quantò plus favore & auctoritate apud Dominum crescebat, & quò plura beneficia a Deo acceperat, ac in Dei cognitione magis profecerat, tantò humiliùs de se sentiebat. Ille dixit, vilitatem hominis cum Majestate Dei nullum habere commercium, nec æquum esse, ut peccator

(*a*) *Luc. V. v.* 4. | (*b*) *Ibid. v.* 5. | (*c*) *Ibid. v.* 8.

tor ad sanctitatis fontem, creatura fragilis ad Omnipotentem Creatorem propius accedat. Nec mirum si peccator in ejus præsentia tremat in terris, quem sine tremore Potestates non possunt intueri in Cœlis. At Dominus misericors, *qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*a*), tanto magis Petrum extollit, quanto viliorem ipse se esse judicat: Timebat Petrus, & Majestatem Christi reverebatur; at Christus ait: *Noli timere*. Petrus dixit: *Exi a me, quia peccator sum*; at Dominus ait: *Veni post me, & faciam, ut sis homines capiens*. Petrus se dejicit; Deus illum exaltat. Petrus se indignum appellavit Domini præsentiâ; at Christus eum dignum fecit, qui summus Ecclesiæ in terris esset Vicarius. Sic quicunque vult apud Deum ascendere, se priùs dejiciat; qui exaltari cupit, se humiliet; qui alios superare desiderat, suam agnoscat vilitatem; qui voluerit a Deo præfici aliis, priùs discat ipse obedire.

Tunc sequitur: *Subductis ad terram navibus, secuti sunt eum* (*b*), relictis omnibus. Ecce quomodo apud illos sordebant terrena, cupientes sequi cœlestia largientem. Quis libenter non amitteret usum Creaturæ, quò firmiter possit adhærere Creatori? Audistis, dilectissimi, & multitudinis fervens desiderium accedendi ad Christum, & *in verbo Domini, laxabo retia*, piscibus miraculosè repleta? Intellexistis, utramque navem usque ad periculum submersionis oneratam? Vidistis obedientiam Petri benignissimè remuneratam, ac humilitatem amplissima promissione consolatam? Postremò, quomodo omnia reliquerunt, & sequuti sunt Christum? Nunc superest, ut quid mysticè ac secretè sub hujus historiæ involucro ad nostram doctrinam contineatur, videamus: Mare hoc Galilææ aut Tyberiadis, sive stagnum aut lacus Genezareth (tot enim nominibus appellatur) totum hunc Mundum significare potest, in quo duæ naves erant, quæ tota nocte laborantes vehebant piscatores, nihil tamen capientes, quarum altera Petri dicebatur, alterius dominus non nominatur; hæ duæ ante Christi ingressum figuræ erant Synagogæ, in qua piscatores, hoc est, Doctores & Pharisæi, noctu, idest, sine lumine & prædicatione Fidei, frustra laborarunt. At illa Petri generalem totius Judaici populi congregationem, aut matricem Synagogam; altera particulares significabat. Verùm navis Petri, Christum recipiens, & laxatis retibus copiosam multitudinem piscium capiens in verbo Domini, Sedis Apostolicæ expressam gerit imaginem; altera navis uniuscujusque parti-

(*a*) *I. Petr. V. v. 5.* | (*b*) *Luc. V. v. 11.*

particularis Ecclesiæ. Nam sicut Petrus in illa navi omnes regebat, sic in Ecclesia Catholica Summus erat Christi Vicarius. Soli Petro, dictum erat: *Duc in altum*; sic in Ecclesia soli Vicario committitur, ut in profunda & alta nostræ Religionis mysteria definiendo penetret; Aliis a Domino erat mandatum, ut rete Petri laxarent; qui tamen omnes in societate Petri erant & nutu, & imperio ejus obediebant; sic omnes Catholicæ Ecclesiæ Prelati ac Doctores tenentur ad ea dogmata prædicanda, quæ Sedis Apostolicæ auctoritate probantur: Illic nullus piscis, nisi rete Petri, capiebatur; ita nullus homo ad Christum capitur, nisi fide Petri & ejus prædicatione fuerit edoctus. Potest etiam ẻt hoc per Tropologiam ad Prælatorum officia & vitam accommodari: in his enim requiritur spiritualis ac sublimis conversatio, aperta & assidua prædicatio verbi, postremò rectum animi institutum, ac syncera intentio; cùm enim dicitur: *Duc in altum*, omnibus nobis intelligamus esse dictum, ut navem nostram, idest cor atque mentem a terrenis curis & cupiditatibus longè abducamus: Cùm additur: *Laxate retia*, quid aliud insinuatur, quàm ut ita rete nostræ prædicationis expandamus, ut omnia genera capere, & Christo lucrifacere possimus? Nam retia laxata, pisces & in imâ, & in mediâ, & in summâ aquâ natantes capiunt, & omnia genera piscium comprehendunt; sic qui verè hoc spirituale rete verbi Dei fructuosè dilatat, capit imperitos, capit & doctos, capit astutos, capit & simplices, capit blasphemos, perjuros, superbos, contumeliosos, capit denique omnes, & ad terram viventium ducit. Quod dicitur captura, manifestè monstrat unicum & verum scopum piscatoris boni; prædicare enim debemus, non laudis studio, non honoris gratiâ, non cupiditate, non spe Beneficii aut Canonicatus, sed ut capiamus spirituales pisces, & in terram eos vehamus.

Nunc autem cùm nobis ex Pastorali officio incumbat, ut rete hoc spirituale laxemus, quod in hoc loco Evangelii plicatum, & quasi involutum habetur, video me angustiâ temporis impeditum, non posse ita latè illud expandere, sicut & mea voluntas cupit, & præsens hæc Evangelica lectio requirit. Legimus autem in S. Matthæo Evangelista, Petrum jussu Domini non solùm rete laxato, verùm etiam hamo & escâ ad piscandum ivisse. Quare ẻt nos etiam, si retis laxationem tempus & locus præcludat, hamo, hoc est breviori oratione, & salutiferâ escâ Corporis & Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi utamur, quo simul vos & Domino capiamus, &

captos

captos in Domino nutriamus, nutritos conservemus: vos omnes obsecrantes in visceribus Domini Nostri Jesu Christi, ut sicut turbæ hodiernæ ad Christum audiendum summâ contentione irruebant, ita èt vos ardente caritate, vivâ fide ad illum hodie manducandum accedatis, ut & ille in vobis maneat, & vos in illo. Ceterùm ad Christum nobis accedendum est, non tam pedum gressibus, quàm affectuum; hìc namque, non corporum motus, sed animorum maximè requiritur. Hæ turbæ, ut Christum corporaliter sequerentur, locum mutarunt, & patriam reliquerunt; nobis autem non tam locus, quàm mores; non patria, sed consuetudo mala relinquenda est, si illum dignè & fructuosè velimus in domum nostram recipere; &, quò majori fructu ad illam sacram Communionis mensam accedamus, cavendum est summâ diligentiâ, ne ad hoc tam sacrum Convivium, & tam sanctas nuptias sinè nuptiali veste, hoc est caritate, & conscientiâ purâ, & fide non fictâ veniamus. Et considerandum est diligenter, ne intrans jam Salvator noster corporaliter in corpora nostra, aliquid ibi reperiat, quod & nostram conscientiam confundat, & oculos ejus Majestatis offendat: oportet, (teste Augustino) ut ille mutet vitam, qui vitam, & authorem vitæ dignè vult recipere. Mundemus ergo corda & corpora nostra cum Dei adjutorio, ut cœlestis noster convivator, nihil in nobis sordidum, nihil oculis suis deprehendat indignum. Oportuit Abraham antequàm intimam cum Deo familiaritatem habere potuisset, egredi de terra sua, & de cognatione sua, & de domo Patris sui, & venire in terram, quam illi Dominus monstravit (*a*); ita èt nos, si in terra nostra, hoc est in carnalibus consuetudinibus, aut in cognatione nostra, idest in vitiis, quæ ab infantia nascuntur nobiscum, aut in domo patris nostri, idest in servitute Diaboli, cujus naturâ filii sumus, si inquam in his maneamus, Christum, quem recipimus, propitium, misericordem, & consolatorem non habebimus. Feliciter ergo egreditur de terra sua, qui de superbo efficitur humilis, ex iracundo patiens, ex luxurioso castus, ex cupido largus, ex invido benignus, ex cruento placidus, qui denique omnia vitia relinquit, ac in prædium virtutum, quod nobis monstrat ipse Dominus, se recipit; ad hoc idem hortatur Apostolus in hodierna epistola dicens: *Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ &c.* (*b*), quasi diceret, priùs pedes vestri currebant ad templa Dæmonum, nunc concurrant ad Ecclesiam Dei; priùs

(*a*) *Genes. XII. v. 1.*

(*b*) *Ad Roman. VI. v. 19.*

priùs ad effundendum currebant, nunc ad liberandum sanguinem currant; priùs manus rapiebant aliena, nunc autem largiantur propria; priùs oculi circumspiciebant mulieres ad concupiscendum, nunc circumspiciant pauperes & egenos ad miserandum; lingua fuit convitiis, maledictis, turpiloquiis assueta, nunc convertatur ad benedicendum Dominum, ad sermonem sanum verumque proferendum; denique membra nostra, quæ erant instrumenta peccati ad mortem, præstemus eadem nunc instrumenta justitiæ ad vitam. Ad hoc liberati sumus de manibus inimicorum nostrorum, ut *serviamus Deo in sanctitate, & justitia coram ipso omnibus diebus nostris* (a). Reperiat, Fratres carissimi, nos Salvator noster in novitate vitæ ambulantes, sicut in morte ejus baptizati sumus: exuamus veterem hominem, & induamus novum. Hoc modo si nos effectos invenerit Auctor vitæ, vitam nobis sine dubio donabit: hoc si fecerimus, dignè hoc tremendum Sacramentum recipiemus, in quo propitiatio nostra, salus, redemptio, ac totius gratiæ & bonitatis largitor corporaliter continetur; si ea devotione, quâ decet veros servos Dei, tantum hospitem excipiamus, sine dubio nobis largietur, non solùm remissionem præteritorum peccatorum, verùm etiam gratiæ ubertatem, spirituale nutrimentum, aditum ad gloriam. Hoc enim est Sacramentum pietatis, unitatis signum, vinculum caritatis, spiritualis refectio, gloriæ cœlestis pignus. Relinquamus ergo, relinquamus omnes terrenos affectus, & pravam nostram priorem conversationem, & sequamur Christum; simus Christo in vita conformes, & sinè ulla dubitatione erimus conformes in gloria, quam nobis concedat, qui vivit & regnat Deus in secula seculorum. Amen.



HO-

(a) *Luc. I. v. 74. & seq.*

HOMILIA VI.

DE

PHARISÆO, ET PUBLICANO ORANTIBUS.

Lucæ XVIII. (a)

Habita Dominica XI. poſt Pentecoſtem

ANNO MDLXVIII. XII. AUGUSTI.



UM omnes Religionis Chriſtianæ actus, fructuoſi, & ſpiritualis conſolationis pleni, & Omnipotenti Deo grati eſſe cognoſcuntur, tum in primis oratio, quæ ſi humilis & devota fuerit, & cum perſeverantiâ, pietate, ac judicio conjuncta, nihil eâ efficacius ad impetrandum, quod volumus; nihil fructuoſius ad merendum, quod optamus; nihil ad internam animi conſolationem utilius reperiri poteſt. Hac enim Sancti Viri obtinuerunt, quod nulla facultas humana poterat efficere. Hac Dei, & Angelorum colloquio fruuntur homines: Oratione enim Iſaac, Rebeccæ uxori ſuæ ſterili, fœcunditatem impetravit; Oratione Moyſes plagas Ægyptiorum amovit; Oratione idem, Populum nunc ab igne devorante, nunc ab ignitis ſerpentibus, nunc ab ira Dei, nunc ab hoſtibus liberavit. Hac Elias Cœlum, ne plueret, clauſit: Hac pueri in fornace ignis, ardorem urentis flammæ, ne ſibi noceret, reſtinxerunt: Hac in Evangelio, ſurdi auditum, cæci viſum, muti loquelam, leproſi munditiem, infirmi ſanitatem, peccatores remiſſionem delictorum conſequuti ſunt: Hac Apoſtoli in afflictionibus conſolationem, ad operandum miracula virtutem, ad bene vivendum gratiam impetrarunt: Denique ad omnia depellenda mala, ad efficienda bona, in Oratione maxima vis poſita eſt, ut nihil illi denegetur, qui eo modo, quo oportet,

(a) Ita hanc Homiliam inſcripſit a tergo Sanctus Carolus manu propria.

tet, orationes suas apud Dei Omnipotentis clementiam fuderit. At nos tum quotidianus usus docet, tum multorum exempla in Sacris literis, orationes multorum non exaudiri. Orabat enim, & etiam obtulit Cain; verùm ad eum, & munera ejus non respexit Deus. Deprecatus est David Dominum pro Parvulo in jejunio, jacens super terram septem diebus; at illum non exaudivit Dominus. Isaïæ primo (a) scribitur Dominum dixisse Populo Israëlitico: *Cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis, & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam.* Quamobrem, Fratres carissimi, hìc vigilandum est, & diligenter quærendum, quæ sunt illæ causæ, propter quas summus & misericors Deus orationes non exaudiat, ad quas effundendas toties in scripturis Sanctis jubemur: *Petite*, inquit ipse Salvator, *& dabitur vobis* (b): *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem* (c): *Semper orate, & nolite deficere* (d). *Orate* ait Apostolus (e) *sine intermissione*. Ceterùm, ubi animo & cogitatione omnia lustraverimus, intelligemus, in Deo semper summam misericordiam extitisse, & ab homine fuisse profectum, quò minus Dei benignitas concedat, quod ab eo in orationibus petitur; fidelis enim Deus in omnibus sermonibus suis, & numquam suorum orationes repellit, nisi in nobis culpa & impedimentum fuerit. Cain verò repulsus erat, quia opus Dei negligenter, & parum devotè fecerat: Davidi precanti pro vita filii sui, Deus non annuit, quia & homicidium, & adulterium gravissimum ante commiserat: A Populo (in Isaia) orante, oculos avertit, quia manus eorum sanguine plenæ erant; ita ut verum sit, quod Salomon dicit: *Longè est Dominus ab impiis, & orationes justorum exaudiet* (f); præparandus est ergo animus ante orationem, ne quid in eo indignum inveniatur Dei colloquio, ne quid in oratione petatur, quod non ad honorem Dei, & salutem proximi, animarumque consolationem spectare comprobetur.

Sed ut multa, quæ fructum Orationis, & salutarem impediunt effectum, in pauca conferam, una causa esse potest, peccatum antea commissum cum proposito perseverandi, vel saltem sinè contritione & detestatione præteritorum. Unde in Psalmo legitur: *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus* (g), & S. Chrisostomus: Qui orat, & peccat, vel est in proposito peccandi, non orat

(a) *Isaïæ I. v.* 15.
(b) *Matth. VII. v.* 7.
(c) *Ibid. XXVI. v.* 41.
(d) *Lucæ XVIII. v.* 1.
(e) *I. ad Thessalon. V. v.*17.
(f) *Proverb. XV. v.* 29.
(g) *Psalm. LXV. v.* 18.

orat Deum, ſed deludit, & cum militibus Pilati comparandus, qui genu quidem flectebant Chriſto, manibus autem alapas impingebant. Altera cauſa eſt negligentia, quando irreverenter ad Orationem accedimus; ait enim Sapiens: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum* (*a*). Tertiò inconſtantia aut infirmitas fidei; ait enim Sanctus Apoſtolus Jacobus: *Poſtulet a Deo in fide; nihil hæſitans* (*b*). Unde Sanctus Bernardus: Cœleſti benedictione indignus convincitur, qui Deum dubio quærit affectu; quandoque deeſt fervens devotio, quando non perſeveratur; quandoque petitur, quo carere melius eſſet.

Sed inter omnes cauſas, quæ in viris, alioquin bonis, ſolet orationes noſtras ingratas Deo efficere, nulla eſt perniciosior, quàm ea, quæ hodierno die in Evangelica lectione a Salvatore noſtro proponitur, nempe philautia, ideſt ſui ipſius nimius amor: hæc facit, ut dum nos ipſos nimis amamus, non ſolùm de nobis & noſtris operibus nimis arroganter ſentiamus, & non omnia bona quæ facimus, Deo & ejus gratiæ accepta feramus; verùm etiam, ut faſtu quodam reliquos homines contemnamus, quæ ut faciliùs pateant, ipſum Dominum loquentem audiamus: *Duo homines aſcenderunt in Templum, ut orarent* (*c*). Conſiderate ſingula, Fratres cariſſimi: bonum erat in Templum ire; etiam bonum erat orare; unus eorum Phariſæus in conſpectu hominum vitæ irreprehenſibilis; alter Publicanus, qui ab omnibus, tamquam peccator condemnabatur. Videtis diſſimiles mores, diſſimilem rationem vivendi in utroque; audietis diverſos orandi modos, varioſque orationis eventus. Ait itaque Phariſæus ſtans, non ſe humilians flexis genibus, ſed de operibus præſumens: *Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut ceteri hominum raptores, injuſti, adulteri, velut etiam hic Publicanus; jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium, quæ poſſideo* (*d*). Bene quidem incœpit, dum diceret: *Deus gratias tibi ago;* at ſtatim in arrogantiam incidit, dum aſſerebat ſe juſtum eſſe, & alios præ ſe contemnebat; numquam enim debemus nos ipſos juſtificare, aut ſuperbâ quadam jactantiâ, facta noſtra deprædicare; ait enim Salomon: *Laudet te vicinus, & non os tuum; extraneus, & non labia tua* (*e*): Dicamus potius nos id, quod in Evangelio nobis mandatur: *Cùm omnia fecerimus*, quæ poterimus facere, *ſervi inutiles ſumus* (*f*); & ſi nobis

(*a*) *Eccleſiaſtici XVIII. v. 23.*
(*b*) *Epiſt. Cath. Jacobi I. v. 6.*
(*c*) *Luc. XVIII. v. 10.*
(*d*) *Ibid. v. 11. & ſeq.*
(*e*) *Proverb. XXVII. v. 2.*
(*f*) *Lucæ XVII. v. 10.*

eam gratiam concesserit benignitas divina, ut conscientia nostra nullius mortalis peccati nos arguat, vel si aliqua bona opera fecisse nos arbitremur, numquam temere pronunciemus, nos esse justos; nec de propitiato peccato debemus esse sine metu. Beatus enim Apostolus ait: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me, Dominus est* (*a*). Ceterùm in Publicano omnia contraria; gravitatem suorum peccatorum agnoscebat, nec propius accedere audebat ad eum locum, ubi sancti & puri corde, Deum adorare solebant; nec oculos attollere in Cœlum, cujus Regem tantis flagitiis offenderat. Postremò animadvertens omnia illa mala, quæ perpetrarat, a corde & animo originem traxisse, graviter pectus percutiebat, ac statim ad misericordiam Domini confugiebat, in qua sola spes omnis veniæ & salutis ponenda est, dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori* (*b*). Quæ cùm ab utroque in hunc modum facta essent, plus profuit Publicano confessio humilis, quàm Pharisæo bonorum operum suorum superba ostentatio; nec solùm de his, sed de omnibus dictum est a Domino: *Qui se humiliat, exaltabitur, & qui se exaltat, humiliabitur* (*c*).

Videte admirabilem humilitatis vim, & superbiæ perniciosam ruinam; semper enim superba cogitantes, repentina humilitate obruuntur, & qui se usque ad terram humiliant, ædificium sustollunt, ad Cœlum usque pertingens. Superbia virum alioquin bonum inquinat, humilitas peccatorem justificat; superbia Angelum de Cœlo præcipitavit, humilitas hominem collapsum ad Cœlum evehit: denique superbia est odii mater, invidiæ fons, virtutum ruina, sublimium præcipitatio, orationis tabes, vitiorum origo; humilitas verò benevolentiam conciliat, amorem nutrit, jacentes & abjectos erigit, omnium virtutum est mater, orationis est condimentum, & nervus ad Dei misericordiam impetrandam: *Cor* enim *contritum, & humiliatum Deus non despiciet* (*d*). Humilitate homo primò agnoscit se cinerem esse, & in cinerem reversurum, & gratiâ Dei se id esse, quod est, & omne datum optimum desursum esse a Patre luminum, nec umquam se aliis Pharisaicâ superbiâ præponit; sed quò altiùs subvehitur, aut quò plura beneficia a Deo acceperit, eò magis se dejicit, & humiliùs de se sentit. Hæc Abraham docuerat, ut cùm esset Domino gratissimus, cinerem se & pulverem appellaret; hac edoctus Jeremias, puerum nescientem loqui se dicebat, cùm Domi-

(*a*) *I. ad Corinth. IV. v.* 4.
(*b*) *Lucæ XVIII. v.* 13.
(*c*) *Ibid. v.* 14.
(*d*) *Psalm. L. v.* 19.

Dominus illum Prophetam conſtitueret; ad hanc nos tum exemplo, tum verbis invitat Salvator dicens: *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde* (*a*). Et Sancta Mater Eccleſia Sponſi ſui voluntati in omnibus conſentanea, hodierno die per totam ferè Miſſam, nihil aliud docet, quàm, ut infirmitatem noſtram agnoſcentes, non in noſtris viribus, ſed in miſericordia & bonitate Dei, fiduciam noſtram collocemus. In primo ingreſſu: *Fac cum ſervo tuo ſecundùm miſericordiam tuam* (*b*). In prima oratione, agnoſcitur bonitatis Dei eſſe & Populum fidelem protegere, & hoſtes comprimere. In ſecunda, confitemur cordis infirma, & a gratia pietatis divinæ, mentis illuſtrationem petimus. In tertia, fatemur, dona, quæ illi deferimus, de ſua largitate nos accepiſſe. In præfatione, rogamus, ut noſtræ fragilitati ſuâ invictâ bonitate ſubveniat. Epiſtola monſtrat, quòd in nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti abluti, ſanctificati, & juſtificati ſumus. Evangelium, Phariſæum nobis propoſuit, ut ſuperbiam & præſumptionem deteſtemur; Publicanum verò, ut in eo humilitatis præſtantiam videremus. Quamobrem, Fratres cariſſimi, cum in omnibus rebus, tum maximè in oratione humiles nos præſtare debemus: *Sint oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, ſicut oculi Ancillæ in manibus Dominæ ſuæ, donec miſereatur noſtri* (*c*). Et nunc, Fratres cariſſimi, is eſt Reipublicæ Chriſtianæ ſtatus, ea eſt calamitas, & miſeria, ut nunc magis opus eſſe videatur tum perpetuis orationibus, tum jejuniis & eleemoſynis maximis, quàm umquam antehac; nam in omnibus Eccleſiæ membris peccata ita videntur regnare, ut *a planta pedis* ejus, *uſque ad verticem, non ſit in ea ſanitas* (*d*). Hæretici, ac inimicus homo zizania ubique ſeminant, ac inſtar vulpecularum, vineam Domini demoliuntur, ut verum ſemen, ideſt ſynceram verbi Dei prædicationem, in pleriſque locis, ne creſcat, impediant; acerrimus Chriſtiani nominis hoſtis Turca Reipublicæ Chriſtianæ ruinam, & perniciem molitur, ac contra nos maximas copias ducit (*e*); nunc *hora eſt, nos de ſomno* ad orationes *ſurgere* (*f*), ut noſtris precibus Chriſtum quaſi dormientem (propter noſtra flagitia) in hac navicula Petri excitemus, ut a ſubmerſione eam dignetur conſervare, cùm tot & tantis fluctibus

(*a*) *Matth. XI. v. 29.*
(*b*) *Pſal. CXVIII. v. 124.*
(*c*) *Pſal. CXXII. v. 2.*
(*d*) *Iſaiæ I. v. 6.*
(*e*) Quæ ad labefactandam Catholicam Religionem intentaverint Hæretici in Gallia, Anglia, & Germania, quæve bella geſſerint Turcæ ſub Solimano II. & Selimo ejuſdem filio, donec clade Lepantica fracti, fugatique anno MDLXXI. arma & inſolentiam compeſcerent, fusè narrat Spondanus in Continuatione Baronii ad annum MDLXX. & ſeqq.
(*f*) *Ad Roman. XIII. v. 11.*

bus agitetur. Convertamur ad illum in planctu, fletu, & jejunio; operiamus eleemosynis peccata nostra; precibus illum solicitemus humilibus, & sinè dubio exaudiet nos, ac liberabit de manibus inimicorum nostrorum: *Lavamini*, inquit ipse Dominus (*a*) *& mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perversè, discite benefacere, & venite, & arguite me: si fuerint peccata vestra, ùt coccinum, quasi nix dealbabuntur*. *Bona*, inquit Tobias (*b*), *est oratio cum jejunio, & eleemosyna*. Scrutemur Sacras Scripturas, inveniemus Populum Dei in his præsidiis totam spem, tamquam in sacra anchora, posuisse, & liberationem tum ab inimicis, tum ab ærumnis, ab ira Dei ac comminationibus semper impetrasse. Moyses enim, cùm oporteret in deserto contra Amalecitas pugnare, in montem oraturus ascendit, non in aciem pugnaturus, videns victoriam a Deo orationibus impetrandam potius, quàm copiis Militum, & humano consilio fidendum. Tamdiu Josue pugnans hostes superabat, quamdiu Moyses extensis manibus ad Cœlum orabat; at eo manus suas demittente, hostes superabant (*c*): ut liquidò appareat, res militares in Republica Christiana precibus magis, quàm viribus promoveri. Hoc videbat sub Samuele Populus Israëliticus (*d*), cùm contra Philistiim bellum introducentes, magno timore egrederentur; rogabant enim Samuelem, ne cessaret clamare ad Dominum pro illis, cujus oratione victoriam consecuti sunt, tonitru & fragore cœlitus demisso ad perterrendum Philistæos. Hoc bene videbat etiam Josaphat Rex Judæ (*e*), cùm in illum irruerent Ammonitæ, & Moabitæ, multitudine militum, & viribus longe illo superiores; indicto enim jejunio, & supplicatione solemni ad deprecandum Deum, totum Populum convocavit: Qua re effectum est, ut Deus hostes ejus ad se mutuis vulneribus conficiendos provocaret, & eo modo precibus humilibus, non solùm victoriam sinè sanguine & periculo suo obtinuerunt, verùm etiam spoliis hostium locupletati, triumphantes & laudantes Deum, in Jerusalem reversi sunt. Nec ignorabat Eliachim Sacerdos, orationis Populi unanimiter congregati vim & potestatem, qui contra immensas Holofernis copias, orationibus, jejuniis, & supplicationibus totius Populi se munivit. Induerunt se Sacerdotes ciliciis; mulieres, & infan-

(*a*) *Isa. I. v. 16. & seqq.*
(*b*) *Tobiæ XII. v. 8.*
(*c*) *Exod. XVII. v. 11.*
(*d*) *I. Reg. VII.*
(*e*) *II. Paral. XX.*

ſantes proſtraverunt ſe contra faciem Templi, in oratione & jejunio perſeverantes, ne in manus hoſtium inciderent. Ita ėt Judith freta orationibus Oziæ, & Presbyterorum, auſa eſt ſola in caſtra potentiſſimi Imperatoris intrare, & ingreſſa cum lacrymis orabat, ut conſilium ſuum Deus confirmare dignaretur; & ſic una Fœmina, ſanctis orationibus armata, hoſtem toti Iſraëlitico Populo formidoloſum interfecit. Quid hoc in loco Ninivitas commemorem, qui ſententiâ a Deo latâ condemnati ad internecionem intra quadraginta dies, oratione in cinere & cilicio, miſericordiam & veniam conſecuti ſunt?

Cetera deſiderantur.



HO-

HOMILIA VII.

Super Luc. X. & Matth. XIX. (a)

Habita Dominica III. poſt Decollationem

ANNO MDLXIX. XVIII. SEPTEMBRIS.



OMINUS & Salvator noſter, cùm ſciret horam veniſſe, ut tranſiret ad Patrem, volens Diſcipulis ſuis brevem & certam tradere viam, quam obſervantes, vitam æternam conſequerentur, hæc verba dixit: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos: In hoc cognoſcent omnes, quia Diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem* (b); neque verò ille Deum amare judicatur, qui fratrem ſuum proſequitur odio, ſicut teſtatur ille Diſcipulus, qui ſuper pectus Domini ſui recubuit, & voluntatis ejus arcana didicit: *Qui non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere* (c)? Et iterum: *Qui diligit fratrem ſuum in lumine manet, & ſcandalum in eo non eſt* (d), & alio loco: *Qui habuerit ſubſtantiam hujus Mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo* (e)? Et huic conſentit vas electionis Paulus dicens: *Omnis lex in uno ſermone impletur: diliges proximum tuum, ſicut te ipſum* (f), & iterum: *Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis; qui enim diligit proximum, legem implevit* (g), *dilectio* namque *proximi malum non operatur* (h). Neque nos commovere debet, quòd Matthæus dicat, legem pendere in duobus mandatis (i), nempe dilectione Dei, & proximi; nam cùm proximus propter Deum diligendus ſit, dilectio Dei in dilectione proximi continetur. Hujus præſtantiam videbat Paulus, cùm diceret, (poſtquam enumeraverat omnia ferè bona, quæ hominibus con-

(a) Titulum hujus Homiliæ ſcripſit a tergo propria manu Sanctus Carolus.
(b) *Joann. XIII. v. 34. & ſeq.*
(c) *I. Joann. IV. v. 20.*
(d) *Ibid. II. v. 10.*
(e) *Ibid. III. v. 17.*
(f) *Ad Galatas V. v. 14.*
(g) *Ad Rom. XIII. v. 8.*
(h) *Ibid. v. 10.*
(i) *Matth. XII. v. 40.*

concesserat Deus), adhuc excellentiorem viam vobis monstrabo: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens* (*a*); nam sicut cymbalum bene sonans aliis voluptatem affert, nullam tamen percipit delectationem; ita prophetia, scientiæ, mysteriorum notitia, eleemosynæ, ceterique actus, alioquin boni, sine caritate nihil ad vitam æternam promerendam conducunt; hac enim omnia condiuntur, & grata Deo fiunt; quidquid enim præcipitur (ait Sanctus Gregorius) in sola caritate solidatur: sicut arboris unius multi rami ex una radice prodeunt, sic multæ virtutes ex una caritate generantur; neque habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice caritatis, adeò ut si radicem spectemus, unum est præceptum divinum, nempe dilectionis; sin autem ramos, idest opera bona consideremus, præcepta multa sunt, sicut èt multi rami. Hæc est illa caritas, quæ Abraham inflammabat, ut solicitè oraret Deum pro Sodomitarum salute; hæc Moysen ita accendit, ut Deo diceret: *Aut dimitte eis, aut dele me de libro, quem scripsisti* (*b*); hæc fecit, ut David mortem Saul inimici sui plangeret; hæc Tobiam ad tanta opera pietatis commovit; hac inflammatus Paulus, pro salute fratrum suorum optabat fieri anathema. Quid illum fecit tot subire labores, tot adire pericula, tot peragrare regiones, ut ad Fidem & salutem homines converteret, nisi admirabilis caritas, qua omnes prosequebatur homines? Denique per hanc, qui seminat in terris, in Cœlis feliciter metet. Hæc est vestis illa nuptialis, sine qua nemo potest intrare; hæc pacis vinculum, vitiorum extirpatrix, possidentium armatura. At probatio caritatis est exhibitio operis: *Vos amici mei estis*, inquit Salvator, *si feceritis, quæ ego præcipio vobis* (*c*), quasi diceret: si culmen placet dignitatis, non recusate exercitium laboris. Ideo cùm Mater filiorum Zebedæi peteret locum filiis suis in regno a dextris, & sinistris Salvatoris, audierunt: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum* (*d*)? quasi diceret: si locus celsitudinis delectat, pergite per viam exercitationis; *qui dicit se diligere Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est* (*e*); si ergo velimus esse veri amici, & amatores Dei, non tantùm ore id dicamus, sed corde, & opere

(*a*) *I. ad Cor. XIII. v.* 1.
(*b*) *Exodi XXXII. v.* 31. & 32.
(*c*) *Joannis XV. v.* 14.
(*d*) *Matth. XX. v.* 22.
(*e*) *I. Joann. II. v.* 4.

opere id monstremus ac observatione mandatorum Dei. Hoc etiam in hodierno Evangelio docemur, nam cùm Legis-peritus dixisset, in lege scriptum esse : *Diliges Dominum Deum tuum &c. & proximum tuum sicut te ipsum* (*a*), Dominus respondit: *Hoc fac, & vives*, quod idem est, ac si diceret: vita non in cognoscendis mandatis, sed in observandis consistit. Sed totum Evangelium breviter consideremus: quidam Legis-peritus accessit ad Christum, non ut ab eo disceret, sed ut illum tentaret, atque in sermone caperet, si quidpiam contra legem responderet; & eum Magistrum appellat, nolens tamen ejus esse Discipulus, & rogat, quasi discendi causà : *Quid faciendo vitam æternam possidebo* (*b*) ? Video te de vita æterna, & regno Cœlorum multa populo prædicare; dicas breviter, quid oportet eum facere, qui cupit ad illam vitam pervenire ? Salvator, cognità ejus astutià, eum ad legem, quam profitebatur, remittit, ut suo ipsius gladio eum confodiat, dicens: *In lege quid scriptum est* (*c*)? Cùmque ille responderet : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua : & proximum tuum sicut te ipsum*, dixit ei Dominus : *Rectè respondisti; hoc fac, & vives*, quasi diceret: ex ore tuo te judico, qui hæc duo præcepta servaverit, sine dubio vitam æternam possidebit; nam quæcumque in lege, aut Prophetis scripta sunt, in hunc finem sunt scripta, ut Deum primò, deinde proximum propter Deum diligamus; atque ita inter se sunt conjuncta hæc duo, ut unum implere sine observatione alterius nemo possit. Hìc licebit notare cæcitatem Hæreticorum, qui putant bona opera non conducere ad justificationem hominis, cùm videant cæcum Legisperitum, hoc non ignorare. Nam dicit: *Quid faciendo*, non quid credendo, *vitam æternam possidebo ?* & Dominus postea dicit : *Hoc fac, & vives*, non hoc crede, & vives. Matthæi XXV. legimus, quòd propter opera misericordiæ, Dominus ad se vocat benedictos Patris sui, ut possideant Regnum; & malos, quia ea non fecerunt, in ignem æternum mittit. Scribit etiam Apostolus (*d*): operanti bonum dabitur laus, honor, & gloria, & quòd unusquisque recipiet secundùm opera sua, prout gessit in corpore : & tamen contra legem antiquam & Prophetas, contra Apostolorum doctrinam, contra ipsius Salvatoris dicta, Hæretici (quæ est

(*a*) *Lucæ X. v. 27. & seq.*
(*b*) *Ibid. v. 25.*
(*c*) *Ibid. v. 26. & seqq.*
(*d*) *Ad Roman. II. v. 6. & seq.*

eſt eorum impudentia, & cæcitas!) audent dicere, bona opera noſtra inutilia eſſe ad conſequendam ſalutem. Sed nos potiùs, qui coronam a Chriſto Duce, & Rege noſtro expectamus, ejus doctrinam ſequamur, ac per bona opera, noſtram vocationem certam faciamus. Tunc hic Legis-peritus hoc primo conatu fruſtratus, volebat ſe juſtificare, hoc eſt, oſtendere juſtum, & hoc præceptum implere, ac ideo rogabat: *Quis eſt meus proximus* (a)? putans Dominum reſponſurum; quòd Judæus omnis eſſet illi proximus, & tunc dixiſſet, ſe Deum, & Judæos diligere, atque eo modo præceptum dilectionis Dei, & proximi implere. Ceterum eleganti propoſita parabola, ipſum ad confitendum duxit, non ſolùm Judæos inter ſe, verùm etiam omnes gentes inter proximos eſſe numerandas.

Sed antequam ad explicationem parabolæ accedamus, notandum eſt, quandoque proximos dici, qui ſunt ejuſdem Nationis, aut ſanguinis; quandoque eos, qui eamdem incolunt Civitatem, aut in eodem loco degunt; quandoque èt qui aliqua ſocietate inter ſe ſunt conjuncti, ut qui vel eamdem Religionem profitentur, vel eamdem vivendi rationem ex inſtituto ſequuntur. At nunc omnis homo lege divina proximus nobis judicandus eſt, ſicut ex ſequenti parabola manifeſtè conſtat: Homo enim ille, qui Jeroſolymà in Jericho deſcendens, in latrones incidens, ab illis ſpoliatus omnibus, quæ habuit, & in corpore vulneratus, judicatur potius eſſe proximus Samaritano alienigenæ, qui illi compatiens vulnera ejus ligavit, oleum & vinum in ea infudit, & eum jumento impoſitum in ſtabulum duxit, & curam ejus ſtabulario commiſit, datis ad impenſas duobus denariis, ac promiſſo, ſe ſoluturum, cùm rediret, quidquid ultra ſupererogaret, quàm Sacerdoti, & Levitæ hominibus ſuæ Nationis & Civitatis, qui illum ſine miſericordia prætererunt. Videmus, & confeſſione Legis-doctoris, & approbatione Domini, omnem hominem nobis proximum eſſe, & caritate diligendum. Ceterùm hic non eſt perturbandus caritatis ordo, neque eodem modo & boni, & mali diligendi ſunt; majora enim caritatis opera (ſi eadem ſit omnium neceſſitas) his, qui nobis ſunt magis conjuncti, nempe Patri, Matri, fratribus, reliquiſque propinquis, qui ex nobis pendent, facienda ſunt; Chriſtianis potiùs quàm Infidelibus; Catholicis, quàm Hæreticis in æquali rerum neceſſitate debemus potiùs ſub-

(a) Luc. X. v. 29.

venire; bonos diligere tenemur, ùt membra viva ejusdem corporis mystici, malos verò, ùt creatura Dei non debemus contemnere, aut eorum salutem negligere; nec ita debemus homini compati, ut vitia non corrigantur, sed in uno eodemque homine & diligamus bonum, quod factum est, & persequamur mala, quæ fecit; ne dum culpas incautè remittimus, non jam per caritatem compati, sed per negligentiam occidisse videamur. Ceterùm ab hac Christiana caritate nullum debemus excludere, quin illum juvemus, quantum possimus, in his, quæ ad animi corporisque salutem necessaria videbuntur. Hoc & noster Salvator verbis docuit, & exemplo monstravit; nam qui dicit: *Diligite inimicos vestros, benedicite his, qui oderunt vos* (a); quique pro nobis, cùm essemus inimici, tanta passus est tormenta, & in dies Solem suum lucere facit, & pluviam cadere super bonos, & malos, non vult eos habere filios, & sibi cohæredes, qui eamdem caritatem erga omnes non sequantur. Multæ sunt causæ, quæ nos ad omnes diligendos commovere debent, cùm fratres omnes simus, ab eodem primo Parente nati, ab uno eodemque Deo primò creati, deinde redempti, ac in filios adoptati. Tum in singulis est imago & similitudo Dei, ad quam sumus facti, ut, qui imaginem sui Creatoris contumeliâ affecerit, ipsum, cujus est imago, parum diligere convincatur. Præterea sumus omnes ad eamdem beatitudinem destinati, si obtemperare velimus; quare æquum est, ut quos caritas in patria arctissimè conjunget, eadem in via non separet. Diligamus ergo, Fratres carissimi; at suo ordine & gradu, bonos propter virtutem, & quia ejusdem corporis membra, & ejusdem Patris filii sunt; diligamus èt malos, nitamurque eos ad virtutem deducere, ut sicut creatione sunt fratres nostri, ita èt adoptione fiant.

Putemus hoc, quod Salvator noster huic Legis-doctori in fine hodierni Evangelii dicit, ad nos omnes pertinere, nempe: *Vade & tu fac similiter*. Sunt enim multi, qui descendunt de Jerusalem versùs Jerichum, hoc est a statu virtutis & gratiæ, ad peccata decidunt, & in latrones spirituales incidunt, qui & dona gratiæ auferunt, & multa, quæ a natura sunt, pervertunt, ac semivivos relinquunt, idest, cum infirma fide, exigua devotione, caritate frigida, misericordia tenui, ut periculum sit, nisi adsint, qui vulnera curent, ne pereant. Cavendum est, ne cum Sacerdote

(a) *Luc. VI. v. 27.*

dote illo miseros hos homines, tam periculosè vulneratos sine miseratione prætereamus, neve cum Levita pertranseamus; sed potiùs similiter Samaritano studeamus facere: & sicut ille hujus vulnera prius ligavit; deinde oleum, quod mitigat dolorem, infudit; tum vinum, quod acerbè pungit, ad purgandum vulnus; postremò eum jumento imposuit, ac in stabulum duxit: *Vade & tu fac similiter*. Vulnus ligat, qui exhortatione, prædicatione, aut aliis modis suadet, ut mala relinquatur vita; Oleum infundit, qui præmia ostendit proposita benè viventibus, & mæstum consolatur, spe fovet, indulgentiam promittit; Vinum miscet cum acerbitate purgans, qui increpationibus asperis, comminationibus suppliciorum ab impietate terret. Miscenda sunt dulcia amaris, lenia asperis, jucunda molestis; & ita quoddam ex utroque temperamentum faciendum, ut neque nimia acerbitate exulcerentur, nec nimia lenitate solvantur. Ceterùm, ùt in Samaritano laudatur misericordia & caritas; ita in vulnerato erat patientia necessaria, & obedientia utilis, adeò ut nihil profuisset benignitas compatientis, nisi fuisset obediens animus ægrotantis. Quorsum ligantur vulnera, si nimià impatientià vulnerati statim rumpantur? Verùm multi sunt, (proh dolor!) ita desperatæ salutis, ut cùm vulnerati in via jaceant, mallent tamen videre Sacerdotem, & Levitam prætereuntem, quàm Samaritanum, qui vulnera ligaret, oleum & vinum infunderet, ac in stabulum portaret. Tales sunt illi, qui in perpetuo adulterio, aut fornicatione vivunt; qui perpetuam exercent usuram; qui voluptate carnis diffluunt; qui denique in aliquo peccato obdurati perseverant, ut nec admonitionibus avocari, nec hortationibus abduci, nec minis deterreri possint; quorum damnatio (nisi pœnitentiam egerint, & ad Deum convertantur) justa est: Nos tamen speramus inter nostras oves, tales non reperiri, quin statim ad vocem Pastoris sui, æquo animo vulnerum suorum remedia patiantur. Ideo vos omnes rogo, ut qui vulneratum aliquem in via jacentem invenerit, non negligenter prætereat, sed cum nostro Samaritano exhortationis & Sacramentorum adhibeat ligamenta, oleum consolationis infundat, ac vinum pœnitentiæ misceat; ac illi, qui vulnerati sunt, sua vulnera ne occultent, nec oblata sibi remedia abjiciant. Ita fiet, ut qui misericordiam ostenderit, suæ benignitatis præmium, & qui obedierit, suæ patientiæ fructum consequatur.

ALLE-

ALLEGORIA PARABOLÆ.

Homo descendens de Jerusalem, genus humanum significat, quod in primo Parente a statu innocentiæ in Jericho, hoc est in statum filiorum iræ descendit; latrones sunt mali & diabolici spiritus, qui, propter peccatum, homini eripuerunt omnia dona supernaturalia, originalem nempe justitiam & gratiam, ac vulnerarunt in corpore, idest vires naturales animi & corporis minuerunt. Sacerdos legem Mosaïcam, Levita sermonem Prophetarum denotat, quia neque lex, neque prædicatio Prophetarum, humanum genus in eum statum, unde ceciderat, potuit restituere. Samaritanus ille alienigena, Christi Salvatoris figura est, qui secundùm divinitatem alienigena est. Ille, ut vulnus humani generis curaret, utitur ligamentis externis doctrinæ, & oleum suæ misericordiæ ac gratiæ infundit; tum disciplinæ ac pœnitentiæ acrimoniam addit ad purgandum vulnus; tum in diversorium, hoc est in Ecclesiam ducit, & ad tempus, scilicet usque ad Ascensionem, cum eo mansit; ac discedens, stabulario, hoc est Rectori Ecclesiæ, duos denarios, idest duo Testamenta reliquit, unde infirmus medicinam posset comparare; tum promittit se, cùm redierit, velle restituere, si quid ultra ad curam ejus supererogaret, interpretando scilicet, & dilatando ea, quæ in utroque Testamento habentur, atque ad singulorum ingenia, mores, & utilitatem applicando. Videmus in hac allegoria omnia, quæ ad reparationis humani generis mysterium pertinent, contineri.

CAPITA EORUM, QUÆ DICTA SUNT.

I. Dilectionis proximi necessitas, fructus, & perfectio.

II. Hæc dilectio non tantùm corde & ore habenda, sed opere etiam manifestanda; quæ opera utilia & necessaria ad salutem probantur.

III. Omnis homo in necessitate constitutus proximus est; sed tamen, juxta gradus conjunctionis, inter proximos caritatis gradus servandi sunt.


IV. Pastores, & qui aliis possunt prodesse, debent Samaritani misericordiam imitari; qui verò peccati vulneribus confecti jacent, obedientiam præstent ei similem, qui a Samaritano curatur.

HO-

HOMILIA VIII.

DE SANCTO MATTHÆO APOSTOLO (a)

ANNO MDLXIX. XXI. SEPTEMBRIS.



ULLA major solet esse ægrotantium consolatio, quàm quòd Medicum talem esse videant, qui & libenter curet, & cui nullus morbus sit difficilis curatu; ideo videmus homines ad insignes quosque Medicos ex longissimis regionibus confluere, ut ægritudines corporis depellantur: quantò major debet esse nostra solicitudo & diligentia, ut vulneribus animi, & nostris peccatis remedia quæramus; cùm certissimum sit, nihil juvare totum Mundum lucrari, & animæ suæ jacturam facere. Qua in re, eò minus excusandi sumus, si parum diligentes reperiamur, quò noster Medicus prudentior, potentior, & ad curandum propensior ceteris omnibus cognoscitur. Ille omnes ad se invitat: *Venite*, inquit, *ad me omnes, qui onerati estis, & ego reficiam vos* (*b*); & alibi: *Ego sto ad ostium, & pulso; si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum* (*c*). Omnes vocat, neminem excipit, omnium ostia pulsat, nullius portam intactam prætermittit; adeo ut si animi nostri vulnera non fuerint curata, nobis ipsis adscribendum est, qui vocati, ad Medicum venire recusamus, qui pulsanti Medico januam nolumus aperire. Ille semper benignus; at nos ipsi nostræ ruinæ causa sumus, juxta illud: *Perditio tua ex te est*. *Quoties*, inquit, *volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti* (*d*)? Neque quisquam tam deploratæ salutis, quin si ad illum humiliter accedat, liberationem a mor-

(*a*) Ita a tergo inscripta est hæc Homilia manu propria Sancti Caroli.
(*b*) *Matth. XI. v.* 28.
(*c*) *Apocalyps. III. v.* 20.
(*d*) *Matth. XXIII. v.* 37.

a morbo obtineat; atque ut omnibus de ejus misericordia sperandi signum daret, etsi maximis flagitiis essent notati, placuit ejus benignitati, persecutores Ecclesiæ, & maximis sceleribus coinquinatos, non solùm sanare a peccatis, & ad Fidem invitare, verùm etiam ad amplissimam & dignissimam Apostoli vocationem promovere: Id quod vas electionis Paulus in se factum esse confitetur, qui cùm blasphemus, persecutor, & contumeliosus esset, misericordiam consequutus est ad informationem eorum, qui credituri erant in vitam æternam; nam qui videt Paulum persecutorem, qui spirabat minas, & cædem discipulorum Christi moliebatur, factum gentium Doctorem, gratiæ donis ornatum, ad portandum nomen Domini coram gentibus, Regibus, & filiis Israël, non deberet de remissione suorum flagitiorum, & gratiâ Dei desperare. Idem, quod in Paulo factum est, ad miserorum consolationem monstravit Salvator noster, etiam in vocatione nostri Sancti Apostoli Matthæi, ad cujus festivitatem celebrandam hodie congregamur; nam ille ex publicano factus est Apostolus, ex sordido Sanctus, ex rapaci liberalis; ut qui inclementer ab aliis lucra extorqueret, nunc libenter sua in pios usus largiatur; ac qui antea fuit pietatis & honestatis inimicus, factus est Evangelii Dei prædicator, & scriptor; de cujus eximia laude multa dici possent, quæ a Sanctis Viris conscripta reperimus. Sed nimis esset longum recitare, quæ contra impios Magos ipse fecerit; quomodo filium Regis Ægypti mortuum resuscitaverit; quantâ diligentiâ ibi fundamenta Ecclesiæ Christi jecerit; quanto fructu Evangelium conscripserit. Hæc, inquam, cùm nimis longum sit persequi, prætermittenda duximus, & ea vestræ caritati proponere, quæ de ejus vocatione, hodierni Evangelii lectione proponuntur: quæ si diligenter a vobis fuerint percepta, & operibus manifestata, non dubito, quin totius nostræ vocationis, & justificationis ordinem videre possitis. Consideremus ergo primò, in quo statu ille erat; tum quàm benignè Dominus illum vocaverit; deinde quàm humiliter Domino vocanti subitò ille paruerit; postremò quomodo, ut gratum animum ostenderet, Dominum ad convivium invitaverit, ac reliquos publicanos voluerit Domino familiares reddere. In his gradibus diligenter consideratis, videbimus institutionis Christianæ perfectam rationem quasi descriptam.

In illo tempore, cùm pertransiret Jesus, vidit hominem sedentem in Telonio, Matthæum nomine (a). Accepto beneficio, grati animi est magnitudi-

(a) *Matth. IX. v. 9.*

tudinem ejus agnoſcere, & bonitatem largientis confiteri, ac ſuam calamitatem non abſcondere. Ita Sanctus Matthæus, cùm hanc ſuam converſionem deſcriberet, primùm ſuam miſeriam & iniquitatem oſtendit, ac ſe fuiſſe publicanum rapacem confitetur, juxta Sapientis conſilium: *Juſtus prior eſt accuſator ſui* (*a*), & hæc omnia fecit, ut gloriam Chriſti prædicaret. Nam quò lacrymabilior eſt conditio ægrotantis, eò commendabilior eſt virtus opem ferentis. Et ait illi: *Sequere me, & ſurgens ſecutus eſt eum* (*b*). Notemus, quomodo Dominus vidit primò, deinde vocavit, tum Matthæus ſecutus eſt: ubi ſummam miſericordiam vocantis, & mirabilem obedientiam ſequentis admirari debemus; & ideo Sanctus Matthæus hanc ſuam vocationem inter miracula numerat; quia majus miraculum erat ex ambitioſo modeſtum, ex feroci patientem, ex libidinoſo caſtum, ex rapaci liberalem facere, idque ſubitò, quàm ægrotum ſanitati reſtituere. *Et diſcumbente eo, ecce multi publicani, & peccatores venientes diſcumbebant cum Jeſu, & diſcipulis ejus* (*c*). Sanctus Lucas ſcribit: *Fecit ei convivium magnum in domo ſua* (*d*); ecce nunc quomodo & diſcipulus ſe gratum oſtendit Domino vocanti, & Dominus ejus gratitudinem & promptam obedientiam videns, dignatus eſt ſuâ præſentiâ & convivium, & domum ſuam honorare. At Matthæus poſtquam guſtaſſet dulcedinem doctrinæ Salvatoris, non contentus ſua propria ſalute, etiam alios publicanos invitavit, ſperans fore, ut èt ipſi ad ſanitatem converterentur; neque ſolùm optabat ſalutem publicanorum, ſed omnium converſionem ſitiens, Evangelium, quo omnes lucrifaceret Chriſto, conſcripſit, ut quos convivio non poſſet excipere, & viva voce ad Chriſtum trahere, eos ſaltem ſcriptis doceret, quomodo ventura ira fugienda eſſet, & vera beatitudo acquirenda. O magnum miraculum, o admirabilis mutatio! Qui paulò antea totus erat deditus terrenis, nunc nihil meditatur, præter cœleſtia; antea flagitiorum omnium quaſi ſentina, & Magiſter errorum, nunc virtutum theſaurus factus eſt, & veritatis inſtructor. Hic manifeſtè exprimitur juſtificationis noſtræ quaſi catena, & ordo; nam ſicut ipſe ad Telonium ſedebat, ideſt totus addictus turpi lucro & ſceleribus, antequam Dominus illum aſpiceret; ita èt nos omnes, niſi ſuâ gratiâ præveniat Salvator, nihil boni ne cogitare quidem poſſumus ex nobis: *Nemo enim*, inquit Re-

 demptor

(*a*) *Proverb. XVIII. v.* 17.
(*b*) *Matth. IX. v.* 9.
(*c*) *Ibid. v.* 10.
(*d*) *Lucæ V. v.* 29.

demptor noster, *venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum* (*a*): ceterùm nolentes non cogit, sed volentes trahit. Ideo nostrum est, ut cùm divina benignitas nostras calamitates respexerit, & ad se nos vocaverit, Telonio malæ consuetudinis & depravatæ vitæ relicto, surgere, & illum sequi, & alios nobiscum trahere, & agnoscere divinam bonitatem, ac nostram, in qua fuimus, miseriam. Deus primò pulsat, nostrum est aperire: tunc ille intrabit per gratiam justificantem, & cœnabit nobiscum, communicando perseverantiæ donum, & nos cum illo, eum in domum nostram convivio excipientes, grata nimirum gratiarum actione, & meritis laudibus; & tunc nobis ille reddet coronam justitiæ. Hac catena, his gradibus nobis ad gloriam ascendendum est; pulsat autem Dominus cordium nostrorum ostia quotidie, nunc per lectionem Scripturarum, nunc per vocem Prædicatoris, nunc per eum, qui Confessiones audit, nunc per afflictiones, nunc per beneficia; denique omni modo cupit nos a consortio publicanorum ad se avocare; vocat miraculis, vocat verbo, vocat exemplo. Quare inexcusabiles sumus, si nec minis deterreri a peccatis, nec præmiis ad salutem vocari possimus. Sequitur: *Et videntes Pharisæi, dicebant discipulis ejus: quare cum publicanis, & peccatoribus &c.* (*b*). Hìc animadvertere licet Hypocritarum malitiam, & Pharisæorum calumniam, qui nihil aliud quærunt, nisi ut bonorum famam lædant, externam quamdam religionem fingentes: numquam isti Christum laudabant, quando bene aliquid fecit, quia invidià erant repleti; eum diligentiùs sequebantur, ut caperent in sermone, quàm ut doctrinâ ædificarentur. Deinde in eo culpant quæ potius essent laudanda, atque ut hæc facerent, boni speciem præseferebant. Nunc Dominum apud discipulos, nunc discipulos apud Dominum accusant, semper discordias & inimicitias seminantes. Ab hoc fermento Pharisæorum, suadente Domino, cavendum est; occultè enim & malitiosè virus suæ doctrinæ instillant, quomodo jam volebant discipulos Christi circumvenire, nisi ipse Dominus eorum astutiam videns, pro suis ad confusionem Pharisæorum respondisset; dicunt enim: *Quare cum Publicanis, & peccatoribus manducat Magister vester?* Videte quàm callidè; scriptum est enim: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea* (*c*); & *Omnis homo similis sui sociabitur* (*d*): Hac ratione volebant ostendere, Redemptorem nostrum peccatorem esse, quia consuetudine publicanorum utebatur, & cibum

(*a*) *Joann. VI. v. 44.*
(*b*) *Matth. IX. v. 11.*
(*c*) *Ecclesiastici XIII. v. 1.*
(*d*) *Ibidem v. 20.*

bum cum illis capiebat. Ceterùm intellectâ hac eorum malitiosâ calumniâ, Dominus & naturali ratione,& Scripturæ testimonio ipsorum cæcitatem monstravit; nam sicut ratione æquum est, ut qui curandi morbos artem profitentur, non fugiant ægrotantium fœtorem, sed sæpe inter ipsos versentur, quò certiùs curent; ita qui mores informandi munus suscepit, & ad medendum peccatoribus de Cœlo descendit, non fugere, sed frequentare amicam peccatorum consuetudinem & consortia debebat, quò faciliùs eos curaret. Præterea, cùm legimus: *Misericordiam volo, & non sacrificium* (*a*), & magnæ misericordiæ opus sit, errantes in viam deducere, peccatores ad virtutem revocare, captivos liberare, miseros calamitati eripere, maximæ invidiæ esset, velle prohibere, ne quis ad peccatores, eos liberaturus & conversurus, ingrederetur; & maximè prohibere illum, qui missus erat a Deo, non vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Atque hìc animadvertendum est, quòd licèt noster Salvator, cum summa misericordiæ & clementiæ laude, cum peccatoribus versatus sit ad eorum consolationem, & ipsius gloriam; tamen non est aut tutum, aut licitum omnibus nobis, cum omnibus peccatoribus temerè conversari; dicit enim Paulus (*b*): *Hereticum hominem, post unam & secundam correptionem, devita*; & alibi: *Si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus: cum ejusmodi nec cibum sumere* (*c*): & Ecclesia prohibet, ne cum excommunicatis quis communicet. Sanctus Paulus loquitur de his, qui obstinati sunt in peccatis, & prohibet simplices eorum consortio, ne ipsi potiùs pervertantur, quàm convertant alios; neque putare debemus, Sanctum Paulum voluisse, ut Episcopi, & alii non frequenter cum illis versarentur, in quibus aliqua spes esset, quòd possent eos ad saniorem mentem deducere, nec ullum periculum appareret, ne ipsi a peccatoribus, cum quibus versandum esset, seducerentur. Quod nos exemplum Salvatoris docet; nam ipse eorum vulnera poterat curare, & nullorum hominum flagitia ejus sanctitatem coinquinare aut maculare valebant; neque ille ullo jure excludi potuit, quin quò vellet, intraret, & cum quibus ei placeret, conversaretur; erat enim Legislator, & nullum superiorem, cujus auctoritate prohiberetur, habebat. Si qui sunt, quibus, & potestas reformandi malos inest, & nullo jure Superioris prohibentur a consortio malorum, non solùm possunt, sed debent frequentare, modò spes subsit ad meliorem men-

(*a*) *Matth. IX. v.* 13.
(*b*) *Ad Tit. III. v.* 10.
(*c*) *I. ad Corinth. V. v.* 11.

mentem illos reducendi; & hoc etiam nos docet exemplum Salvatoris, qui ùt ad omnes vocandos venit, ita familiaritatem nullius recusavit. Consideremus ergo nos statum nostrum, & Christum vocantem sequamur: videmus exemplo, instruimur verbo, Christum velle omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, & nullum repellere, qui vocatus Telonium, hoc est malam vitam, relinquat. Vocat ille homicidas, vocat adulteros, vocat fornicatores, pulsat èt ostia usurariorum; invitat denique omnes, qui onerati sunt, & sordibus peccatorum immersi jacent, ut surgant, & sequantur illum, & omnes reficiet. Sed oportet, nos illum sequi, & perseverare, sicut èt Matthæus, qui ad sordidam publicanorum artem non est reversus ampliùs; ita èt nos cum Matthæo surgamus ex iniqua vita, sequamur Christum in bonitate vitæ, alios peccatores ad Christum invitemus, laudibus & hymnis ejus bonitatem agnoscamus, & ipsius benignitate liberati *serviamus illi in sanctitate, & justitia coram ipso omnibus diebus nostris* (a); quod concedat nobis Deus, qui vivit & regnat in secula seculorum. Amen.



HO-

(a) Luc. I. v. 74. & 75.

HOMILIA IX.

Super Philippenſes I. (a)

Habita Dominica IV. poſt Decollationem

ANNO MDLXIX. XXV. SEPTEMBRIS.



LÆTUS eſt Agricola, cùm ſemen, quod jecit, e terra culmum emittit; lætior, cùm e culmine procedit ſpica. Gaudet èt vineæ cultor, cùm vites incipiunt gemmas producere, & non minori cura rigat ac fovet, quàm antea ſeminaverat & plantaverat, quò meſſem copioſam, & vindemiam abundantem habeat. Ita èt Paſtor bonus conſolationem maximam capit & lætitiam, quando (*videt*) ſemen verbi Dei in cordibus hominum radices agere, deinde quaſi gemmas & ſpicas bonorum operum emittere: tum incumbit, conſolationum exhortationumque frequentiâ, illud nutrire, donec ad perfectam frugem perveniat. Quod in hodierna Epiſtola Beatum Apoſtolum feciſſe videmus, cùm primò lætitiam, quam conceperat ex Philippenſium pia converſatione ab eo die, quo fidem ſuſceperant, teſtificetur; deinde eos laudando & conſolando inſtiget, ut perſeverent; confidens, Deum Opt. Max., qui illis largiebatur initium novæ vitæ, etiam incrementum & conſummationem daturum.

Ideo, quia parum eſt, ſi ſemen in initio pullulet, & culmus ariſtas producat, niſi maturam frugem afferat, hortatur & orat, ut caritas eorum magìs ac magìs abundet, non ſolùm ea, quæ divina ſunt, credendo & cognoſcendo, verùm etiam probando, & faciendo opera caritate digna. Quæ caritatis opera ſynceritate erga Deum, innocentiâ, & miſericordiâ erga proximum complentur, ſi uſque ad diem Chriſti, hoc eſt uſque ad diem mortis noſtræ perſeveremus, repleti fructu juſtitiæ, hoc eſt juſtis operibus.

(a) Inſcriptio iſta legitur adjecta a tergo, manu propria a Sancto Carolo. Verùm non integra, & formata Concio hæc eſt, ſed collectio, ac diſtributio rerum, quas ſibi ad concionandum paraverat Sanctus Antiſtes.

bus. Justitiæ, inquam, non Philosophorum, aut Sapientium hujus Mundi, nec Pharisæorum, sed justitiæ per Jesum Christum in gloriam, & laudem Dei. Hujus justitiæ fructus sunt illa opera, quæ procedunt ex caritate, de corde puro, conscientiâ bonâ, & fide non ficta. Hi sunt illi fructus, qui Agricolam Christi lætificant; hi sunt fœtus, qui Pastorem verum gaudio afficiunt; hi sunt fructus, quibus repleri usque ad finem vitæ optabat suos Philippenses Apostolus: in his fructibus crescere, & perseverare gregem suum omnes boni Episcopi volunt & quærunt. Ceterùm multi sunt, qui speciem quamdam pietatis habent, virtutem ejus abnegantes, & labiis Deum honorant, cor autem eorum longè est ab eo: hi non habent justitiæ fructus, sed folia; contra quos, quia volunt videri justi potiùs, quàm esse, hodierni Evangelii parabola scribitur, in qua ostenditur ira Dei in eos, qui pœnitentiæ dignos fructus non faciunt, nec secundum vocationem, in qua vocati sunt, ambulant; sed multa quidem bene dicunt, maxima promittunt, pessima autem faciunt, pejora cogitant.

BREVIS EXPLICATIO EPISTOLÆ.

Philippenses statim ab initio prompti ad recipiendam fidem, & toleranda pericula, & ad liberalitatem erga Paulum, primò laudantur a Paulo, cùm dicit, eos dignos esse, quorum memoriam in cunctis orationibus faciat, idque non cum tristitia, sed cum gaudio gratias Deo agens, quòd tantâ gratiâ eos donaverit, & maximè quia illi in Evangelio communicabant, hoc est eleemosynis, laboribus, & studio Paulum, & ceteros in prædicatione Evangelii adjuvabant, hoc est, quod dicit: *Super communicatione vestra in Evangelio Christi* (a). Sicut, qui consilio vel auxilio, aut quoquam alio modo ad peccandum alium adducit, communicat in peccato; ita qui bonum opus ullo modo promovet, in illo communicare dicitur, & fit præmii consors, sicut meriti erat particeps: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet* (b). Sic communicatio Philippensium erat & in labore, quia illum adjuvabant, & in præmio.

Ubi laudaverat priorem eorum conversationem, optat & precatur, ut Deus concedat illis perseverantiam usque ad diem mortis; nam *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (c): *Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu* (d).

A Deo

(a) *Ad Philippenses I. v. 5.*
(b) *Matthæi X. v. 41.*
(c) *Ibidem XXIV. v. 13.*
(d) *Ad Philipp. I. v. 6.*

A Deo initium nostræ justificationis; a Deo incrementum & progressus; a Deo finis & consummatio; scribit enim Propheta: *Misericordia ejus præveniet me* (*a*), & *misericordia subsequetur me* (*b*). Postea fatetur, se ob meritum eorum, hunc erga illos animum habere, quia fuerant socii gaudii ejus ubique: *Sicut est mihi justum hoc sentire pro omnibus vobis* (*c*). Boni Pastoris est, non solùm reprehendere vitia, sed laudare virtutes; hoc, ut confirmet in bono instituto, illud, ut deterreat a malo &c. Postremò quia non progredi in vita sancta, regredi est, vult, ut magis ac magis abundet eorum caritas, & crescat: *& oro, ut caritas vestra magis* &c. Notat S. Chrysostomus in argumentum Epistolæ ad Philippenses hoc loco, esse geminam caritatem, nempe Pauli erga Philippenses, & Philippensium erga Paulum. Hujus caritas a Pastoribus imitanda, ut semper orent pro suis ovibus, eas curent atque consolentur. Eorum dilectio omnibus exemplo esse debet, ut Pastorem diligant, audiant, sequantur, ac facultatibus juvent; nec semel tantùm hoc faciendum, sed perseverandum usque ad finem. Felicissimus est enim ille grex, & optimus Pastor, ubi mutua hæc caritas inter Pastorem, & oves reperitur. Fructus justitiæ, in quibus abundare vult Philippenses, & quos Christus in ficulnea desideravit, sunt fides vera, spes firma, caritas fervida, obedientia humilis, patientia in persecutionibus, misericordia erga miseros, & ejus generis alia.

EVANGELIUM.

Etsi ficulnea fructu carens, foliis ornata, per allegoriam Judæos significet, qui externas cæremonias observantes, fidem, spem, & caritatem, & alias virtutes non habebant; & ideo a Christo Domino maledicti arescebant, ita ut folia, idest sacrificia, amitterent, quæ non nisi Jerosolymis offerebantur: tamen moraliter in malis Christianis & fictis, hæc parabola impletur. Nam qui gloriatur solo Christiani nomine, synceram fidem, & caritatem non habens, ficulnea est sine fructu cum foliis latis; qui Sacramenta frequentat, & odium fratris in pectore tenet, non fert fructum, sed folia. His & hujusmodi arboribus maledicit Dominus dicens: *Numquam ex te fructus nascatur* (*d*). Item *omnem palmitem* (inquit Dominus) *in me non ferentem fructum, Pater meus tollet eum* (*e*). Ita ět Præcursor Domini: *Omnis arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur* (*f*). Idem

(*a*) *Psalm. LVIII. v. 11.*
(*b*) *Psalm. XXII. v. 6.*
(*c*) *Ad Philipp. I. v. 7.*
(*d*) *Matth. XXI. v. 19.*
(*e*) *Joannis XV. v. 2.*
(*f*) *Lucæ III. v. 9.*

Idem ſignificatur per ſervum inutilem, qui talento ipſi commiſſo nihil lucratus fuerat. Quid aliud voluit Dominus oſtendere, quàm hanc ſimulationem, & folia inania ſine fructu reprehendenda eſſe, cùm diceret : *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia mundatis quod de foris eſt calicis, & paropſidis : intus autem pleni eſtis rapinâ, & immunditiâ; & ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ a foris parent hominibus ſpecioſa; intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia* (a)? *Quoniam non eſt in ore eorum veritas, cor eorum vanum eſt. Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant. Judica illos Deus* (b).

Amen dico vobis; ſi habueritis fidem, & non hæſitaveritis, non ſolùm de ficulnea facietis; ſed & ſi monti huic dixeritis : Tolle, & jacta te in mare, fiet (c). Magna vis fidei, magna ex ea in rebus adverſis conſolatio. Antea dixerat : *Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic : Tranſi hinc illuc, & tranſibit; & nihil impoſſibile erit vobis* (d). Quid fides poſſit, docet Paulus, II. ad Hebræos, multorum exemplis. Hoc eſt ſcutum, quo, teſte S. Paulo, *poſſimus omnia tela nequiſſimi ignea extinguere* (e). At montes hoc loco non tantùm externi, quos Dominus diſcipulis monſtrabat, intelligendi ſunt, ſed quidquid magnum nobis videtur, ut noſtris viribus illud non poſſimus abjicere; atque ideo omnia adverſa, quæ, licèt ſint levia, tamen magna nobis apparent : Nullæ ſunt res adverſæ, nulla tentatio tam magna, cujus moleſtia fide non depellatur, cujus impetus non retundatur. Sed debet eſſe ſicut granum ſinapis, quod oculo parvum videtur, at in pectore eſt calidum; contritum verò vehementiùs virtutem ſuam exerit : Ita fides humilis & ſine oſtentatione, ſit coram hominibus in corde fervens, in rebus adverſis ac perſecutionibus vires ſuas latiſſimè explicet : *Granum ſinapis minus eſt omnibus ſeminibus; cùm ſeminatum fuerit, aſcendit, & fit majus omnibus oleribus* (f); ſic & vera fides, humilis in initio, at creſcens latiſſimè patet.

Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis (g). Auguſtinus: *Numquam nos hortaretur, ut peteremus, niſi dare vellet*. Chryſoſtomus : *Numquam oranti beneficia denegat, qui, ut orantes non deficiant, ſua pietate inſtigat*. Tanta eſt vis orationis, piè & perſeveranter factæ, ut Deum quodammodo cogere dicatur. Moyſes ferventer orabat Deum, ne diſperderet populum propter adorationem vituli, atque ita Dominum quaſi coëgit, ut diceret : *Dimitte me, ut iraſcatur furor*

meus

(a) *Matth. XXIII. v. 25. & 27.*
(b) *Pſalm. V. v. 10. & 11.*
(c) *Matth. XXI. v. 21.*
(d) *Ibid. XVII. v. 19.*
(e) *Epheſ. VI. v. 16.*
(f) *Marci IV. v. 31. & 32.*
(g) *Matth. XXI. v. 22.*

meus contra eos, & deleam eos (*a*). Item Jeremiæ ſeptimo: *Noli orare pro populo, nec obſiſtas mihi*, quaſi oratio Deo obſiſteret. Hoc idem indicat lucta Jacob cum Angelo uſque ad mane (*b*); neque enim Angelum dimittere volebat, niſi eum benediceret: Nihil demum eſt, quod non efficiat oratio. Hæc Danieli viſiones pandebat, flammas ſopiebat, feros Leones hebetes fecit, hoſtes ſuperavit; de his plura Chryſoſtomus Tom. I. homilia *de Moyſe*, & homilia: *De fide Annæ, cujus oratio exauditur*; Gregorius in Pſalmo *De profundis*.

Illi enim a Domino exaudiri merentur, qui divini zelo amoris accenſi, omnia, quæ poſſunt, bona operantur. Nam qui perverſis actionibus aſſuetus, operibus iniquitatis invigilat, nequaquam dignus eſt exauditione, cùm orat; Divina namque per ſemetipſam veritas ait: *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in Regnum cœlorum* (*c*). Si volumus igitur, ut ad aures Dei noſtra perveniat oratio, ſtudeamus neceſſe eſt, ut ab omni admixtione pravitatis, noſtra mundetur operatio, ut poſſimus Deo cum Propheta (*dicere*): *Clamor meus ad te veniat* (*d*).

Ceterùm Scholaſtici ſubtiliùs & pleniùs orationem, quæ a Deo exauditur, declarant; volunt enim quatuor in ea reperiri conditiones, nempe, ut pia ſit, ideſt ex fide & confidentia vera, nihil hæſitante, & ex humilitate, ac bona intentione proficiſcatur; nam ſi in fide fluctuemus, inutilis omnino erit, & *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam* (*e*); & ordinatè per debita media quis petat, ideſt, ut faciendo quod in ſe eſt, Deus reliquum ſuppleat; qui enim petit ſcientiam ſine ſtudio, aut vitam æternam nihil bene operando, ejus oratio non eſt pia, quia inordinatè petit: Deinde, ut perſeveranter oretur: *Orate ſine intermiſſione*, ait Apoſtolus (*f*): Tertiò, ut petantur neceſſaria ad ſalutem: Quartò, ut pro ſe petat, ne ſi pro alterius ſalute oret, ejus prava voluntas, pro quo fundit orationem, impediat effectum noſtræ orationis. Qui ergo in fide conſtans, in humilitate modeſtus, in intentione ſyncerus, ordinatè, perſeveranter, utilia ad vitam æternam pro ſe ipſo petierit, ſine dubio exauditur; quòd ſi ſtatim bonorum preces quandoque non exaudiuntur, certum eſt, quòd ad majorem eorum utilitatem divina bonitas id facit; vel ut vehementiùs orent, & eo modo majora mereantur; vel quia aliud utilius ipſis eſt largitura.

(*a*) *Exodi XXXII. v.* 10.
(*b*) *Geneſis XXXII. v.* 24.
(*c*) *Matth. VII. v.* 21.
(*d*) *Pſalm. CI. v.* 2.
(*e*) *Proverb. III. v.* 34. *Jacobi IV. v.* 6.
(*f*) *I. ad Theſſal. V. v.* 17.

Deus ergo pro nobis orandus eſt, ut concedat nobis eam caritatem mutuam, quam in hodierna epiſtola inter Philippenſes, & ſuum Paſtorem audivimus, ut poſſim ego gratias agere, idque merito veſtro, pro veſtra fide, pro veſtra obedientia, pro veſtra humilitate, caritate, & miſericordia erga alios, pro veſtro ſtudio in communicatione Evangelii, & prædicationis verbi Dei; & deinde ſpem optimam concipere ex bona veſtra converſatione, quòd Deus etiam incrementum dabit; ut in operibus juſtitiæ, ac caritatis abundetis ad gloriam & laudem Dei Omnipotentis, ad ſalutem animarum veſtrarum, & ad gaudium & conſolationem meam. Simus arbores bonæ & fructuoſæ, non tantùm folia, & pietatis ſigna externa ferentes. Verùm ſicut in bonis arboribus videmus folia utilia ad tegendos fructus, eoſdemque fovendos, quæ in malis arboribus inutilia judicantur; ita cæremoniæ, externique ritus noſtri, & verba, atque ideò omnes corporis actiones, internis caritatis operibus ſubſerviant. Hæc enim ſunt, quæ oportet facere, & illa non omittere. Hæc opera ſunt fructus juſtitiæ; illa fructuum ſigna & teſtificationes. Quòd ſi in his omnibus abundemus, quidquid petierimus in oratione, accipiemus.



HO-

HOMILIA X.

DE
SANCTO MICHAELE

Anno mdlxix. xxix. Septembris. (a)



Eus Optimus Maximus in administratione rerum, quas condidit, quatuor rationibus gubernationis utitur: una est, quam solus ipse sine ministerio Creaturarum exercet, ut est creatio, multiplicatio, conservatio interna, virtutum viriumque donatio, occulta inspiratio, gratiæque infusio, & hoc divinum regimen solet appellari: secunda ratio est, qua Deus utitur ministerio Angelorum, de qua postea: tertia, quam Deus per homines sanctos, spirituales, & Ecclesiasticos exercet, qui spiritualiter alios ad salutem dirigunt prædicando, hortando, regendo; tales erant Apostoli, tales sunt èt eorum successores, & qui his subserviunt in Ecclesia Dei: postrema ratio est per seculares Principes, per quos Deus iniquos punit, bonos ab improborum audacia defendit; & hoc mundanum regimen a nonnullis dicitur.

Ex hoc manifestè liquet, quantâ providentiâ, divini Gubernatoris benignitas nostræ saluti & commodo in omnes partes consulat, cùm ipse non desistat occultè inspirare, & Angeli non desinant nos custodire, & Principum tum spiritualium, tum secularium auxilia nobis a Deo mittantur, nisi nos nimia ingratitudine, ac sceleratâ vitâ tot Dei beneficia abjiciamus. Nam qui Deo occultè pulsanti, & intrare cupienti, per peccata januam claudit, qui protectionem Angelorum contemnit, qui Ecclesiæ Rectores non audit, nec Principibus obedientem se præbuerit, meritò tanta Dei benignitate privatur; quomodo enim a Deo præmium expectare potest, qui ejus ordinationibus resistit? Sin-

(a) Ita a tergo adnotatum legitur manu propria Sancti Caroli.

Singula hæc percurrere nimis longum est ; de secundo , nempe regimine Angelorum , ut aliqua consideremus , hic dies adhortatur , in quo Michaëlis Archangeli Festum celebramus , qui ùt olim Synagogæ, ita nunc Ecclesiæ Princeps & Custos est constitutus.

Angelis commissas esse creaturas dirigendas, adjuvandas, & custodiendas , tum multis exemplis utriusque Testamenti, tum apertis testimoniis edocemur; Angelus enim Lot liberavit ab incendio Sodomorum ; Angelus castra Israëlitarum per desertum præcessit , & tuebatur ; Angelus restitit Balaam, ne malediceret Israëlitis. Quid hic commemorem Angelos deputatos ad custodiam Eliæ, qui sicut currus igneus, & equi ignei eum circumdabant? Quæ, & quanta Angelus Tobiæ, ac filio fecerit, apertum est. Hic prætermitto Angelum Danielis, & Zachariæ; hic non dico, quomodo Angelus Beatissimam Virginem cum Joseph in Ægyptum duxerit, ac reduxerit in Judæam ; nihil dico de Angelo liberante Petrum ; cùm certum sit , Angelos hoc officium habere, ut hominum saluti consulant, illos adjuvent, curent , atque pro eis orent; scriptum est enim : *Angelis suis mandavit de te , ut custodiant te in omnibus viis tuis* (*a*); quem textum tum Sanctus Bernardus, tum alii de Angelis, qui ad custodiam singulorum designati sunt, interpretantur , sicut èt illud : *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei , qui in Cœlis est* (*b*), quo in loco Sanctus Hieronymus ait , singulis hominibus in die Nativitatis suæ Angelum bonum ad custodiam esse tributum, qui homines a multis malis subtrahat , & Dæmones arceat, ne quantum volunt , noceant.

In primis utilis est ad institutionem nostræ vitæ crebra Angelorum statùs, conditionis, & naturæ consideratio; nam cùm cœlestis Hierarchia , idest Ecclesia Triumphans , sit exemplar, ad quod omnia in Ecclesia Militante conformanda sunt , debemus ad ipsum exemplar sæpe respicere, ne a recta ratione aberremus; sicut Pictores faciunt, qui, cùm egregiam imaginem depingunt , singulas quasque lineas perpendunt , quomodo cum prototypo conveniant.

In hac cœlesti Angelorum Hierarchia multa notanda & imitanda reperiemus; primò, tres esse ordines, quos Hierarchias appellant , & in singulis ordinibus tres Choros, ita dispositos ., ut

(*a*) *Psal. XC. v. 11.*

(*b*) *Matth. XVIII. v. 10.*

ut inferior ordo a superiori excipiat quidquid divina Sapientia fieri mandat; & supremus ordo solus in his rebus immediatè a Deo illuminetur, & ab eo ordine usque ad infimos Angelos transfundatur: hìc infimorum summa obedientia, nulla invidia: hìc superiorum nulla superbia, nullus fastus: hìc omnium summa caritas, pax, & tranquillitas: nec quidquam quæritur, nisi, ut unusquisque suo satisfaciat officio, & Deo creatori ac glorificatori suo in omnibus placeat.

Cùm itaque nos, in hac Militanti Ecclesia, Hierarchias & Choros hominum habeamus, sicut in illa sunt ordines & Chori Angelorum; debemus, quoad fieri potest, caritatem, obedientiam, ceterasque illorum virtutes imitari. Hoc docuit nos in oratione Dominica Salvator noster; precari nempe, ut fiat voluntas Dei in terris ab hominibus, sicut fit in Cœlis ab Angelis.

Angelorum supremus ordo, Choros tres continet, Seraphim, Cherubim, Thronos; secundus habet Dominationes, Potestates, Principatus; tertius complectitur Virtutes, Archangelos, & Angelos. Ita in Militanti Ecclesia supremo ordine continentur Papa cum Cardinalibus, Archiepiscopi, & Episcopi; in secundo Abbates, Collegiorum Præfecti, Ecclesiarumque Rectores; in tertio & infimo sunt Plebei, qui nec docendi, nec administrandi Sacramenta munus habent, in quibus habentur Virgines, Continentes, & Conjugati.

Hinc discant majores Prælati, qui in primo Ordine constituti sunt, ea, quæ Deus Ecclesiæ & ipsis revelavit, inferioribus Prælatis primò manifestare verbo, monstrare exemplo. Deinde inferiores Prælati, & hi, qui sunt in secundo ordine, eodem modo tradant suis inferioribus. Postremò qui in infimo ordine sunt constituti, superiorum mandata, doctrinam, & admonitiones non spernant: hoc in omnibus si fiat, id in Ecclesia Dei efficietur, quod Apostolus optat, ut *omnia secundùm ordinem fiant* (a): hoc modo justitiam Deo (ait Sanctus Bernardus), pacem proximo, & gaudium nobis exhibebimus; hoc modo & sponsa Christi, quæ est Ecclesia, sine ruga, & macula erit; hoc modo omnium summa tranquillitas, & quieta pax; hoc modo pietas, hoc modo caritas viget, ac conservatur.

Non solùm Angelorum ordines accuratè & diligenter perspecti,

(a) *I. ad Corinth. XIV. v.* 40.

ſpecti, exemplo nobis eſſe poſſunt; verùm etiam cuſtodia eorum, qua Deus nos munivit, debet nobis reverentiam inferre, afferre devotionem, conferre fiduciam.

Certum enim eſt, tum Angelos alios, tum maximè Michaëlem, populi Dei curam in primis gerere, ſicut Angelus ille apud Danielem teſtatur: *Michaël, unus de Principibus, venit in adjutorium meum* (*a*); & Joannes: *Michaël, & Angeli ejus præliabuntur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli ejus, & non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum amplius in Cœlo* (*b*): hic cum Diabolo de corpore Moyſi altercatus eſt (*c*); ait etiam Iſaïas: *Super muros tuos Jeruſalem conſtitui cuſtodes tota die, & tota nocte, in perpetuum non tacebunt* (*d*).

Cùm ergo tam nobiles creaturas habeamus, quæ pro nobis cum Dracone pugnent, & nos cuſtodiant, debemus maxima devotione earum memoriam celebrare pro benevolentia, ut ait Sanctus Bernardus; eſſet enim longè ingratiſſimum, cùm illi pro nobis ſemper vigilent, numquam taceant, nos nihil de illis cogitare, beneficium non agnoſcere, laudes eorum, imo Dei in ipſis non celebrare; nec ullo modo oportet erga illos eſſe ingratos, qui tanta caritate & Deo obediunt, & nobis in neceſſitate ſubveniunt.

Ex hac cuſtodia maximam debemus fiduciam concipere, quòd Deus nobis cuſtodiendis illum præfecerit cum ſuis Angelis, qui pugnans contra Draconem & Angelos ejus in Apocalypſi prævaluit; noſtri enim Cuſtodes & nobis præſentes ſunt, & Dei faciem in Cœlis vident: Neque enim dubitandum eſt, ſi nos ipſi nobis non deerimus, quin ſatis muniti ſimus contra omnes tentationes, cùm Deus Optimus Maximus Cuſtodes nobis conſtituerit beatos, proximè & familiariter ſibi cohærentes, verè domeſticos Dei; nec ſolùm conſtituit, ſed de nobis mandavit, ut cuſtodiant nos in omnibus viis noſtris, & in manibus portent nos, ne umquam offendamus ad lapidem pedem noſtrum: his cuſtodibus confidamus, & quantum in nobis ſitum eſt, præſtemus. Aliàs eorum protectio nihil nobis proderit; ait enim Sanctus Gregorius: *Sublimes ſpiritus iiſdem gentibus principantes, nequaquam pro injuſta agentibus decertant, ſed eorum facta juſtè judicantes, examinant. Cùmque uniuſcujuſque gentis vel culpa, vel juſtitia ad ſuperne*

(*a*) *Dan. X. v.* 13.
(*b*) *Apocal. XII. v.* 7. *& ſeq.*
(*c*) *In Epiſt. Cath. B. Judæ v.* 9.
(*d*) *Iſaïæ LXII. v.* 6.

næ Curiæ consilium ducitur, ejusdem gentis præpositus vel obtinuisse in certamine, vel non obtinuisse perhibetur (a).

Demum cùm Angelos in singulis nostris actionibus præsentes esse credamus, summam erga eos reverentiam debemus præstare, maximèque timere, ne aliquid turpe & inhonestum in conspectu eorum perpetremus; id, quod Sanctus Bernardus hortatur, dicens: *Cautè ambula, ut videlicet cui adsunt Angeli, sicut eis mandatum est, in omnibus viis tuis. In quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe &c. Si fidem consulas, ea tibi Angelicam probat præsentiam non deesse. Adsunt igitur, & adsunt tibi, non modò tecum, sed etiam pro te. Adsunt ut protegant, adsunt ut prosint. Quid retribues Domino pro omnibus, quæ retribuit tibi* (b)*?* Simus ergo devoti, simus grati tantis Custodibus; redamemus eos, honoremus eos, quantum possumus, quantum debemus.

Habentes igitur tantos fructus ex sublimium Spirituum consideratione, maximum non solùm damnum, sed dedecus erit, si nos in tanta Dei, Angelorumque providentia & pietate, nec nostræ salutis, nec eorum benignitatis rationem habeamus. Erigant ergo & incitent nos ad sui imitationem pulcherrimi illi Cœlestium ordines, pacis, tranquillitatis, concordiæ, ac caritatis moderamine, divina quadam ratione dispositi: moveat ad debitum honorem illis exhibendum eximia illorum benevolentia, qua perpetuò vigilando res nostras curant. Pudeat nos in Dei, Angelorumque præsentia, qui nos semper intuentur, nobis præsentes adsunt, ea vitia perpetrare, quæ coram hominibus, nullus nisi impudentissimus faceret. Maxima spe contra vitia, contra Diabolum, & milites ejus pugnam suscipiamus, habentes tales protectores, & nostræ salutis propugnatores, a Deo ipso maxima auctoritate constitutos. Hoc si fecerimus, cum Michaële Protectore nostro, cujus solemnem festivitatem hodierno die celebramus, in Cœlo regnabimus.

Nec quisquam diffidat, quia flagitiorum gravitate premitur; faciat quod poterit, & quod reliquum est Deus cum Angelis suis supplebit. Consideremus hodierni Evangelii Zachæum, qui non solùm peccator & publicanus erat, verùm etiam publicanorum Princeps; attamen cùm quæreret videre Jesum, nec præ turba posset, staturâ pusillus existens, in arborem ascendens, statim a Christo conspectus est, illique dictum: *Hodie in domo tua oportet*

(a) *In Job XVII.* 8.

(b) *Sermone XII. in Psal. Qui habitat* §. 6.

tet me manere (*a*): Et poſt exiguam cum Chriſto domi ſuæ familiaritatem, non ſolùm priſtinam vitam & peccata deteſtatus eſt, verùm etiam dimidium bonorum pauperibus dedit, & eis, quos antea defraudaverat, quadruplum reſtituit; atque ita ob duplex juſtitiæ & miſericordiæ eximium indicium, a Domino filius Abraham verus appellatur, & ſalus ejus domui facta pronunciatur.

Omnes cum Zachæo, puſilli ſtaturâ ſumus ob naturam, nec Chriſtum videre poſſumus, quia illi tantùm Deum, & ejus Filium vident, qui mundi ſunt corde, teſtante ipſo: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt* (*b*). Tamdiu ſumus puſilli, quamdiu in notitia Dei, & Fide parum proficimus, & peccatis immergimur; tunc enim turbæ, ideſt animi paſſiones, & Mundi curæ, voluptatumque illecebræ impediunt, ne tranſeuntem Chriſtum videre poſſimus.

Quare per Fidem debemus aſcendere ſublimiùs, ſpe erecti, caritate inflammati, quàm ut hæc nobis impedimento eſſe poſſint; & ſine dubio ſtatim oculis miſericordiæ nos intuebitur Chriſtus, & ad ſe vocabit, & in domum noſtram intrabit, & manſionem apud nos faciet, ac eam gratiam nobis donabit, ut non ſolùm juſtè, verùm etiam miſericorditer ac piè agamus, ac filii Abraham nominemur, & ſimus Fidei ſectatores, virtutum æmuli, ac promiſſionum hæredes, veram ſalutem domui, hoc eſt, animæ noſtræ conſecuti a Domino, cui honor &c.



HO-

(*a*) *Lucæ XIX. v.* 5. | (*b*) *Matth. V. v.* 8.

HOMILIA XI.

AD

PRÆFECTOS CŒNOBIORUM,

ALIOSQUE SACERDOTES REGULARES AUDIENDIS SACRIS CONFESSIONIBUS DESTINATOS (a)

Habita tempore Peſtis

ANNO MDLXXVI.



MISERAM ac luctuoſam Civitatis noſtræ conditionem ſi vobis explicare coner, ineptè faciam, Fratres; nemo eſt enim, cui non ante oculos perpetuò tot miſeriæ verſentur: imo neminem tam durum arbitror, cujus animus miſericordiâ jam non diſrumpatur, (*cùm videat*) cariſſimorum Capitum præſentiâ omniumque ſubſidio homines deſtitui; ex proprio dulcique domicilio, rebus ſuis relictis, ægros & ſemianimes extrahi; funeſtis ſordidiſque carris in ea tecta duci, quæ ſtabu-

(a) Cùm anno MDLXXVI. peſtis per hanc Metropolim ſæviſſimè graſſaretur, Sanctus Archiepiſcopus Carolus nihil non egit, ut amatiſſimo gregi ſuo opportuna tum corporis, tum animæ ſubſidia pararet. Supplicationes etiam quamplures indixit ad præcipuos Urbis hujus Patronos, ut opem illorum apud Deum in tanta calamitate imploraret, ſuccenſamque juſtam divinam iram contra Mediolanenſes Cives extingueret, ac æternum Patrem ad clementiam inflecteret. Frequentiſſimas ideo conciones habuit, quibus tum populum, tum Clerum ad extirpanda vitia, pravaſque corruptelas, acerrimi illius flagelli cauſas, ſimulque ad pietatem colendam, & chriſtianæ miſericordiæ opera exercenda incitaret. Harum aliqua fragmenta ex ſacris Literis deſumpta, & mirè accommodata ejus temporis neceſſitati, inſeruit Vitæ ejuſdem, a ſe conſcriptæ Carolus a Baſilica-Petri: Unam verò ſelegit, quam ferme integram ad poſteros tranſmitteret, eaque eſt, quam hìc recudere placuit; cùm nullus alter ex Sancti Caroli Sermonibus anno illo recitatis ſuperſit. Occaſionem hujus Orationis habendæ deſcribit idem Auctor Libr. IV. Cap. VI.. Cùm enim Sacerdotes, & Parochi minime ſufficerent multitudini ægrotorum in ſacris rebus juvandæ, ad Cœnobia Regularium hominum ſeſe convertit; eorum Præfectos vocavit, qui alios quoque Sacerdotes audiendis Sacris Confeſſionibus deſtinatos adducerent, eoſque ferventiſſimo hoc Sermone eſt allocutus. Claudit eundem his verbis Auctor memoratus: *Hujuſmodi Carolus, cujus Orationis vim ſcio, me non eſſe conſecutum; talem enim ſe auditores ſenſiſſe teſtati ſunt, ut ex ea ſibi aculeos, & vincula injici viderentur, & humana quidem facultate nihil efficacius fieri poſſe judicarent. Res ipſa declaravit, quid Caroli Oratio, divina vi roborata, poſſet; continuò enim Sacerdotes circiter XXVIII. ſeſe ad ægros ſacris rebus omnibus ſublevandos, promptos eſſe profeſſi ſunt: quo quaſi fundamento jacto, alii multi præſto fuere; neque umquam poſtea defuerunt toto illo peſtilentiæ tempore, qui mortuis ſuccederent, & ubi Carolus juberet, operam ſuam liberè ponerent; quorum omnium paratum hoſpitium erat Caroli Domus.*

lis, quàm civilibus ædibus, multò similiora sunt, unde redeundi vel nulla, vel exigua spes manet; in mortis quasi faucibus assiduè teneri. Hæc, ut humana fert imbecillitas, prorsus misera sunt; sed quoniam tamen sunt hujus tantummodo vitæ & temporis, videri possunt tolerabiliora: maximè si quis futurorum spe se erigat. At iis quoque subsidiis atque ope deseri, quæ ad alterius vitæ felicitatem, bonaque æterna maximè conducunt, ùt cùm præsentia quis amittat, in discrimen quoque veniat futurorum, quæ perpetuò manent: id certè & iis, qui patiuntur, miserrimum est, & nobis, quibus earum rerum cura potestasque divinitus data est, grave sanè & periculosum: scientibus nobis ac videntibus, ùt pestilentiâ corpus, ita pii Fratrum nostrorum animi rerum divinarum desiderio contabescunt; semivivis vocibus sæpissimè, vel obtutu ipso Sacra postulant, misericordiamque implorant; nos autem duri cunctamur, aut despicimus. Parochos in officio, ùt scitis, continemus; sed non sufficiunt multitudini, quemadmodum notum est, ne si quidem eorum quisque plurium vires haberet; omnino qui ad casas educuntur, multò sunt remotiores, quàm ut iis suus possit Parochus subvenire. Quin etiam Parochi sæpe ab suis refutantur, cùm ægrotis ministraverint, donec tempus comprobaverit sanitatem: ita ut ipsis etiam viciniæ incolis aliorum opera necessaria sit. Externos Sacerdotes quæsivi, neque frustra: sed plurimis adhuc opus est: ad casas educta multitudo certè destituta jacet; alios, qui operam dare velint, non reperio, cogere non possum, nec debeo quemquam. Confugio ad vos, quorum conditio & status ita rerum omnium humanarum contemptum præsefert, ut unam divini cultus, humanæque salutis curam intueatur; si vitæ periculum pro aliena salute adire, Dominumque in hoc genere imitari, cujusquam est, vestrùm esse videtur in primis. Non ita egent ægri subsidiis nostris, fateor, ut sine iis spes salutis nulla maneat; verùm sæpe necessaria sunt: ceterùm quantùm semper prosint non solùm malis, sed etiam bonis, clarius est, quàm ut disputetur; vel de sensu nostro nosmetipsi conjecturam faciamus, quantam afferre soleant tum ægroto corpori, tum maximè animo de salute sua solicito levationem. Sed quibus tam profusa liberalitate misericordia tributa est, quomodo ipsi suam tam angustè circumscribunt, & necessariis externisque rebus metiuntur? Qui omnium, etiam inimicorum impiorumque, salutis causâ Dei Filius summo dedecore cruciatuque acerbissimo, fixus in Cruce mortuus est; idem nos, qui tantum ab eo beneficium consecuti sumus,

mus, invitat, ut quietæ gloriosæque mortis periculum pro piis fratribus adeamus; cui tantum debemus, quantum millies moriendo sine dubio assequi non possemus. Is ne vilem quidem vitam hanc, sed ejus tantummodo periculum poscit. In his periculis ita versari plurimos videmus, ut mortem tamen effugiant; imo etiam multos metu solutos eamdem subire. Sed si nos non effugiemus, hoc mori non erit, sed gloriam beatam, quæ verè vita est, citiùs consequi. Porro quid habet in humanis rebus summa nostra tenuitas, in quo pro summis, & immortalibus Dei beneficiis verè gratum animum præstare possit, si occasionem amittamus hujusmodi? Quid autem vitæ parcimus, post paucos tamen annos, aut dies, aut fortè horas, ùt humana conditio est, necessariò amittendæ? Quin hoc ipso Civitatis casu, quam periclitationem Fratrum caritas a nobis non impetraverit, eam facilè jam jam extorquebit contagionis necessitas; facilè,quemadmodum alii fere innumerabiles, licet omni sibi diligentia caveant, moriemur. Quàm pulchrius est, hac quidem in re necessitatem nos antevertere, gratissimamque Domino pro peccatis, proque eo, quod ejus immensæ benignitati majestatique debemus, hostiam præbere? Videmus heu! quotidie plurimos hæc eadem adire pericula, mercede vilissima conductos,qua sæpe ne fruuntur quidem: nos tantis de causis, tam amplis propositis præmiis moramur? Si respicitis obedientiæ legem, cujus virtute vestras actiones ad salutem roborari rectè vultis; illam, sicuti vos non latère jam arbitror, in manu nostra posuit Summus Pontifex, communis omnium Pater atque Antistes: cujus etiam literas recitari audistis, quibus ad præclarum sanctumque juvandum Fratrum munus vehementer nos cohortatur. Non est, quod Antistitis ibi quis aut respiciat voluntatem, aut interdictum vereatur; ubi Antistitum omnium Princeps & velle se declaravit, & suas addidit cohortationes. Deo vos hoc tribuere muneris volo, Fratres, quod, quemadmodum spero, suscipietis: sed maximo nos quoque beneficio affeceritis, quod nulla umquam delere poterit oblivio. Si huic summæ solicitudini, dolorique meo, vestra virtus hoc attulerit levamenti, ut hìc aliquot videam ad opus sanctissimum paratos, ultro vitam suam in hoc beatum discrimen Deo, mihique offerre; non dubito, quin aperto semel ab nonnullis vèl parvo aditu, plurimi alii, qui nunc graviori quadam insolitæ rei opinione deterrentur, quasi latâ viâ introëuntes, exemplum hilarè sequantur. Ita qui prior id fecerit, is se aliis auctorem ducemque præbebit, magnoque pondere augebit meritum suum.

ſuum. Neque verè novum ad vos nunc offero caritatis ardorem; ita Patres noſtri, Dei ſpiritu incitati, in re ſimili fecerunt; ita faciendum docuerunt, quemadmodum ex veterum ſcriptis juſſu noſtro collectis editiſque, ſatis apparet; imo opus ejuſmodi ita extulerunt, quod ad animos noſtros ſtimulandos maximè valeat, ut martyrii genus eſſe confirmarent. Optabile ſanè tempus, quo abſque Tyranni crudelitate, ſinè equuleis, ſinè ignibus, ſinè beſtiis, omnino ſinè ulla cruciatuum aſperitate, quæ humanæ imbecillitati maximè ſolet eſſe formidabilis, martyrii palmam conſequi poſſumus: Imo èt ſinè ea acerbitate poſſumus, quæ ſolet ſemper cum hujuſmodi morbo eſſe conjuncta; quòd videlicet ægroti deſtituantur ab omnibus, nulliuſque ope ſubleventur. Quod ægro cuicumque dabitur, id multò minus negabitur ægrorum Patri; nobiſque imitatio proderit illius exempli, quod per nos proditum fuerit. Sperare quiſque poteſt, incolumem ſe fore; id multò majori ratione, quàm alii ferè innumerabiles, quos videmus, nulla cautione nulla etiam temperantia, in medio peſtilentiæ æſtu aſſiduè verſari. Sed ſi morbum quis contraxerit, quando alii deficient, ego ipſe, qui egenorum causâ inter vos quotidie verſabor, adero: mihi curæ erit utraque ſalus veſtra; ego libenter ſubveniam; ego me, ſi opus fuerit, Sacrorum Miniſtrum jam nunc vobis offero: qui quidem divina ope fretus, neque laboribus neque periculis ullis parcere decrevi, ut Paſtorali officio meo ſatisfaciam, & quibuſcumque rebus potero, gregis mihi commiſſi ſaluti ſerviam (*a*).

HO-

(*a*) Sermonem hunc, a Sancto Carolo habitum, retulit etiam, in Italicam linguam tranſlatum, Joannes Petrus Gluſſianus in Vita ejuſdem Lib. IV. Cap. VI. Conſilium primò ceperamus eum typis iterum committendi, utpote captu faciliorem, magiſque accommodatum ad excitandam in Lectorum animis tum admirationem eximiæ paternæ caritatis, qua Sanctus ille Antiſtes noſter flagrabat, tum commiſerationem extremæ inopiæ ſpiritualium auxiliorum, quibus in ea ferali calamitate Mediolanenſes Cives prorſus carebant. Verùm, cùm Gluſſiani Liber in omnium manibus verſetur, atque ipſe quoque profiteatur, ſe a Carolo a Baſilica-Petri materiem amplificandi hujus Sermonis deſumpſiſſe, ſatius cenſuimus, ex fonte ipſo, memoriam adeò inſignis diligentiæ, a Sancto Carolo adhibitæ, pro curanda æterna ſalute dilectiſſimi gregis ſui educere, atque evulgare.

HOMILIA XII.

IN

ASCENSIONE DOMINI

Habita in Ecclesia Cathedrali Veronæ (a)

ANNO MDLXXXIII. XIX. MAJI.



IDEBITUR, Animæ dilectissimæ, fortè novum in oculis vestris, me hoc ex loco dicentem audire hodierno die. Sed minimè cuiquam videri debet novum, quod a primævis temporibus suis docuit Sacrosancta Mater Ecclesia. Sanctorum Patrum traditionibus ad nos hujusce instituti doctrina pervènit; ut extranei Episcopi, ad alienas Ecclesias divertentes, a propriis earum Pastoribus quodammodo cogerentur, divini verbi prædicatione eorum populos consolari (b). Hoc èt Clemens Sanctissimus ex primis Summis Romanis Pontificibus unus, tradidit (c). Hac de causa Reverendissimus Antistes vester (d), Ecclesiasticæ disciplinæ observantissimus, pro sua in vos etiam caritate, ad hoc me munus impellit; cui nequeo non satisfacere & pro sanctissimi hujus instituti observatione retinendâ, & pro præcipuo animarum vestrarum amore;

(a) De hoc Sermone mentionem agit Dorotheus Danielius Canonicus Præbendæ Theologalis Veronæ in Præfatione ad Vitam Beati Caroli Borromei, ab Augustino Valerio Cardinali, & Episcopo Veronæ conscriptam, atque ibidem recusam anno MDCII. his verbis: „ Inter alia multa, quæ reliquit (*Veronæ*) „ suarum virtutum indicia & monumenta, in- „ telligens oculatissimus Cardinalis (*Carolus*) „ commune desiderium Civium, collegæque „ amicissimo Augustino Valerio morem gerens, „ Sermonem in Ecclesia Cathedrali, incredibili „ audientium frequentià habuit, insigniter eru- „ ditum, & pium, cujus, ùt asservantur apud „ aliquot viros & doctos & pios monumenta, „ ita frequens est commemoratio, nec memo- „ ria excidet.

(b) Præscriptum hoc legimus a Concilio Carthaginense IV. Canone XXXIII. his verbis: *Episcopi, vel Presbyteri, si causâ visitandæ Ecclesiæ ad alterius Ecclesiam venerint, in gradu suo suscipiantur, & tam AD VERBUM FACIENDUM, quàm ad oblationem consecrandam INVITENTUR.*

(c) Epistolâ III. quæ inscribitur *de Officio Sacerdotum, & Clericorum*, apud Labbeum Tom. I. pag. 103.

(d) Is erat Augustinus Valerius, summa necessitudine Sancto Carolo Borromeo conjunctus, & hoc eodem anno MDLXXXIII. pridie Idus Decembris a Gregorio XIII. renunciatus S. R. E. Cardinalis; quam dignitatem ipsemet fassus est in Opusculo *de Cautione adhibenda in edendis Libris*, se debere favorabili testimonio, per Literas, Pontifici Max. oblato ab eodem Sancto Carolo Borromeo.

re; ubi enim tanta existit inter Pastores animi conjunctio, magnus etiam, necesse est, sit in gregem affectus: multas etiam alias ob causas, quas lubens omitto; hoc tamen unum addo, me non caritatis solùm intuitu, sed èt debito justitiæ, ad id munus suscipiendum teneri; debeo enim multum Reverendissimo huic vestro Pastori, Ecclesiæ huic, & animabus vestris, cùm in memoriam revoco labores plurimos & vigilias Antistitis vestri, & quàm multum operâ suâ animabus iis, quibus sic Domino Deo disponente præsum, profuerit; præsertim etiam cùm lumen illud intueor, quod ex hac Ecclesia profluit, ex qua tot extiterunt dignissimi Servi Dei, per quos tam magna Orbis Christiani pars tot percepit emolumenta. Ob hæc igitur omnia, me ipsum hodie vobiscum consolabor in Sacrosancta hac solemnitate, in cujus meditatione tria breviter exequar, quorum tractatione meus hic sermo concludetur; nam quædam attingam, quæ ad summi hujus triumphi gloriam pertinent; alia verò, quæ ad fructus, quos inde percipimus, spectant; tum quænam nostræ sint partes, observabimus.

Ac imprimis quidem, magna est, Fratres, hodierna festivitas; mysterium est, ad quod tam multa alia ordinantur; est consummatio, & finis operum Christi; conclusio itineris sui pro salute nostra confecti. Descendit ex altissimo solio Christus in terras, humanam carnem induit, vixit inter nos plures annos, in ligno Crucis est mortuus, in corde terræ sepultus, ad Inferos descendit, eos spoliavit, sacram inde prædam abduxit, surrexit a mortuis; sed horum omnium finis hic est, hodierna in Cœlos Ascensio. Verè gloriosi admodum fuere omnes Christi triumphi; cùm Mundum debellavit, *nunc Princeps hujus Mundi ejicietur foras* (*a*); cùm peccatum ligno Crucis affixit; cùm mortem moriendo destruxit: *Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, Inferne* (*b*), cùm ipsum Infernum expoliavit: Sed extremus hic supererat triumphus, de ipso Cœlo reportandus. Clausæ fuerant per multa annorum millia Paradisi januæ; eas Cherubim custodiebat, quia nos inde parentum nostrorum peccatum excluserat. Aperit hodie Cœli januas Christus, Angelorum choros omnes transgreditur, Paradisi ingreditur possessionem, suo, & nostrùm nomine; liber jam erit in posterum ad illum nobis omnibus ingressus, nisi eum nobis ipsi præcluserimus. Quis det nobis hodie, dilectissimi, quando corpore sublimi huic triumpho adesse non possumus, mentis saltem oculis intueri? Cùm per quadraginta dies per-

(*a*) *Joannis XII. v. 31.* | (*b*) *Oseæ XIII. v. 14.*

permansisset Dominus Jesus cum Discipulis suis, erudiens eos, & ceteris instruendis idoneos efficiens, duxit eos tamdem in Bethaniam, ac celeberrimum illum Montem Oliveti conscendens, cùm plura locutus ad illos fuisset de Regno Dei, paulatim cœpit in altum tolli, ac Apostolis benedicens, interpositâ nube, sublatus est ab oculis eorum; sanctarum animarum gloriosâ illâ prædâ onustus, triumphator ascendit cœlestem illam Jerusalem. Ingressus fuerat ante Passionem suam triumphans terrestrem Jerusalem, obviam procedentibus Hebræis, ac vestimenta sua ejus pedibus substernentibus, pueris eum deducentibus, cum ramis palmarum, clamantibus jugiter omnibus: *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*a*). Fuit quidem illa hodierni triumphi imago quædam, sed triumphus iste cœlestis o quantum terrestri illo præstat! Illam enim terrestrem Jerusalem, Christus humilis; hanc verò cœlestem, gloriosus: illam brevì moriturus; hanc semper regnaturus ingressus est: illic a pueris; hìc ab Angelorum exceptus choris. Beati verè, qui, meditando, cœlestis hujus triumphi spectatores fieri merentur! Obstupescunt hodie Cœli, dicentes: *Quis est iste Rex gloriæ* (*b*)? Mirantur Angeli, videntes carnem nostram super omnes cœlestium spirituum ordines collocari ad dexteram æterni Patris. O singularis dignitas, jure sublimi illi Salvatoris nostri Humanitati reservata! Eò namque nulla pura creatura potest ascendere; unde Paulus (*c*) *Super principatum* &c. *constituit illum ad dexteram suam*. Sed cogitemus, quæso, dilectissimi, cur eò ascenderit Christus: an propter gloriam suam solùm? imo èt propter nos etiam; decebat tam magna dignitas, tam profundam Christi humilitatem, tam acerbos, quos pertulerat, cruciatus, tam diram mortem: *Exinaniverat* enim *semetipsum; propter quod èt Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen* (*d*). Sed propter nos etiam hodie Dei Filius ascendit in Cœlum, ut quos juverat semper in terris, juvet nunc etiam in Cœlis. Quid enim creditis, in sublimi illo loco constitutus faciat? Sacerdos est æternus, perpetuus Advocatus noster; unde si quis nostrûm peccaverit, ne desperet, o Fratres; *Advocatum* enim *habemus apud Patrem Jesum Christum* (*e*). Pœnitentiam agite, o Filii, animum ne abjicite, vires assumite: advocat Christus efficacissimè, offert continuò Patris oculis sacratissimas illas

(*a*) *Matth. XXI. v. 9.*
(*b*) *Psalm. XXIII. v. 8.*
(*c*) *Ad Ephesios I. v. 20. & seq.*
(*d*) *Ad Philipp. II. v. 7. & 9.*
(*e*) *I. Joannis II. v. 1.*

illas ſuas plagas, caput ſpinis transfixum, manus ac pedes clavis perforatos, latus apertum, totum corpus vulneratum; profert in medium profundiſſimam ſuam illam humilitatem, ſummam illam obedientiam, qua, ut Patri obtemperaret, impiis etiam carnificibus obedire non recuſavit: clamant, clamant altiſſimis vocibus plagæ illæ. Sanguis Abel clamabat de terra; clamat ètChriſti ſanguis in Cœlo: at ille Abel, hominis eſt ſanguis; hic Chriſti, Filii Dei vivi; clamat ille vindictam; nil aliud clamat hic, niſi miſericordiam, niſi peccatorum remiſſionem & veniam; heu quàm inter ſe voces hæ differunt! Quis jam ultra deſperet, quis in peccatis marceſcat, quis vitam non emendet, hujuſmodi habens Sacerdotem æternum, & Advocatum apud Patrem? Sedet ad dexteram Patris, quia in plenitudine eſt poteſtatis, ut bona ſua omnia nobis inde communicet, diſtribuat abundantiſſimè miſericordias ſuas. Quàm magna inde dona ad Apoſtolos ſuos in ſanctiſſimo Pentecoſtes diè miſit! Hic eſt glorioſæ hujus Aſcenſionis nobiliſſimus fructus: *Si enim non abiero* ille ipſemet dixerat (*a*) *Paraclitus non veniet ad vos:* Ivit illuc parare nobis locum (*b*); Cœli poſſeſſionem accepit, in qua èt pro nobis perſiſtit; cum eo caro noſtra Cœlum intrat, cum eo humana conſcendit natura, cui aliàs dictum fuerat: terra es, & in terram revertèris. Quis ob hæc igitur hodiernam feſtivitatem, non modò Chriſti Salvatoris noſtri, ſed noſtram etiam eſſe non dicat? Eſt, Fratres, nobis communis cum Chriſto ſolemnitas hæc; conſideremus igitur, quid a nobis potiſſimum requiratur, ut fructus ampliſſimos inde provenientes capere poſſimus: quos interim dum dicere aggredior, vos ſolitas pauperibus eleemoſynas erogate, quæ omnium maximè ad Cœlum iter inſtruunt.

SECUNDA PARS.

Aſcendit Dominus, & o quàm altè, ſupra omnes Angelorum choros, ad dexteram Patris; ſed heu quot ſunt fidelium corda, in quibus Chriſtus remanet vilis, & depreſſus! Id igitur nobis eſt in primis curandum, ut aſcendat in cordibus noſtris Chriſtus: ſed audite quonam modo. Aſcendit quidem Dominus in Cœlum ad Patris dexteram, quo loco nullus ſublimior excogitari poteſt; ſed multi hac eum ſublimitate in ſe ipſis defraudant: lugendum mihi potius hìc eſſet, quàm loquendum. Heu quot, & quàm multa miſeri

(*a*) *Joann. XVI. v. 7.* | (*b*) *Ibidem XIV. v. 2.*

miſeri mortales altiſſimo Chriſto præponunt! Præfert avarus vèl minimum lucellum Dei Filio; carnalibus vitiis implicitus, nonne ut carni ſuæ complaceat, Dei Creatoris ſui obliviſcitur? Qui terrenos ambiunt honores, omnia, præter Chriſtum, curant. Videturne vobis, in iſtorum cordibus aſcendiſſe Chriſtus: an non deſcendit potius? Et, quantùm eſt hodierno die ſuper omnes Cœlos exaltatus, nonne tantùm eſt in multorum cordibus infra omnia minima demiſſus? Hi Chriſtum rebus omnibus ſubjiciunt, Infernum acquirunt, Paradiſum perdunt, gratiam Dei nihili faciunt. O miſeri peccatores, quomodo deprimitis Dei Altiſſimi Filium ſuper omnes ſpiritus Angelicos exaltatum! Clamat, o iracunde, Chriſtus: Diliges inimicum tuum; redde pro malo bonum (a); nam ſic præcipio; ita exemplo, & verbo docui. Clamas èt tu: injuriam mihi intulit homo; inglorius ſum, niſi ulciſcar, niſi pœnas de eo ſumam; heu te miſerum! Chriſti monita ſpernis, negligis præcepta, voces audire renuis, & vindictam ſolùm appetis. Tu, qui tibi ventrem conſtituis Deum, ventri, quamdiu vivis, indulgendum tibi perſuades; voluptatum luto ſemper immergeris: objicit Chriſtus, quia nihil pollutum intrabit in cœleſtem illam Jeruſalem, &, te tamen volente, cedit ſuaſio Chriſti, Satanicæ ſuggeſtioni. Et in vobis aſcendit Chriſtus? imo in vobis non potius deſcendit? Aſcendat, aſcendat, Fratres; demus ei locum ſuum; rebus omnibus eum anteponamus; hoc enim niſi fiat, ſalvi eſſe non poterimus. Vos, qui in Magiſtratu eſtis conſtituti, Deum omnibus anteponite; qui mercaturam exercetis, identidem facite. Animadvertant omnes, quid Dei Filius præcipiat, ut ei in omnibus omnes obtemperemus, ut ejus honorem & gloriam omnibus anteferamus; ubi de ejus honore agatur, & honorem noſtrum & opes, famam & amicos nihili faciamus; hic eſt enim locus, qui ei debetur: & beati, qui hoc faciunt; qui, quemadmodum hodie ſuper omnes Cœlos exaltatus eſt Chriſtus, ſic in ſeipſis ſuper omnia illum exaltant! Hoc ſi fiat, quàm rite omnia erunt compoſita; quàm qui in dignitate ſunt conſtituti, Deo erunt accepti; quàm qui mercaturam exercent, cœleſtes ſibi theſauros comparabunt; quàm denique univerſa hæc Civitas rectè inſtituetur!

Sed debemus èt nos unà cum Chriſto, ſpiritu aſcendere, ut tamdem re ipſa aſcendamus glorificati in Cœlum. Habent hoc cuncta Chriſti Domini myſteria, ut & exemplum nobis præbeant, quod

(a) *Matth. V. v.* 44.

quod ſequamur, & vires addant, quibus id aſſequamur. Mortuus eſt Dominus Jeſus, ut èt nos peccato moriamur: ejus mors nos ad id juvit. Surrexit ipſe, ut èt nos reſurgentes, in novitate ſpiritus ambulemus; ſic èt aſcendit in Cœlum, ut èt nos ſpiritu aſcendamus, & tamdem etiam gloriosè. Sed heu quàm nequiter multi volunt aſcendere! Studet ſuperbus omnibus anteferri, omnes deſpicit, ſe omnibus ſuperiorem exiſtimat: cur hoc, miſer, niſi ut aſcendat? Ut illatas alter ulciſcatur injurias, ſe ipſum, Dei oblitus, perdit. Quàm multi patrimonia ſua vanis & ſuperfluis expenſis conſumunt, & filios ſuos miſeros reddunt; & hæc omnia tantùm, ut aſcendant? Heu infelices! Spiritus hic eſt patris peccati, Satanæ, qui dixit in corde ſuo: *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo* (*a*); abominabilis ſpiritus Deo, quo Lucifer e Cœlo in barathrum prolapſus eſt; quo primos noſtros parentes miſerrimos reddidit: *Eritis* eis ſuggerens *ſicut Dii*, *ſcientes bonum*, *& malum* (*b*). Hoc etiam nunc ſpiritu perpetuus animarum noſtrarum hoſtis domos evertit, familias enervat, quandoque etiam extinguit; dum intolerandam ſuperbiam excitat in fœminis, quæ ceteris invidentes, mille veſtibus non contentæ, patrimonia filiorum ſuorum nuda relinquunt; quod eſt in cauſa, ut innumeri hinc prodeant illiciti contractus, quò earum immoderatis cupiditatibus infelices Viri habeant, unde aliqua ex parte ſatisfaciant. Undenam, quæſo, tot jurgia & contentiones, diſſidia & lites, homicidia & neces, niſi ex hoc aſcendendi appetitu? Sed aliter vobis, o Fratres, eſt aſcendendum: ſpiritualiter videlicet. Aſcendit Chriſtus per Crucem, humilitatem, paupertatem, per vulnerum & diræ mortis Paſſionem, ſic èt te, o Chriſtiane, oportet aſcendere: hac tibi incedendum eſt viâ, ut parvus ſis in oculis tuis, ut ea amplectaris, quæ Mundus parvi facit, ut pueros ac rudes Chriſtianæ doctrinæ elementa doceas, licèt id multi negligant: memor quia nobiliſſimum hoc & Apoſtolicum munus eſt, Apoſtolis ipſis a Domino injunctum, & eorum ſucceſſoribus Epiſcopis; quia hoc eſt, Chriſti eſſe in lucro animarum coadjutorem: ut pauperibus in Xenodochiis præſtes obſequium; in iis denique omnibus te exerceas, a quibus qui Mundum admirantur, abhorrent: hac enim, & non aliâ viâ, in Cœlum aſcenditur. Sed, proh dolor! quàm multi, peccatorum vinculis irretiti, veluti humi depreſſi, ſe ſe in altum tollere nequeunt, de quibus rite Propheta: *Adhæſit pavimento anima mea* (*c*). Sed clament hi ad Chriſtum: *Trahe* nos

(*a*) *Iſaiæ XIV. v.* 14. | (*b*) *Geneſ. III. v.* 5. | (*c*) *Pſal.CXVIII. v.* 25.

nos Domine, & *post te in odorem unguentorum tuorum curremus* (*a*): quàm multos annos, bone Deus, inutiliter consumpsimus! Incipiamus jam tamdem somnum excutere, ad Cœlum tendere; sumus quidem infirmi & debiles, sed Ascensione tua nobis tu vires contulisti. Sit, o fratres, in Cœlis conversatio nostra: cogitet intra se crebrò quilibet nostrûm: homo sum, nobilissimum post Angelos Dei opus, ad ejusdem imaginem conditum, pretiosissimo Dei Filii sanguine redemptus, ad cœlestem Patriam possidendam natus; & hìc semper depressus jacebo? numquam oculos in Cœlum dirigam? hanc dignitati meæ injuriam faciam? Absit hoc a nobis, fratres: sit cor nostrum, ubi èt thesaurus noster: sit in Cœlis thesaurus noster, non autem in terris; & nos felices! Si enim, ùt inquit Augustinus, fuerit ibi cor, èt hìc erit requies: si in Cœlo cor, quod est Patria nostra, in qua Pater noster est Deus, frater Christus, concives Angeli, ubi omnia bona, erit èt nobis in hoc seculo requies; leves erunt injuriæ, faciles molestiæ, dulces persecutiones: qui sæpe Patriæ illius recordabitur, facilè injuriarum oblivisœtur, dicente Scriptura: *Memento novissimorum, & desine inimicari* (*b*). Memento frater iracunde, quia brevì, & citiùs fortè, quàm putes, es moriturus; nonne tunc inimicis tuis velles pepercisse? Cur non jam id, quod facilè potes, facis, quod tunc fecisse velles, & vix facere commodè poteris? At malè (inquies) fecit, qui me ad iracundiam provocavit: èt id fateor, sed est tamen propter Deum amandus; cur non potius memoriâ repetis, quoties ipse Deum læseris? O nos miseros, si sic Deus nobis esset illiberalis, ùt nos fratribus nostris sumus! *Memorare* frater *testamentum* Dei, *& despice ignorantiam* (*c*); quid aliud tibi testamento Deus reliquit, quid præcepit aliud, nisi pacem, nisi caritatem, nisi fraternum amorem? *Homo homini reservat iram, & de peccatis suis deprecatur* (*d*)? Vide quàm graviùs tu Deum læseris; confer offensum Deum cum te ipso, cui injuriam levem intulit frater, & vide, quàm te in remittendis injuriis promptum esse oporteat; qui enim non habet pacem cum fratre, nequit habere cum Deo. Sed dices fortè: non odi eum, qui me probro affecit, jam ei indulgeo; sed sua ipse curet, & ego mea; illum alloqui nolo. Cave frater; neque enim Deum fallere poteris; veniet mors, quæ omnes has cordis tui duplicitates aperiet; & tunc, qua id intentione feceris, innotescet.

(*a*) *Cantic. Cantic. I. v. 3.*
(*b*) *Ecclesiastici XXVIII. v. 6.*
(*c*) *Ibid. v. 9.*
(*d*) *Ecclesiastici XXVIII. v. 3. & 4.*

Sed jam dicendi finem faciamus, fratres: duo dumtaxat vobis propono, quæ ex ipſo Evangelii ſacri contextu eliciuntur, quorum alterum ad Paſtores omnes; alterum verò ad populos, & ad vos ſpectat. Dixit aſcenſurus Dominus Jeſus diſcipulis ſuis: *Eritis mibi teſtes* (*a*); quo oſtendit, Epiſcoporum & Paſtorum omnium præcipuum munus eſſe, teſtificari, Chriſti myſteria annunciare, prædicare Evangelium omni creaturæ. Sublimis & altiſſimus eſt Chriſtus, nec tamen noſtro dedignatur famulatu, & nobis, veluti gloriæ ſuæ inſtrumentis, uti non recuſat: ideo in ſacris & libris, & Conciliis tam ſæpe inculcatur, Paſtorum eſſe munus prædicare, quos Deus *teſtes* ſui eſſe hodie ſtatuit; eos autem minimè mutos, nam teſtes loquuntur. Audite, quàm ſeriò hoc Apoſtolus Paulus Timotheo præcipit: *Chariſſime, teſtificor coram Deo* (tremendum ſanè verbum) *prædica verbum, inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa* (*b*).

Gaudete vos fratres, talem nacti Paſtorem, qui in hoc potiſſimum muneri ſuo minimè deeſt, utpote præcipuo; nam èt Apoſtoli, hujus rei non ignari, verbi prædicationi ut faciliùs incumberent, Diaconos elegerunt, quibus alia munera reliquerunt; quo fit, ut nulla ſit excuſatione dignus Paſtor, qui, quia Coadjutores habet, prædicare recuſat. Hinc infertur, fratres, quod ad vos potiſſimum ſpectat; veſtrûm ſcilicet eſſe, Paſtores diligenter audire, eorum prædicationibus intereſſe; correlativa ſunt enim Prælatus, & populus, Paſtor, & grex. Habent Paſtoris verba multò majorem, quàm Concionatorum aliorum vim, ùt enim Matris lac magis, quàm exteræ fœminæ, nutrit infantem; ſic èt proprii Paſtoris vox eſt attentiùs excipienda, quàm aliorum, utpote utilior; nam etſi multos habeatis pædagogos, non tamen multos patres. Eſt èt conſiderandum nobis in hoc myſterio, quòd mirantibus Apoſtolis Angeli apparuerunt, futurum Chriſti adventum ad extremum judicium prænunciantes; neque id temerè, aut abs re, ut intelligat ſcilicet quilibet noſtrûm, de omnibus Chriſti Salvatoris noſtri myſteriis, donis, & muneribus arctiſſimam nobis eſſe reddendam rationem, ut iis non ſolùm gaudeamus, ſed timeamus etiam, ne iis abutamur; ne mortuo pro nobis Dei Filio, infructuoſum nobis ejus Sanguinem faciamus; ne, eo in Cœlum aſcendente, nos etiam aſcendere negligamus. Chriſtus caput noſtrum aſcendit, ut in membra ſua, fideles homines, ſua dona diffundat, quibus frui nequit, qui Prælatis ſuis non paret, per quos communicat Chriſtus

(*a*) *Act. Apoſt. I. v.* 8.

(*b*) *II. ad Timoth. IV. v.* 1. & 2.

ſtus gratias ſuas & dona; nam ſicut caput in membra tantùm viva vires ſuas infundit; ſic èt homo membrum Chriſti vivum ſit, neceſſe eſt; quòd ſi quando moriatur, ad pœnitentiam, qua in vitam redeat, citò confugiat. Curemus omnes, fratres, ut vivamus, ut divitiis his ſpiritualibus fruamur. Da bone Jeſu animabus his pretioſo tuo Sanguine redemptis, ut aſcendant: *Beatus* enim *vir*, *cujus eſt auxilium abs te*, *aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit* (*a*). Da Domine, ut aſcenſiones diſponamus; ſi quando cadimus, ſurgamus illico. Scitis, quid ſit aſcenſiones diſponere? Eſt ſemper meliora proponere; Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento animam ſuam frequentiùs reficere; docendis pueris doctrinam Chriſtianam incumbere; ad Oratorium convenire; parcere inimicis; juſtè mercaturam exercere: hæ ſunt aſcenſiones in hac lacrymarum valle diſponendæ; ſic enim itur de virtute in virtutem, & videbitur tamdem Deus Deorum in Sion in cœleſti illa Patria, ad quam nos perducat Dei bonitas. Amen.



HO-

(*a*) *Pſalm. LXXXIII. v. 6.*

HOMILIA XIII.
IN
PENTECOSTE
Habita in Metropolitana Mediolani

ANNO MDLXXXIII. XXIX. MAJI.



I VISIBILIS hic, quem oculis cernimus, Sol, Princeps Excellentissime (*a*), vosque Auditores dilectissimi, quò altiùs supra nos elevatur, efficaciùs radios suos mittit, & in Orbem hunc inferiorem influit; æquum sanè est & congruum, ut Sol justitiæ Christus Jesus, in Cœlos elatus Sanctissimo Ascensionis die ad dexteram æterni Patris, emittat singulares radios, virtutis suæ plenos; effundat ex sublimi illo loco igneos radios, atque mirabiles primitias Spiritus sui super discipulos suos, ut deinceps sponsæ suæ Ecclesiæ semper adsit Spiritus ille Patris sui. O admirabilis missio! o solemnis dies! o sublime mysterium! o celebranda, atque omni honore prosequenda festivitas! si eam in se consideremus; si cum ceteris festivitatibus, ac Christi Domini nostri mysteriis conferamus; si demum fructus, qui inde in nos derivant, perpendamus. Verùm quis de divino Spiritu, absque eodem Sancto Spiritu, præsumat loqui? Nemo sanè nec de eo verba facere potest, nec vos loquentes audire valetis, nisi is ipsemet Spiritus præsto sit omnibus. *Nemo novit*, dicebat vas electionis Paulus: *quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est* (*b*). Quantò igitur minus quis noverit de Spiritu Dei differere, sine ejusdem Spiritus instinctu? Est igitur & mihi locuturo, & vobis audituris, dilectissimi, singulare refugium, ad eumdem recurrere Spiritum. Deberemus quidem igneis linguis de cœlesti hoc igne hodie

(*a*) Administrabat eo anno Mediolanensem Civitatem ac Provinciam, Gubernatoris nomine, D. Carolus Aragonius Dux Terrænovæ, Princeps Castri-Vetrani &c.

(*a*) *I. ad Corinth. II. v.* 11.

die vobiscum agere; & quoniam id nobis minimè permittitur, faxit saltem pro caritate sua Paracletus Spiritus, ut, quemadmodum Isaiæ labia igne, sic èt lingua nostra, Spiritus ardore purgetur, atque ex ignito corde ac spiritu, ejusmodi verba egrediantur, quæ corda itidem vestra divino amore incendant, vestræque omnium animæ caritate æstuantes hinc recedant.

Legitur in libris Regum perpulchra illa Eliæ historia (*a*): quòd cùm fuisset siccitas magna super terram (annis enim tribus cum dimidio clausi fuerant Cœli, neque dederant imbres suos) tamdem, cùm Propheta Sanctus Elias gratissimum illud Deo obsequium præstitisset, falsos illos Prophetas Idolorum cultores, qui Idololatriis suis universum Populum contaminabant, penitus exterminando, Montem Carmeli conscendit, ubi prostratus in terram, Deum diutiùs cùm orasset, sæpius servum suum ad mare misit, ut, quid videret, ei quamprimum renunciaret; qui jam inde septimò rediens, vidit denique nubeculam quamdam parvam, e mari surgentem, hominis imaginem referentem, quæ sursum tendens, condensari paulatim cœpit ita, ut non multò post in abundantissimam pluviam desierit, quæ universam terram irrigavit, ac magnam frumenti copiam producere fecit, qua omnis populus dira est fame liberatus. Erat maxima siccitate afflictus Mundus universus, Auditores, cùm nubes illa, sanctissima Christi Humanitas, Dei unigenitus Filius, e Cœlo descendit in terram; transierant jam vices septem, septem nempe Christi mysteria, cùm, ascendente illo in Cœlum, nubes hæc in altum & sublime ferri cœpit, unde, quæ toties Apostolis suis promiserat, effudit, imbrem videlicet hunc & fœcundissimam Sancti Spiritus pluviam, ignitas ac ardentes linguas. Hoc est, quod hodie Sancta per universum Mundum recolit Ecclesia; quem diem, si in se diligentiùs examinemus, celeberrimum esse comperiemus; est enim festum tertiæ in divinis Personæ, Sancti Spiritus, qui Patri & Filio est per omnia æqualis. Hodie Spiritus Sanctus se visibiliter Mundo manifestavit, in igne, amoris sui magnitudinem signans, in linguis verò, Apostolorum munus & officium denotans, quod futurum erat Evangelicæ prædicationis ministerium. Si autem ceteris anni solemnitatibus, Filii, præsentem comparemus, o quàm est magna hodierna festivitas, qua missionis Spiritus Sancti memoria celebratur! Est certè terminus, est finis mysteriorum omnium Christi Redemptoris nostri. Quorsum enim puta-

(*a*) *III. Regum XVIII. v.* 41. *& seqq.*

putatis, natus ſit Chriſtus? cur in terris converſatus? cur tot pertulit labores? cur tam multas ſubiit moleſtias? cur mortem viliſſimam non exhorruit? cur reſurrexit a mortuis? cur demum in Cœlos aſcendit, niſi ut promiſſum Spiritum Sanctum mitteret nobis? Videte igitur, Animæ dilectiſſimæ, qualem hodierna ſolemnitas a vobis exigat præparationem; ejuſmodi nempe, quæ cetera omnia diſpoſitionum genera in ſe una complectatur, quibus nos Mater Eccleſia ad cetera ſingula Chriſti Domini myſteria & Nativitatis, & Paſſionis, & Reſurrectionis, & Aſcenſionis, præparare contendit. Hoc præ ceteris myſteriis habet hodiernum, quòd alia ſingula ſingulis tantùm convenire videntur actionibus: Natalis namque Domini dies, ei, quo natus eſt, congruit; Paſſionis itidem, mortis diem deſignat; Paſcha, Reſurrectionis Dominicæ diem oculis ſubjicit; in Cœlos Aſcenſio, Chriſti Domini aſcenſum refert præcipuè: ſed miſſio hæc hodierna Spiritus Sancti, perpetua eſt, & ſemper permanet; perpetuis enim temporibus mittit Rex Cœli, & terræ Deus in Fidelium animas Spiritum ſuum. Vultis, Auditores, noſſe, quàm dies hic ceteris præſtet? Cur, quæſo, aliorum Chriſti myſteriorum fructus, aut quomodo hominibus communicantur, niſi Spiritus Sancti miſſione? Quid namque profuiſſet hominibus Filii Dei carnalis nativitas, quid mors, quid cetera omnia, niſi mortalium corda Sancti Spiritus gratia penetraſſet? Quàm pauci tamen ſunt, qui, ùt deberent, hæc animo meditentur? qui præſentis feſtivitatis ſolemnitatem agnoſcant? quam tamen eò diligentiùs omnes conſiderare deberent, quò hæc præ ceteris, magis eſt noſtra, magis nobis propria; nam aliæ Sanctorum ſolemnitates vèl ex ipſo nomine denotant, etſi aliquatenus ſint noſtræ, utpote uſui noſtro inſervientes, ſe tamen eorum eſſe præcipuè Sanctorum commemorationi dicatas, quorum referunt nomina; ùt Apoſtolorum Petri, & Pauli, Martyrum Stephani, Laurentii &c. Idem èt in Chriſti celebrandis myſteriis eſt perſpicuum; Nativitatis enim dies, illud Chriſti myſterium in memoriam reducit; ſic èt cetera omnia: At feſtivitas hodierna, tota noſtra eſt. Miſſio Spiritus Sancti ad nos, & propter nos facta eſt; vèl ipſa vox, non niſi munus & egregium Dei nobis conceſſum ſignificat donum, quo Mundus locupletatur, quo Sancta Mater Eccleſia infinitis eſt gratiarum theſauris ditata. Fuit quidem ſpeciali quodam modo, Sanctis fidelium primitiis Apoſtolis hic Spiritus datus; ſed quorſum obſecro? niſi ut nobiſcum ſemper eſſet, ut Eccleſiæ Dei numquam non adeſſet; *ut*

maneat,

maneat, dixerat Chriſtus, *vobiſcum in æternum* (*a*); ut ignis hic noſtris ſit continuò adjunctus operibus; ut eo repleti multi ſingulis temporibus in Dei eſſent Eccleſia. Annon meminiſtis, ò filii, in veteri Teſtamento ignem ſuper Moyſi ſacrificium miſſum fuiſſe, quem ſemper accenſum, nova lignorum ſuppoſitione, retineri mandaverat Deus; nec alium, ſeu extraneum, præter illum, ſacrificiis adhiberi: quem poſtea populus Iſraëliticus, in Babyloniam tranſiens, in puteo abſconſum (*b*), ex dira ſervitute reverſus, ibidem in aquam craſſam ac pinguem, converſum reperit, qua protinus oblatum Deo ſacrificium exarſit? Mittit Evangelicæ legis tempore, in novo amoris Teſtamento, novum hunc ignem Dominus, qui operibus noſtris ſemper adſit, abſque quo ei minimè placeant; quo oblationes & ſacrificia omnia noſtra conſocientur. Sed fuit munus hoc præcipuè Apoſtolis datum: quomodo igitur (dicitis) eſt noſtrum in primis? At donum, dilectiſſimi, cujus obſecro eſt? nonne ejus, cujus eſt gratiâ donatum, cujus intuitu conceſſum? Cur tantâ fuit Apoſtolis hodierna die munus hoc majeſtate donatum? Aſpicite munus, & en vobis erit plenè ſatisfactum. Linguæ fuerunt, & igneæ; linguæ, ut illi ad Evangelium nobis prædicandum mitterentur; igneæ, ut caritatis flammâ Mundum univerſum ſuccenderent. Nonne ergo nos miſſionis hujus ultimus finis ſumus? an non noſtrî causâ advènit Spiritus Sanctus? O admirabilem! o ſingularem Dei bonitatem! Quam, quæſo, huic caritati rependemus caritatem? quo amorem hunc amore excipiemus? Cetera etenim Feſta, ſeu Chriſti myſteria, effectus ſunt ſui erga nos amoris, qui fecit, ut naſceretur, qui effecit, ut moreretur, qui in cauſa fuit, ut a mortuis reſurgeret, cujus gratiâ in Cœlos aſcendit. In hodierno verò myſterio, ipſemet Amor eſt Mundo donatus, Apoſtolis communicatus, Eccleſiæ Sanctæ conceſſus, ad nos tranſmiſſus Patris & Filii mutuus & reciprocus Amor; cujus amore, quis amore non ardeat, niſi & amoris, & humanitatis omnis ſit expers? Hic vos, o filii, dum nonnihil quieſco, & me ad cetera paucis proſequenda accingo, compellat ad veſtrum in proximos & fratres veſtros amorem, piis eleemoſynis ac largitionibus, comprobandum.

(*a*) *Joannis XIV. v. 16.*

(*b*) *II. Machab. I. v. 19. & ſeq.*

SECUNDA PARS.

Quid voluit hodierno myſterio nobis communicare Deus, Dilectiſſimi? Quis id dicere umquam poſſit? Tempus certè nullum ſatis eſſe poteſt ad vèl minimam hujus rei partem exprimendam. Omnes (dicam uno verbo) benedictiones, omnia nobis largitus eſt dona, omnia hodiernâ Sancti Spiritus miſſione comprehenduntur. Datus eſt hodie nobis in Tutorem, in Patrem, in Doctorem, in Ducem, qui futurus eſt nobis conſilium, ſalus, & fortitudo noſtra. Tollite a nobis, (quod avertat Deus) Sanctum hunc Spiritum; quid homine miſerius, quid infelicius, quid pauperius excogitari poteſt? Nihil nec facere, nec loqui, nec cogitare boni, ullo modo poterimus: *Nemo*, inquit vas Spiritus Sancti Paulus, *poteſt dicere Chriſtus Jeſus, niſi in* hoc *Spiritu Sancto* (*a*); adeò ſumus infirmi. Obſcurata fuerat humana mens, mille errorum tenebris obumbratus erat intellectus, viribus erat deſtituta voluntas, & ad ſummam debilitatem redacta, totus denique homo in maximam prolapſus erat ruinam; cùm miſit hodie Deus conſolatorem Spiritum ſuum, qui & mœſtos erigeret, & debiles conſolidaret, & languidos recrearet; de quo multo ante in Sacris Scripturis dictum fuerat, vaticinante Iſaia Propheta: *Conſolabitur Dominus Sion, conſolabitur ruinas ejus* (*b*). Hunc nobis promiſerat Chriſtus Tutorem, dicens: *Non relinquam vos orphanos* (*c*). Noverat ipſe, quàm hujus conſolatoris adventu indigeremus; & non immeritò dixerat: *Expedit vobis, ut ego vadam; ſi enim non abiero*, niſi a corporeis oculis veſtris Humanitatem, & carnem meam ſubtraxero, *Paraclitus non veniet ad vos; ſi autem abiero, mittam eum ad vos* (*d*). Non ignorabas tu Chriſte; imo verò, multò meliùs nobis ſciebas, quæ noſtra eſſet indigentia: & idcirco Spiritum Sanctum tuum hodie in nos effudiſti, cujus primùm munere, ex animis noſtris ignorantiæ tenebræ ſunt depulſæ; illuminatus intellectus noſter, ut jam, quæ nobis ſint agenda, quæ itidem fugienda, ſciamus omnes; aperta ſint nobis præcepta Dei; & longè clariùs ac faciliùs, quàm antiquis veteris Teſtamenti Patribus, quibus aperiebat quidem lex ipſa præcepta tua, eaque ſervanda & vitanda docebat tantùm. At conſolator Spiritus, non modò nos hæc omnia docet apertiùs, ſed èt vires ſubminiſtrat, quibus ea & agamus, & fugiamus; imo èt ad id ardentiſſimos

(*a*) *I. ad Corinth. XII. v.* 3.
(*b*) *Iſaiæ LI. v.* 3.
(*c*) *Joannis XIV. v.* 18.
(*d*) *Ibid. XVI. v.* 7.

ſimos continuò ſtimulos addit, mirabili quodam & efficaciſſimo modo, quo fit, ut nemo deinceps noſtrûm ſe a legis & divinorum præceptorum obſervatione excuſare valeat vel eorum ignoratione, vel obſervandi difficultate; utrumque enim abſtulit Spiritus, intellectus noſtri illuminatione, & voluntatis corroboratione. Exiſtimas o Philoſophe, o moralis homo, qui rationi conſonam & conformem omnino vitam ducis, te Sancti Spiritus donis, vèl in ipſis ſecundùm virtutem actionibus non indigere? Ah quantùm falleris! quàm toto Cœlo aberras! Si humanam prudentiam tuam, huic ſpirituali conferas prudentiæ, nonne eam ſtultitiam factam eſſe comperies? Quot ea eſt erroribus conferta? Quàm multas habet admixtas ignorantiæ tenebras? Quàm te depreſſum, ac vilem retinet! At econtra quàm te ſublimem reddunt; quàm animum tuum ſuper terrena omnia elevant Sancti Spiritus dona, quantùm ea, quæ iis donatus agis & dicis, ſunt iis præſtantiora, quæ humana tantùm ſuggerente prudentia vel feciſſes, vel dixiſſes! Hæc ſibi ſtudio a Domino Deo dari poſtulabat mortalium omnium ſapientiſſimus Salomon, cùm dicebat: *Da mihi Domine ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam &c.* (a), ut mecum ſit. Putatiſne, humanam ille tantopere exoptaret ſapientiam? Imo verò non, ſed *ſedium* Dei *aſſiſtricem*, ſed divinam, ſed Sancti Spiritus donum, quod hodie, cùm *factus eſt repentè de Cœlo ſonus* (b), e Cœlo in Apoſtolos infudit Deus, ut eos ſapientiſſimos redderet.

Quis innumera hujus Spiritus dona enumerare valeat, quæ & tot ſunt, & tanta, ut nec enumerari, neque deſcribi poſſint? Inter ea autem, præcipua illa eſſe videntur, ſapientiæ donum, intellectus, conſilii, fortitudinis, ſcientiæ, pietatis, & divini timoris, quæ ideo omnia & ſingula e Cœlo pluit hodie Chriſtus, ut omnibus omnium hominum generibus proſint, ut juvent omnes in gradu ſuo, ſtatu, & conditione, qui iis tantopere indigent. Nam (ùt cetera omittam) heu quàm miſeris hiſce temporibus fortitudinis dono egemus! Quàm multi, ob vanos hominum reſpectus, ob inanes vulgi voculas, ab incœptis fœdiſſimè deſiſtunt, animum abjiciunt, a bono opere retardantur! Me (inquit ille) hypocritam dicent, me ſimulatorem, qui Eccleſias frequentare, qui crebrò Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere, qui bonis & piis operibus incumbere animadverterint; ut igitur hujuſmodi voces effugiam, ne ludibrio ſim hominibus, vivam ùt ceteri,

(a) *Sapientiæ IX. v. 4.*

(b) *Act. Apoſt. II. v. 2.*

teri, communem vitam amplectar. Abjecti animi (ait alter) me omnes nuncupabunt, vilem ac timidum existimabunt, & palam vocabunt, si inimicos dilexero, si injuriarum oblitus, pacem mihi retinendam statuero; injurias igitur illatas quamprimùm ulciscar, ne qua fiat honoris mei diminutio. O miseros homines, ubi est fortitudo vestra, ubi vires, qui tam facile a bono deflectitis, & vobis ipsi cœlestes adimitis triumphos? Hujusmodi vobis affert hodie donum Spiritus Sanctus; videte, quàm id præcipuè fuerit hodie Apostolis elargitus. Ad minimam vilissimæ ancillæ, & servi vocem, non semel Christum Præceptorem Petrus Apostolus, a quo tot fuerat affectus beneficiis, a quo Coapostolorum Princeps effectus, quem tot miracula viderat facientem, etiam cum juramento negavit; at post Spiritus Sancti adventum, videte novum hominem, jam non ancillulas, aut servos, sed nec Reges & Principes extimescentem, imo èt publicè objurgantem, ac dicentem: *Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus* (*a*); non jam Christum negantem, sed publicè & apertè confitentem. Unde hæc mutatio? Unde huic tanta fortitudo? Unde huic tantus animus? Addidit (filii) Spiritus vires, mutavit animum, fortitudinem concessit insuperabilem. Ceteri omnes Apostoli erant timore repleti, se in unum omnes abdiderant locum præ timore Judæorum; vix reperissetis, qui se Christi discipulum dici aut haberi permisisset : at post hodiernum igneum Spiritus Sancti imbrem, cessavit timor omnis; jam gaudio & alacritate repleti *ibant* deinceps *gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni habebantur, pro nomine Jesu contumeliam pati* (*b*); jam eorum nemo horrebat mortem; jam cruces a longè salutabant; jam patibula appetebant; jam flagella, supplicia, opprobria, & omnium generum tormenta eis cariora esse non poterant. Hæc fuerunt Sancti Spiritus dona. At verò sapientiæ, & consilii dona quàm sunt regendis civitatibus, quàm vobis, o qui Magistratus geritis, necessaria! Videte, quid in eligendo Josue successore servandum præceperit Dominus, dicens: *Tolle eum, in quo est Spiritus meus* (*c*); videte quid ad Josaphat, Magistratus electurum dixerit (*d*). Absque hoc spiritu injustæ sunt justitiæ vestræ, fatuæ sapientiæ vestræ. Hujus Spiritus defectus, omnium est errorum, omnium calamitatum, miseriarum omnium & malorum unica & præcipua causa, tam in iis, quæ ad temporalem, quàm quæ ad spiritua-

(*a*) *Act. Apost. V. v. 29.*
(*b*) *Ibid. V. v. 41.*
(*c*) *Numer. XXVII. v. 18.*
(*d*) *II. Paralip. XIX.*

tualem ſpectant adminiſtrationem. Verùm de his omnibus Spiritus Sancti donis, & fructibus breviter ad vos, o filii, ſingulis hebdomadæ hujus diebus, quæ tota huic celebrandæ ſolemnitati eſt dicata, in diverſis Eccleſiis, in quibus èt Sacroſanctum Chriſma miniſtrabimus, verba faciemus. Hoc ultimo hujus ſermonis loco, vos obſecro, dilectiſſimi, ne irritam in vobis faciatis Dei gratiam; videte, quàm magnis vos Dominus muneribus donavit; animadvertite, quàm multa fecit, ut ſuum vobis communicaret Spiritum; cavete, ne culpà veſtrà omnia hæc fruſtra ſint facta; diſponite corda veſtra & animas veſtras; petite aſſiduò orationibus veſtris Spiritum hunc; *Si enim vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quantò magis Pater veſter de Cælo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe* (*a*)? Jam certi ſumus, imo certiſſimi; jam cavit nobis Chriſtus, promiſſione ſua infallibili, ſe Spiritum hunc nobis conceſſurum; vult eum nobis communicare, ſed vult etiam, ut nos eum continuò petamus: *Si quis ſitit, veniat* (inquit alibi) *ad me, & bibat* (*b*); requirit a nobis conſenſum noſtrum; vult, quod poſſumus, faciamus. Etiam Sanctis Apoſtolis ſuis toties Chriſtus Dominus & prædixerat, & promiſerat Sancti Spiritus adventum; videte tamen quid interim ipſi fecerint: Decem continuos dies a Chriſti Aſcenſione, in orationibus unanimes perſtiterunt, expectantes promiſſionem Spiritus venturi; & quorſum id? niſi ut manifeſtum nobis eſſet, etſi velit dona ſua Deus nobis communicare, media tamen a nobis etiam ad id neceſſaria eſſe adhibenda. Petamus igitur omnes, in hoc præſertim, cui incumbimus, Sanctiſſimo Miſſæ Sacrificio, in hoc Altaris myſterio, & oremus jugiter Dominum Deum, ut mittat in nos Spiritum Sanctum ſuum; cum ſacroſanctæ Sponſæ ſuæ, & Matri noſtræ Eccleſiæ præficiat, qui eam dirigat, qui cum ea ſit uſque ad conſummationem ſeculi, qui Mediolanenſem univerſum hunc populum ducat in viam ſalutis; ut omnia demum e cordibus noſtris tollat & evellat, quæ Spiritum ſuum impediant, quæ ei obſtent; ac in primis ſpiritum Mundi, rerum caducarum inordinatum amorem, quo nihil magis obſtat Spiritui Dei; deprimat ſuperbiam, vanitates auferat, Mundi reſpectus omnes eradicet, ut Sancto Spiritu pleni & hìc gratià abundemus, & Cœleſti tamdem glorià perfruamur. Amen.

HO-

(*a*) *Lucæ XI. v.* 13. | (*b*) *Joannis VII. v.* 37.

HOMILIA XIV.

AD

CONFIRMANDOS

Habita in Basilica S. Simpliciani Mediolani

Feria II. post Pentecostem

ANNO MDLXXXIII. XXX. MAJI.



OMINUS Deus, dilectissimi filii, mirabili illa sua caritate, qua Mundum diligit, miro quodam modo cupit, Spiritum suum Sanctum eidem communicare: & ob hoc tam multa fecit & operatus est, sed hoc præcipuè, quòd Filium suum unigenitum misit e Cœlis in terras, qui èt propterea, cùm inter homines esset, dicebat: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur* (a)? Cur, quæso, putatis trigintatrium annorum spatio, quo inter homines fuit, tot eum labores sustinuisse, tot vigilias tot cruciatus pertulisse, mortem denique ipsam non exhorruisse, nisi ut Cœlum conscendens, consummatis omnibus salutis nostræ mysteriis, mirabilem illam decerneret Spiritus Sancti missionem, quam hoc sacro tempore recolimus, qua visibiliter in linguis igneis, in Sanctissimos descendit Apostolos? Communicavit quidem tunc Deus Spiritum suum iis, miro quodam modo ac privilegio; numquam tamen desinit, aut desistit, eumdem variis modis, fidelium cordibus infundere, eorum præsertim, qui ad id se diligenter disponere satagunt. Sunt quidem plurima ad id opportuna media, sed ceteris omnibus longè præstantiora sunt Sacramenta Sanctissima. Inter ea autem, ad hunc potissimum finem, institutum est Sacrosanctum hoc Chrismatis Sacramentum, quo præsertim homines divinæ gratiæ pretiosissimis cumulantur thesauris, & mirum in modum ditantur. Ejus autem ministerium ac dispensationem nobis Episcopis committere dignatus est Dominus, quo

(a) *Luce XII. v. 49.*

quo muneris hujus nobilitas,& doni excellentia clare vobis omnibus innotesceret: alia quippe Sacramenta Presbyteris omnibus & Sacerdotibus commissa sunt, hoc verò solis Episcopis administrandum reliquit; perfectiorem enim decebat esse Sacramenti hujus Ministrum, quo èt homo ad perfectionem reducitur. Quænam igitur nostræ sunt, & Episcoporum omnium partes? Non aliæ profectò, nisi ut, quemadmodum tam multa operatus est Christus (ùt jam ab initio diximus) hujus dumtaxat missionis gratiâ, incumbamus èt nos in id diligentissimè, omneque studium & curam adhibeamus, ut Fideles omnes fidei nostræ commissi, ad munus hoc præstantissimum suscipiendum soliciti accurrant. Id est in causâ, ut èt nos quanta maxima possumus solicitudine id curemus, & eam ob causam, non in Metropolitana dumtaxat Ecclesia nostra (quod superioribus annis fieri consueverat), sed in privatis etiam Ecclesiis Sacramentum hoc Sanctissimum ministrare statuerimus. Venit igitur ministerii nostri medio ad domos vestras, ad Ecclesias vestras, Sanctissimus ille Spiritus, qui èt in Apostolos olim tanta gratiarum omnium plenitudine descendit, vestrum non dedignatus hospitium. Cùm igitur hodiernus hic dies vobis sit potissimùm deputatus: suscepturi cœleste hoc donum, operæ pretium est, ut quædam de eo sciatis, ne eorum ignorantiâ minùs ad id dispositi accedatis.

Animadvertite igitur in primis admirabilem Dei providentiam, & caritatem in hominum genus eximiam, quà, sicut omnia necessaria providit & opportuna, corporali & temporali vitæ propagandæ; ita, & multò magis spirituali: ejus enim munere omnes in primis in hanc lucem venimus; nati crescimus, & viri evadimus; plurimas nobis suppeditavit ciborum species, quibus corpora nostra reficiamus; medicinas creavit, ut, si infirmemur, habeamus, quo pristinam recuperemus sanitatem. At non minùs spiritui providit Deus, quàm corpori; Sacramento namque Baptismi renascimur, & regeneramur; hodierno Chrismate vegetamus, & crescimus: unica est ad morbos omnes depellendos medicina, Sanctissima Pœnitentia: Jam verò quàm suavis est animarum cibus, Christi Corpus & Sanguis! Et sic de ceteris omnibus Sacramentis: ita ut jam apertè videatis omnes, ad quemnam finem sacrosanctum institutum sit Chrisma, nempe ut homines crescant & augeantur, ac in viros perfectos, Spiritu Sancto mediante, evadant. Est igitur vitæ augmentum, cœleste hoc Institutum. Scitis, quid conferat Chrisma? Attendite, obsecro: homo Baptismo tantùm regeneratus, similis est omnino parvulo infanti lactenti;
Chris-

Chrismate verò confirmatus, perfecto ac robusto viro; debiles sunt infantes, loqui nesciunt, ambulare non possunt, omnibus virilibus actionibus perficiendis sunt inepti; at cùm jam creverint, cùm viri evaserint, o quàm fiunt ad omnia vèl gravissima onera subeunda idonei! Quid mirum ideo, si baptizati dumtaxat, adeò sint debiles, tot succumbant tentationibus, tam facilè cadant, in innumera prolabantur peccata? Chrismate, chrismate vires recipiunt homines, quibus iter Dei percurrere, divina præcepta exequi, Evangelica consilia amplecti, Dæmonem eludere, Mundum irridere, Carnem domare possint. O quàm multis exposita est misera hæc vita nostra periculis! quot tentationibus undequaque premimur, ut difficile sit admodum non succumbere! Insultat in nos continuò mirus in fallendo artifex Dæmon mille modis; nil aliud spectat Mundus, quàm ut nos in barathrum trudat; blandus inimicus noster, Caro nostra intrinsecus nobis semper insidiatur: in tantis igitur angustiis & periculis, Sacramentum Sanctissimum, quò adversùm hæc omnia vires recipimus, aversabimur? Absit hoc a nobis: Gratiâ Dei omnia poterimus, quæ hoc munere confertur. Neque verò possum, o filii, multorum hic non deflere miserias & calamitates, qui adeò sunt cæci, ut & propriæ, & aliorum salutis obliti, neque ipsi hactenus, licèt adulti, sint Chrismate confirmati, neque filios suos & filias confirmari satagant: crudeles Patres non in se ipsos tantùm, sed èt in liberos, qui eos, quos summo deberent amore prosequi, cœlesti tamen hoc thesauro, hisce infinitis, culpâ suâ, privant divitiis. Stat ad eorum ostium, & pulsat, ac clamat Spiritus Sanctus, ingredi vellet, eos ditare; & hi, proh dolor! cordis sui ei januam aperire recusant: qualem hi Sancto Spiritui inferunt injuriam! Si quis Princeps, nobilissimus pariter atque ditissimus, tuum non dedignaretur hospitium; imo, quò magis suum tibi patefaceret amorem, domum tuam ingredi vellet, & tecum ibi manere, tu ingratissimus, & tanti Regis benevolentiâ indignissimus, non modò id non appeteres, sed èt ostium ei domus tuæ occluderes, eumque ab ingressu rejiceres; qua non esses pœnâ, quibus cruciatibus dignus? Nonne ab hominum consortio rejiciendus? Venit Sanctissimus Spiritus, tertia in Divinis Persona, unum Patri cum Filio, ei per omnia æqualis, animam tuam ingredi summopere exoptat, eam innumeris thesauris cumulare paratus; & sunt, qui Christiani postea nuncupari velint, qui Deum ipsum e domibus suis, ex filiorum & filiarum cordibus arceant? O quantam tanto hospiti, non inultam profectò relinquendam, inferunt hi injuriam! Fa-

cti

cti estis omnes, & in Baptismo Sanctissimo consecrati, domus, mansio, & habitaculum, ac Templum Sancti hujus Spiritus. Vult is multò majori ac regio quodam splendore, domum suam ingredi, nisi renuatis. Faxit Deus, ut inter vos nemo sit hujusmodi adeò negligens, ac salutis suæ ignarus, ne ei, quod olim pessimo hæresiarchæ Novato accidit, contingat, qui, ùt in Cathechismo Romano habetur (*a*), hanc præsertim ob causam in tot prolapsus est calamitates, quòd gravissima ac mortali infirmitate detentus, Sacrosanctum Chrismatis Sacramentum suscipere neglexerit. Neque verò credo inter vos talem aliquem reperiri; sed, quò digniùs & promptiùs ad munus hoc accedatis, quædam paucis attingamus, quibus erudiamini, quanam vos ratione oporteat esse paratos.

Ac in primis quidem & ante omnia, cùm Sacramentum hoc conferat cœlestis gratiæ augmentum, primum ad id præparationis genus erit ipsamet gratia; neque enim ulli huc accedere licet, nisi in divinæ statu sit gratiæ, quod èt hodierni comprehendere potuistis Evangelii lectione, dicente Domino: *Qui diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum; & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus* (*b*). Divinorum præceptorum requirit observationem Domini adventus; est enim ipsa gratia ad augmentum gratiæ potissima & prævia dispositio; hæc autem gratia ob peccata deperdita, Sanctissimæ Pœnitentiæ Sacramento recuperatur. Ob id in iis, de quibus heri nostro nomine Confirmandi moniti fuerunt, hoc primum fuit, ne quis huc inconfessus accederet; id autem scitote, quia quò magis quis in gratia extiterit, bonis operibus ad id eum juvantibus, eò ampliores recipiet thesauros, eò uberiores fructus.

Requiritur secundò specialis quædam animi devotio & pietas: nam sicut venturo ad vos Rege aut principe Viro (ut in adducto exemplo persistamus), non solùm totam domum vestram diligentissimè everri & mundari studeretis, sed eam etiam omnibus, quibus possetis, modis ornaretis, & ei extra domûs etiam ostium obviam procederetis; sic èt appropinquante ad vos divino hospite, Deo ipso, non scopis solùm pœnitentiæ vestra est verrenda conscientia, sed devotionis etiam aulæis ornandus animus; ardentissimo ei mentis affectu obviam procedendum; dona, quæ vobis communicaturus accedit, diligenter examinanda; innumeræ ei, de tanta in vos caritate, gratiæ sunt referendæ. Intuemini quæso (ut omnia paucis complectar) Beatissi-

(*a*) In Cap. *de Confirmationis Sacramento* pag. 122. Romanæ editionis anni MDLXVI.

(*b*) *Joannis XIV. v.* 23.

mum illum Apostolicum chorum, qui inusitato illò & nobili modo in linguis igneis Spiritus Sancti supervenientis plenitudinem consequi meruit. Promiserat eis multoties Christus, se daturum eis Spiritum Sanctum, se Paraclitum e Cœlis missurum, qui doceret eos omnem veritatem, qui eis continuò assisteret: quomodo se ad id ipsi dispo-suerint, animadvertite; expectantes promissionem hanc ardentissimo desiderio, clausi in cœnaculo per decem continuos dies, omnes simul unanimes in orationibus perseverabant. Quid putatis, illa ipsorum unio designaverit, nisi tam necessariam in domibus vestris caritatem atque concordiam, ut pater cum filiis, vir cum uxore, & e converso conveniant omnes in Domino, ac piis orationibus instent? Cùm verò in ipso receptionis hujus Sacramenti actu consistitis, considerate diligenter, quid per exteriores Episcopi actiones, ipse intra vos Spiritus operetur. Ungit frontes vestras Episcopus, verbis illis: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis:* interiùs verò suis vos replet Paraclitus donis ac ditat, vos tam vobis ipsis dissimiles reddit; jam enim a sermonis hujus initio quantum Confirmatus, a Baptizato dumtaxat, differat, audivistis. Quantâ igitur, filii, reverentiâ, quanta animi submissione, quo cordis desiderio, quibus lacrymis vobis huc est accedendum? Miror sanè, & valde reprehendendos existimo nonnullos, qui tanto cum tumultu huc solent accedere, quasi Spiritum pacis recepturos, summa cum pace adesse non oporteat; quidam enim vestrùm adeò primi esse desiderant, adeò ultimi esse reformidant, ac si, ut Spiritum Sanctum reciperent, non unum aut alterum diem, sed èt totum vitæ tempus consumere multum esset. Intuemini, obsecro, quàm multa mercatores, levissimi lucri causâ, faciant, in quàm longinquas regiones proficiscantur, quàm multa negligant pericula; & vos, ut tam magnum thesaurum consequamini, breves horas extimescentes, tumultuose ad Deum pacis accedetis? apothecas etiam vestras, si feriatis diebus sitis confirmandi, clausas non tenebitis? Cavete, ne id ex divinorum munerum damnanda ignoratione proveniat. Sed jam finem dicendi faciamus. Accedite, dilectissimæ Animæ, cordis vestri ostium ingredienti Spiritui aperite, domus vestras disponite; quòd si id pro infirmitate & paupertate vestra non potestis, illum ipsum Spiritum cum lacrymis rogate, pro ea, qua se toti Mundo communicavit, caritate, ut det vobis velle & posse, ut sibi ipse domum instruat, suum ipse hìc præparet Templum gratia sua cœlesti, cujus auxilio vos æternæ tamdem gloriæ participes faciat. Amen.

HO-

HOMILIA XV.

AD CONFIRMANDOS

Habita in Basilica S. Laurentii Mediolani

Feria III. post Pentecostem

ANNO MDLXXXIII. XXXI. MAJI.



ELEBRAMUS, dilectissimæ Animæ, unà cum Sacrosancta Matre nostra Catholica Ecclesia solemne tempus Sanctissimæ Pentecostes; tempus, in quo, ùt olim Dominus Jesus Christus, Salvator & Redemptor noster misit in caros Apostolos suos promissum Spiritum Sanctum, sic ex parte sui cupit èt nunc ardentissimè ejusdem Spiritus portionem aliquam, eamque abundantissimam, iis communicare, & quidem copiosiùs quàm in dies consueverit, qui ad id se etiam accuratiùs disposuerint. Hanc ob rem sanè eadem Christi Sponsa Ecclesia Sancta, sacris hisce diebus Sanctissimum hoc Confirmationis Sacramentum celebrari, ac Chrismate Fideles inungi decrevit, quo homines Spiritùs divitiis mirum in modum locupletantur. Ea propter èt nos, quibus animarum vestrarum curam summo Deo placuit committere, singulis hisce diebus, singulas, ùt jam nostis, designavimus Ecclesias, juxta singulas hujusce Civitatis regiones, in quibus solemniter per nos Sancti Spiritus gratia accedentibus conferatur, ac per nos id maximè curetur, ne quis absque sanctissimo hoc cœlesti munere decedat. Huic Ecclesiæ hodiernus destinatus est dies, ad quam, licèt admodum incommodam, utpote dirutam (a), & Solis radiis introeuntibus valdè

(a) Contigit feralis ruina antiquissimi hujus Templi anno MDLXXIII., cùm ex improviso, die X. mensis Junii, dehiscente ob vetustatem, actoque in præceps Tholo, universa Ecclesiæ compages dissoluta corruerit. Illam reparare statim meditatus est Carolus, sed eà nobilioris structuræ elegantià, quæ insitam ipsius animo erga res sacras magnificentiam spiraret; adeòque

dè expoſitam, nos tamen libenti animo acceſſimus; tum quia veſtræ huic regioni, & vobis omnibus aliàs ſatis eſt commoda; tum etiam ipsâ ejus incommoditate ad id non parum accenſi. Quis enim ſcit, ſi eâ multi veſtrûm fortè commoti, vires omnes ſuas intendant, ne ſequenti anno, ſicut nunc eſt, reperiatur, ſed longè commodior? Quis ſcit, ſi fortè Spiritus ille, *qui ubi vult ſpirat, ſed neſcis, unde veniat, aut quò vadat* (*a*), qui mirabilia operatur, multorum corda acriùs exſtimulet, ut ad hujus Eccleſiæ reparationem alacriùs manus porrigant adjutrices? eorum præſertim, qui ſe filiorum multitudine, atque filiarum excuſare non poſſunt, ſed omni ſunt prorſus ſucceſſionis & futuræ prolis ſpe deſtituti; qui o quàm ſaperent ſi redditus ſuos omnes & opes in Eccleſiarum inſtaurationes, novarum ædificationes, miſerarum puellarum dotes, reliqua denique hujuſmodi Deo acceptiſſima opera conferrent! Quæ quoniam pauci admodum curant, quin etiam negligunt multi; ideo ſucceſſione omni privantur, & *relinquunt alienis divitias ſuas* (*b*), qui nec ob id ullam eis gratiam habent. Sed putantne fortè èt qui liberos ſuſceperunt ac filias, ſe ob id ad hujuſmodi non teneri? Errant ſanè. At dicent (ſcio): numquid mendicos natos relinquam, ut eorum patrimonia fabricandis Eccleſiis conſumam; an innuptis filiabus ob id decedam? Audiant hi aureum Chriſtianæ eloquentiæ flumen Joannem Chryſoſtomum dicentem, ac eos acriter ea interrogatione objurgantem: Cur èt inter filios, Deum, o miſeri, non numeratis? Cur èt inter filias, quibus conſtituenda ſit dos, Eccleſiam non adſcribitis? Deo-ne igitur, a quo & quod ſitis, & quidquid habetis, accepiſtis, vèl minimam, & parem cum liberis veſtris opum veſtrarum partem eſſe non vultis? Spero, filii, Eccleſiæ hujus incommodis multos, Sancto excitante Spiritu, hodierno die ad ſe reverſos, & Dei cultum præ oculis habentes, curaturos, ut ei quamprimum ſubveniatur. Sed ſacroſancto Chriſmate vos hodie confirmaturi, in ejus memoriam diei, quo

que Architectonicæ artis peritiſſimum Pelegrinum Pelegrini ad novam compingendam molem adhibens, ſequenti anno, die xx. Aprilis fundamenta jecit inſignis illius Templi, quod tandem poſt annos XXX. abſolutum, ſplendorem Urbi auxit, atque ab Exteris omnibus etiamnum, ſumma cum laude & admiratione ſuſpicitur. Narrat Gluſſianus in Vita Sancti Caroli Libr. IV. Cap. XIII., cùm ſemel ad populum Sanctus hic Antiſtes concionem haberet, divino afflatum Spiritu prædixiſſe, Beatiſſimam Cœli Reginam huic operi ad perfectionem ducendo propitiam manum admoturam: idque ex condicto evênit; ſiquidem edente Deo frequentia miracula ad Deiparæ Imaginem, quæ exteriùs picta in parieta a populo colebatur, tanta eleemoſynarum copia oblata fuit, ut magnis ea in re ſumptibus erogandis ſuffecerit; quapropter Cardinalis Federicus Borromeus anno MDCXXVI. eandem e muro exciſam, & ſolemni pompa tranſlatam, in ara maxima ejuſdem Eccleſiæ collocavit.

(*a*) *Joannis III. v.* 8.

(*b*) *Pſalm. XLVIII. v.* 12.

quo de ejus plenitudine sumpserunt Apostoli, duo potissimùm paucis prosequemur; primùm enim, qua ratione ad Sanctissimum hoc Sacramentum se quivis præparare, tum post ejus susceptionem qualiter vivere, & cum ceteris debeat conversari, tractabimus.

Et præparationem quidem omnimodam pulcherrima illa docet Servi Dei Prophetæ Eliæ historia in Regum libris descripta (a); ad quem cùm Deus venire vellet, eique apparere, quid ei contigerit, quidve priùs fecerit considerantibus (quæ etiam omnia cum Apostolorum dispositione ad Spiritus Paracliti dona accipienda, aliqua ex parte conveniunt) palàm fiet, quomodo èt ipsi se ad cœlestia hæc dona parare debeant. Præcepit primò Dominus Eliæ, ut egrederetur speluncam, in qua latitabat; quam dum egrederetur, ventus factus est magnus, qui & frondes, & arbores ad terram dejecit; post ventum quoque commotio vehemens, quam ignis consecutus est ardens; tum demum suavis aura successit, in qua pertransiit Dominus.

O fratres, quàm magna in his omnibus latent mysteria, quæ temporis angustiis breviter tantùm attingere cogimur! Exire vos oportet in primis Confirmandos e spelunca; & quanam spelunca, nisi peccati? quod est verè spelunca, in qua qui latitant, feris ipsis deteriores efficiuntur; hanc speluncam, sacrosancto Pœnitentiæ Sacramento, confessione peccatorum vestrorum sanctissima egrediemini; & hoc est, quod vobis in paternis, quas die Sanctissimo Pentecostes monitionibus dedimus, in primis ob oculos posuimus.

Egressis speluncam subitò aderit vehemens ventus; unde èt in Actis Apostolicis *factus* (dicitur) *repentè de Cælo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis* (b). Projiciebat ventus ille, qui apparuit Eliæ, ad terram folia & arbores: imo erat etiam conterens petras. Scitis, quis sit ventus hic? Non alius certè, quàm Spiritus ille, qui, ut vilitatem, ut inopiam, ut miseriam vestram cognoscatis, efficit. Dicat intra se hodie (obsecro) unusquisque vestrùm, & recogitet corde: me miserum, & creaturis omnibus longè infeliciorem! quam multis repleor quotidie calamitatibus! quot undequaque premor afflictionibus! quot in me miserrimum insurgunt omni ex parte tentationum prælia! Circuit quotidie circa me Dæmon, tamquam Leo rugiens, quærens me devorare; separat me a Deo hypocrita Mundus respectibus suis vanissimis; Caro ad mille impudicitias me allicit semper; quamobrem vèl minimâ contumeliolâ Dei

(a) *III. Regum XIX. v. 11. & seqq.* | (b) *Cap. II. v. 2.*

Dei oblitus, & mei ipſius, omnem exuens humanitatem, in monſtruoſam millies prorumpo iracundiam. Quid? Nonne quævis minima alterius Fœminæ vox me a ſacratiſſimæ Synaxis ſuſceptione retardat? Nonne, cùm in dies deberem ſuſcipere cibum, ne a quopiam hypocrita appeller, detrecto? At ſi fortè Divino Spiritu afflatus, me ad præſtandas eleemoſynas præparo, ſi opum mearum particulam aliquam in Eccleſiæ hujus, aut aliarum inſtaurationem conferre ſtatuo, & ſubdolus Dæmon per conſanguineum aliquem mihi ſuggerat, fruſtra hæc a me cogitari, imo èt perperam filios meos paterna hæreditate privari; nonne Diabolum inſidiatorem libentiùs, quàm Spiritum Sanctum, ſuaſorem audio, & quod pejus eſt, exaudio? O me mortalium omnium longè miſerrimum, viribus omnibus deſtitutum, vèl ipſis infantibus debiliorem, qui conſiſtere nequeunt! Unde ergo mihi aſſumendæ vires, unde poſcendæ? Non aliunde ſanè, niſi a virium, & fortitudinis largitore Paraclito Spiritu, qui mihi eas hodie, Sanctiſſimo Confirmationis Sacramento mediante, largiri paratus eſt. Timet alter continuo timore, ubi non eſt timor, ne pauperes relinquat filios, & hoc timore mille illicitos & uſurarios contractus exercet; nullam habet dierum Feſtorum divino cultui dicatorum rationem. O pernicioſum timorem! o deflendam hominum imbecillitatem! Hæc animo revolvite filii, & humiliamini ſub potenti manu Dei; omnem abjicite animi elationem; fugite ſuperbiam, cui Deus reſiſtit, & amplectimini humilitatem, qua quò vos magis dejicitis, eò propius ad Deum acceditis. Et ecce quòd ventus factus erit in vobis magnus.

Ventum ſubſequetur commotio; cùm, perſpectis diligenter atque examinatis infirmitatibus veſtris, toti in lacrymas diſſoluti in hujuſmodi prorumpetis voces: Heu quàm gravem Deo Optimo Maximo intuli injuriam, omnium hominum ingratiſſimus ego! Ei, qui me ex nihilo creavit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, qui, ut me in Dæmonis poteſtatem prolapſum, & mortis filium effectum in vitam revocaret, Filium ſuum Unigenitum, ſibi coæqualem, mori voluit, & pretioſiſſimo me ejus ſanguine redemit, qui me ad hunc uſque diem peccare non deſinentem, adhuc ſuſtinet, imo èt fovet, quales rependi vices! Continuis eum blaſphemiis laceſſivi, contumeliis & conviciis provocavi; eum non timui, qui vèl oculi nutu me in profundum Inferni poteſt demergere, & omnia ad nihilum redigere: toties me in gratiam recepit; eam tamen toties & ego nihili feci, & contempſi. Ah redeam

tam-

tamdem ad cor, nec abutar ampliùs infinita illa ſua bonitate, ne vaſa in me iræ ſuæ effundat. Et ecce ventum validum ſubſecuta eſt commotio.

Succedet commotioni ardentiſſimus ignis, quo mihi ipſe iraſcar, & non peccabo; odero iniquitates meas, & peccata deteſtabor; me ipſe hic judicabo, ne a Domino judicer; ſancta in me crudelitate deſæviam; acerrimas mihi pœnas infligam; caſtigabo corpus meum, & in ſervitutem redigam; jejuniis & flagellationibus carnem meam rationi ſubditam reddam; & ad me ſic ipſe loquar: Numquam-ne tamdem a ſomno ſurges? Numquam-ne tremendæ Dei juſtitiæ recordaberis? Numquam peccare deſines? An putas, quia ſemper dormiet Dominus, & non evigilabit? Reſipiſce, reſipiſce tamdem, o Anima, & quem tamdiu flagitiis tuis provocaſti, pœnitentiis reconcilia. Et ecce commotionem ſubſecutus eſt ignis urens.

Quem tamdem conſequetur aura ſuavis, qua nihil ſuavius; Spiritus, inquam, Sancti gratia, quæ unica eſt ad Sanctiſſimum Confirmationis Sacramentum, quo ipſius gratiæ confertur augmentum, ùt jam ſæpius diximus, præparatio; ad quam etiam proderit quamplurimum piiſſimus quidam, qui in nobis excitabitur, devotionis affectus, quo Spiritus Sancti adventum deſiderabimus ardentiſſimè; prout èt Sancti illi Apoſtoli per decem continuos dies deſiderantes expectabant promiſſam Paracliti Spiritus miſſionem: quo deſiderio æſtuantes, non ùt quidam faciunt, tumultuosè huc, ne ultimi confirmentur, ſed religioſiſſimè accedant, rebus omnibus vanis & ſecularibus renunciantes, cor ſuum omnibus, quæ Dei non ſunt, expoliantes; & ſic digni erunt, & ritè parati, qui adventantem Spiritum Sanctum, eos theſauris gratiæ ſuæ ditaturum, in cordibus ſuis hoſpitio excipiant.

Sed jam ad ultimum, propoſitum ab initio, caput breviter declarandum accedamus, & examinemus diligenter, qualem eſſe deceat & eorum, qui antehac confirmati fuerunt, & qui hodierna die Sacro Chriſmate ungentur, deinceps converſationem, ac vitæ rationem; quod ſanè ſingulis eſſet quotidie ad vos ſermonibus tractandum, ne multi veſtrûm inutiliter Sanctiſſimum hoc ſuſciperent Sacramentum; jam enim aliàs eos reprehendimus, qui id ſuſcipere negligunt, licèt èt adhuc maximo noſtro cum dolore eſſe intelligamus ætate provectos & ſenes, minimè confirmatos, & multos fortaſſe id negligere, quòd ſecularia negotia & apothecas ſuas pluris, quàm

quàm divinam gratiam faciant. Hæc autem instituendæ vitæ regula ex ipsa Apostolorum post Sanctissimam Pentecostem conversatione comprehenditur; nam qui priùs timidi, post fortes, qui carnales priùs, spirituales postea effecti, mirum in modum ipsi a se ipsis differebant.

Et in primis quidem: *Cœperunt loqui, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis* (*a*); & hoc maximè gratiæ suæ efficaciam cœpit patefacere Spiritus: sic èt qui confirmati sunt, aut erunt, mutent opus & linguam; non jam amplius de terrenis rebus loquantur, non de otiosis, multò minùs de obscœnis, & longè minùs discordias disseminent, aliorum famæ detrahant, serpentinas habeant linguas, quibus & domos, & Civitates evertant; sed linguam in posterum cohibeant; quam non immeritò Sanctissimus Apostolus Jacobus (*b*) navis gubernaculo similem esse perhibuit, quod si non rite gubernetur, naufragium pati necesse sit: linguæ igitur frænum, primum est divinæ gratiæ signum, cùm jam de Deo quis frequentiùs loquitur; non autem, prout consueverat, de contractibus faciendis, de commessationibus, crapulis, & aliis hujusmodi.

Sed quid ultra faciendum? *Erant* Fideles *perseverantes in doctrina Apostolorum* (*c*): o quanti hoc interest! Quid debes, o Confirmate, jam iterum peccare? e corde tuo Spiritum Sanctum novis peccatis expellere? cœlestes illas, quas tibi largitur, divitias perdere? animam tuam, Dæmonis speluncam efficere? *Nolite*, filii, *nolite contristare Spiritum Sanctum, in quo signati estis* (*d*), qui æternæ vobis gloriæ tradidit pignus. Perseverandum est vobis in Fide, & bonis etiam operibus; quid enim juvat, armis accingi, & ad prælium non prodire? Est hoc, abuti misericordiâ Dei; est hoc, Deum irridere; ingratum se, quo nihil est pejus, ostendere. Multi vestrûm, ùt spero, jam intra se ipsos decreverunt, Sacratissimum Eucharistiæ cibum deinceps frequentiùs sumere; vespertinis orationibus, ad quas campanæ signo invitantur, incumbere; docendis pueris rudimenta Christianæ fidei operam navare, & Indulgentiarum thesauros consequi: at cœpisse non satis est; sed perseverate, filii, *in doctrina Apostolorum*.

Et *in fractione panis* (*e*), Sanctissimæ scilicet Eucharistiæ frequentiâ, qua (nemini dubium est) ab initio sancta adeò propagata fuit Ecclesia, cùm omnes quotidie communicarent; qua etiam ratione, & non alia, Ecclesiastica est renovanda disciplina. Et

(*a*) *Act. Apost. II. v. 4.*
(*b*) *Epist. Cathol. III. v. 4.*
(*c*) *Act. Apost. II. v. 42.*
(*d*) *Ad Ephesios IV. v. 30.*
(*e*) *Lucæ XXIV. v. 34.*

Et in oratione tamdem, cui unanimes Apostoli vacabant, ut èt vos hoc identidem facere docerent. Eja igitur, filii, & qui aliàs confirmati fuistis, & in quos nunc, ministerii nostri opera mediante, superveniet Spiritus Sanctus, perseverate in posterum in orationibus, in verbi Dei auditu; *Qui enim ex Deo est, verba Dei audit* (*a*); ad Ecclesias frequenter convenite; ad nobilissimum illud Spiritus Sancti gymnasium, in Ecclesia Sancti Sepulchri (*b*) institutum, accedite, in qua, bis quavis hebdomada, Dominicæ passionis mysteria in memoriam revocantur, & de aliis ad animas vestras ad Deum attrahendas utilissimis agitur. Nec ut animæ vestræ consulatis, aliquam temporalium rerum jacturam vos facere pigeat; sed vivam retinete in vobis Spiritus Sancti gratiam, eamque hisce bonis operibus augere contendite; vires, quas assumitis, retinete, quibus adversùm Dæmonem certetis, ejus suggestionibus resistatis, ut hìc bonis abundetis, & in cœlesti gloria æternis pariter aliquando perfruamini. Amen.

(*a*) *Joann. VIII. v. 47.*

(*b*) Ecclesiæ huic, quæ olim *de Rozone* appellabatur, atque in honorem SS. Trinitatis constructa fuerat anno MXXXI., teste Puricello in Monum. Basil. Ambros. num. CCLXXXVIII., inditum deinde fuit nomen Sancti Sepulchri, ob similitudinem cum Dominico Jerosolymitano Sepulchro, anno MXCIX. e manibus Barbarorum erepto; quemadmodum professus est in suo Diplomate, edito a Puricello loco laudato, Anselmus IV. Mediolani Archiepiscopus, qui eam restauratam consecravit anno MC., ac pluribus Privilegiis ornavit. Ad conciliandam Civium pietatem, distributa fuerunt in superioribus, & subterraneis Sacellis, Christi Domini Passionis mysteria, Figuris ligno, aut cocto latere expressis; utque decentior iisdem cultus haberetur, teste Calcho in Historiæ Mediol. Libro VI. designati fuere quatuor Canonici, atque octo Monachi, qui diu noctuque Deo ibidem laudes persolverent; sed dilapsis, vitio temporum, prædiorum redditibus, quibus alebatur religiosus hic Cœtus, vix ejusdem memoria superfuit. Non defuere tamen pii alii Sacerdotes, qui servandæ hujus Loci Religioni vigiles excubarent, eosque piis officiis occupatos Sanctus Carolus Borromeus, Mediolanum primò delatus, invênit, cùm reliquus ferme Clerus ad profanæ vitæ licentiam descivisset. Itaque fovit illos quamplurimum, atque ad ferventiùs identidem excolenda hæc antiquæ Mediolanensium pietatis vestigia excitavit, ut in ejusdem vita Lib. V. Cap. IV. narrat Glussianus. Cepit demum consilium instituendi Oblatorum Congregationem, qui veluti membra capiti suo conjuncta, Archiepiscopum in Dominici Gregis cura adjuvarent, & obedientiæ voto eidem obstricti, se se paratos exhiberent ad intrepidè obeundum quidquid ad Dei gloriam amplificandam, procurandamque animarum salutem illis foret injunctum. Eâdem verò erectâ anno MDLXXVIII. die XVI. Augusti, assignavit sacris hisce Ministris, tanquam basim totius Congregationis, Ædem Sancti Sepulchri, tum quia umbilicus Civitatis esset, tum ob Loci venerationem, in quo Religio & Pietas, inter Mediolanensis Cleri populique corruptelas, fixum sibi semper domicilium tenuerat, ut in secundo Institutionum ad Oblatos pertinentium Libro, Cap. II., Carolus idem scriptum reliquit. Quanta autem sanctimoniæ atque integritatis laude, quantoque animarum fructu Ecclesiam hanc tunc excoleret Ecclesiasticus hic Ordo, non alius veracior nobiliorve testis afferri potest, quàm Carolus ipse, qui publicè hac Concione perorans, illam insigni elogio vocavit, *nobilissimum Spiritus Sancti Gymnasium*. Neque exinde unquam deferbuit primævus fervor; ex hujus enim sacri Sodalitii gremio seliguntur Mediolanensis Vineæ cultores, qui Christianæ Doctrinæ frequentiam in Scholis, & Sanctæ Crucis per compita erectæ venerationem, generalis Præfecturæ auctoritate promoveant; Pœnitentium Confessiones quotidie excipiant; Literas, & pietatem in Seminariis, & Collegiis ecclesiasticam juventutem edoceant; universam Diœcesim sacris Missionibus quotannis perlustrent; initiandos Sacris Ordinibus Clericos spiritualibus exercitationibus, ac documentis erudiant; pia denique Officia omnia, Oblatis demandata a S. Carolo Conditore, ut inducta ab ipso in Clerum, & populum disciplina vividior floreret, integerrime adimpleant.

HOMILIA XVI.

AD CONFIRMANDOS

Habita in Basilica Apostolorum Mediolani

Feria IV. post Pentecostem

ANNO MDLXXXIII. I. JUNII.



Dsumus hoc in loco hodie, dilectissimi in Domino filii, ut sacrum vobis Chrismatis Sacramentum ministrantes confirmemini; hoc quippe Confirmationis nomine nuncupatur a Christo Domino, & Salvatore nostro, ad hunc præcipuum finem institutum, ut homines cœlestibus Spiritus Sancti donis impleantur, quibus fortiores efficiantur, & vires recipiant majores, quò liberiùs Christum Dominum corde, ore, atque etiam opere profiteantur. Ut autem quæcumque breviter hodierno die ad vos verba facturi sumus, paucis comprehendamus: qualiter sitis ad dignè cœlestia hæc dona consequenda præparandi; tum, iis acquisitis, quæ sit vobis retinenda vitæ ratio, dicemus: id verò utrumque ex unica dumtaxat consideratione non incommodè eliciemus, ut, & qui confirmandi sunt, & qui jam aliàs hoc Sacramento perun- cti fuere, ejusdem immensam dignitatem, præstantiam, atque nobilitatem, cœlestes in eo inclusos divitiarum thesauros ac gratias, & nunc, & in reliqua omni vita sæpe diligentiùs perpendant.

Ac primùm quidem animadvertat homo, quò, cùm huc a nobis venit ungendus, tendat, quid demum sit consecuturus. An non qui vacuus fuerat, huc venit implendus? Et quanam re? Mille profectò donis. Et quibus donis? Spiritus Sancti. Dein potest-ne vestrûm quispiam majorem hac dignitatem animo concipere, quàm dare locum in anima sua Spiritui Sancto? Et quinam sumus nos, quorum tantus Hospes mansione sua honestare dignetur hospitium?

Ani-

Animam hanc toties mille ſcelerum maculis coinquinatam, impudicitiis pollutam, flagitiis deformatam intrare? Si quis Rex, aut princeps Vir cujuſvis veſtrûm domum eſſet intraturus, qua, creditis, diligentiâ quilibet totam domum everreret, mundaret, expoliret, variis coloribus pingeret, aulæis ornaret, curaret denique, ne quid inibi eſſet, quod tanti viri oculos aliqua ex parte poſſet offendere? Ah filii, venturus eſt in vos homo ne? Rex ne? Princeps ne? Hominum Creator, Rex Regum, Principum Dominus, Deus ipſe; & eſt quiſpiam veſtrûm, quem pigeat ornandæ animæ ſuæ operam dare? lucri, aut mercaturæ jacturam aliquam facere? orationibus incumbere? officinas, & apothecas deſerere? quaſi verò non hoc negotiorum ſit omnium potiſſimum, quaſi non pluris facienda ſit anima, quàm corpus? Si pro temporalibus lucris tam multa ſubitis pericula, tam multos fertis labores, quid vos tamdem pro ſpiritualibus theſauris, ſi ſapitis, facere convenit, quorum comparatione ſunt illa veluti lutum, ſi puriſſimo auro conferatur? Facit hic Spiritus Sanctus divinos homines, & in humana natura pluſquam homines. O ſummam nobilitatem, quam ſi omnes diligenter crebrò examinaremus, quantâ ſedulitate ad theſaurum hunc conſequendum nos ipſos diſponeremus, & acquiſitum ſervare ſtuderemus! Facit idem Spiritus ex inimicis nos Deo amicos, cùm a peccatis, mediâ ſacroſanctâ Pœnitentiâ, reſurgentes, a morte redimus in vitam, & deperditam Dei gratiam recuperamus. Sed quid dico amicos? Facit etiam filios; & ſi filios, fratres Chriſti: *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti* (a). In hoc Spiritu, filii, ùt Sanctus ſcribit Apoſtolus, *accepimus ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater* (b). Et vocare Deum Patrem, non eſt dignis omnibus rebus longè præſtantius? Quid cetera, huic uni dignitati collata, ſunt? Nihil profectò; majori namque nos inſignire nobilitate, majoribus decorare titulis minimè poterat. Scitis, filii, quid ſit anima veſtra? Eſt domus, eſt manſio, eſt templum, (ùt idem ait Apoſtolus) Spiritus Sancti: *Membra veſtra Templum ſunt Spiritus Sancti* (c); & vos facietis ea membra peccati? Quibus digni non ſunt ſuppliciis, quas non merentur pœnas, qui hujuſmodi polluunt Templum, atque profanant? Sit ergo primus diſpoſitionis ad Sanctum hoc Sacramentum gradus, animam purgare, conſcientiæ ſordes abſtergere, gratiam conſequi. Propior alter erit gradus, ſi recipientes ſacroſan-

(a) *Ad Roman. VIII. v.* 17.
(b) *Ibid. v.* 15.
(c) *I. ad Corinth. VI. v.* 19.

ctum hoc munus, ungente vos Dei Ministro sacro Chrismatis oleo, vobiscum ita tunc temporis colloquamini: Quid hìc ego jam facio? Ubi sum? Quid recipio? Obviam procedo Creatori meo Deo, coram ejus Ministro visibili; ipsi verò Spiritui invisibili adsto. Ille me ungit exteriùs, hic mentem donis replet interiùs. Qualis domum meam hospes ingreditur? Quid ei offeram, qui bonorum meorum non indiget, nisi me ipsum, nisi animam meam? Hìc jam fortis efficior; non jam in posterum, nisi meâ culpâ, debilis ero. Hæc si vobiscum tacito cordis affectu discusseritis, paratos vos, mihi credite, cœlestis adveniens Hospes inveniet.

Hac ipsa meditatione, qualiter susceptum Mysterium sit a vobis postea conservandum, qualiter vivendum, facilè colligetis. Ac in primis se se multi vestrûm his verbis increpabunt: O me infelicem, qui tam longo tempore divitiis hisce carere neglexi! qui tamdiu eas consequi distuli! qui nondum in Christi sum Fide confirmatus! Et hoc fortè, ne, secularibus negotiis ad modicum tempus prætermissis, me ad Ecclesiam conferrem. Quàm magna fuit Dei summi bonitas, quòd me in socordiæ hujus ac execrandæ negligentiæ pœnam, absque hoc Sanctissimo Sacramento decedere non permiserit! At postquam me tamdiu renitentem expectavit, & cœlestem hunc thesaurum adhuc consequi concessit; qua eum cura, qua solicitudine custodire debeo! Quam o mulieres in monilibus, ac gemmis vestris conservandis diligentiam adhibetis? Quot clavibus in abditissimis locis occluditis, ne furibus pateant, aut prædonibus? Et vos o viri pecunias vestras, & aurum ut conservetis, quid non facitis? Quid non ergo faciam èt ego (subdat quilibet vestrûm), ne tantum deperdam thesaurum? Si non plus illis, utinam saltem, quantum illi, faciam; nam èt in sacris literis Spiritus Sanctus: *Si quæsieris*, inquit, *sapientiam*, *quasi pecuniam*, *tunc scientiam Dei invenies* (*a*). Et nos, filii, quàm parvì facimus infinita hæc Dei munera; quàm parva res nos a divina abstrahit gratia; quàm facilè in mortale peccatum ruimus, quo & Dei filiationem amittimus, qua jus acquisieramus ad cœleste Regnum, & tantis nos ipsos divitiis privamus, & in tam magnas decidimus calamitates! Cur ergo nos, Sacramento hoc Confirmationis, quod est armatura spiritualis, armavit Christus, si cùm primum suscipiendum est prælium, ineundum certamen, vix conspectis adversariorum signis, armis uti recusamus, humi prosternimur, in terram nos ipsi dejicimus? Vix insurgit

(*a*) *Proverb. II. v. 4. & 5.*

insurgit in multos nostrûm Dæmon, ac statim tentationibus ejus consentimus, suggestionibus acquiescimus, & multoties plus, quàm suggerit, facimus. Continua *est militia*, Christiani *hominis vita* (*a*): nam omni ex parte, miserrima hæc nostra anima oppugnatur. Insurgunt in eam, numquam non vigilantes ad ejus perditionem Dæmones; insurgit Mundus; insurgit Caro; insurgunt perversæ malorum hominum societates & colloquia; insurgunt convitiantium nobis contumeliæ, adulantium blanditiæ; omnia denique in nos conspirasse videntur, & in necem nostram: & Sacramenti hujus Sanctissimi auxilium non implorabimus? collatas in eo nobis vires non accipiemus? armis, nobis in eo concessis, non utemur?

Agnoscamus hæc omnia, dilectissimi filii, & ea agnoscentes, tanti, quanti merentur, faciamus. Postponamus iis temporalia omnia; millies potius quotidie mori malimus, quàm vèl uni mortali peccato consentire, cetera omnia nihili æstimemus, ut Dei gratiam lucrifaciamus, cujus vèl exiguæ scintillæ totus Mundus conferri minimè potest, quam Dei filius Dominus Noster Jesus Christus pretiosissimo suo Sanguine nobis emit, quam ut nobis consequeretur, e Cœlis descendit, homo fieri voluit, trigintatrium annorum spatio omnibus infirmitatibus nostris subdi, flagellari, conspui, spinis coronari, cruci demum affigi, & mori inter latrones non est dedignatus, ac exanguis remanere. Si divina illa Sapientia, quæ nihil temerè, casuve agit, tam caro thesaurum hunc nobis pretio comparavit, qua nos cum diligentiâ non perdere, oportet ut studeamus?

Hac igitur dignitatis atque præstantiæ tanti doni meditatione, vos ipsos ad ejus receptionem instruite, & post ejus receptionem, vitam vestram instituite, & jugibus piis operibus vestris multiplicate; alacriter contra hostes omnes pugnate, ut tamdem victoriam consequamini. Studete, Spiritus Sancti donis & gratiis abundare, ut in cœlesti patria abundetis èt gloriâ, quæ iis corresspondeat; quod vobis concedat & nobis Paraclitus Spiritus Sanctus. Amen.

HO-

(*a*) *Job VII. v.* 1.

HOMILIA XVII.

AD CONFIRMANDOS

Habita in Ecclesia Parochiali (a) S. Babylæ Mediolani

Feria V. post Pentecostem

ANNO MDLXXXIII. II. JUNII.



UIS summam Dei in humanum genus benevolentiam, quis infinitam ejus erga nos caritatem, animo valeat umquam excogitare? Est, dilectissimæ Animæ, summum bonum Deus: & quia de natura boni est, sui ipsius esse communicativum; idcirco qui summè est bonus, summè se ipsum creaturis omnibus pro earum captu communicavit. At hominibus, quàm semper optavit bona sua communicare is, *deliciæ cujus sunt esse cum filiis hominum* (b)! Adeò nos cœlestibus suis thesauris expetit ditare, ut magis ille, quàm nos ipsi, nostram salutem desideret: ob id, quàm innumera a Mundi creatione adhibuit media? quot usus est instrumentis? quando Spiritum Sanctum in homines effundere umquam cessavit? ut de eo meritò Regius Propheta vaticinatus, eodem Spiritu afflante, dixerit: *Fluminis impetus lætificat Civitatem Dei* (c). O flumen verè locupletissimum, utpote a Patre, & Filio ab æterno fluens, atque

(a) S. Babylæ Templum, olim appellatum fuit *Concilium Sanctorum*, seu *Omnes Sancti*, ùt legitur in Historia Ottonis Morenæ, qui ad annum MCLVIII. narrat, Federicum Ænobarbum juxta Ecclesiam illam castrameratum fuisse. Tempore Sancti Caroli, Parœciæ tantùm nomen habebat; verùm anno MDLXXXVIII. erectum ibidem fuit Canonicorum Collegium, constitutis honestis redditibus a Hieronyma Mazenta, Matrona religiosissima, quod subinde auctoritate sua confirmavit Sixtus V. Pont. Max. Gaspar verò Vicecomes Archiepiscopus Mediol. solemni prævia supplicatione illud instituit, quemadmodum docet lapis positus prope majorem Aram ejusdem Templi.

(b) *Proverb. VIII. v. 31.*

(c) *Psalm. XLV. v. 5.*

que procedens aquis abundantiſſimum; impetu maximo, torrentis inſtar, cordibus hominum illabens; cùm *ubi vis ſpires, & neſciant homines, unde venias, aut quò vadas* (*a*)! Hoc fortè flumen eſt, quod ſervo Dei ac prædilecto diſcipulo Joanni Evangeliſtæ in revelationum libro manifeſtavit Angelus Dei (*b*), quod, ùt cryſtallum ſplendens, a ſede egreditur Agni, utramque alluens ripam, ac arborem copioſiſſimè irrigans, quæ ſuaviſſimos ſingulis profert menſibus fructus; nam irrigat Spiritus hic & triumphantis Eccleſiæ ripam, & militantis; ejus namque munere, qui glorioſi triumphant, gloriâ, qui verò anxii militant, gratiâ, veluti rapidiſſimo flumine, madefiunt, ac quotidianos percipiunt fructus uberrimos. Sacramentum Chriſmatis Sancti, quod hodie, Deo bene juvante, vobis miniſtraturi acceſſimus, præcipuum eſt medium ac veluti inſtrumentum, quo hominum cordibus cum munerum ſuorum atque donorum plenitudine cœleſtis hic illabitur Spiritus: ob id namque Salvator Noſter Chriſtus Jeſus Dominus, ex cujus latere in Cruce pendentis cetera omnia profluxerunt Sacramenta, & iſtud inſtituit, & ad hunc potiſſimum finem, ut pauperrimos homines atque *inopes a terra ſuſcitans, & de ſtercore erigens pauperes* (*c*), cœleſtibus ſuis ditaret, atque impleret bonis; ut ſpiritu eos fortitudinis armaret, iiſque accingeret armis, quibus, tam multis iiſque, acerrimis, reſiſtere poſſent inimicis, nempe Dæmoni, Mundo, & Carni; ut eos fortes effectos confirmaret in Fide, quò non modò Chriſti nomen minimè erubeſcerent, ſed èt ipſum confiterentur coram hominibus, ejuſque fidem prompti & corde, & opere, & verbo profiterentur, nulliuſque vultum extimeſcerent; ipſi denique morti, pro ejus ſe nominis gloria, lubenti animo exponerent. Vultis videre, dilectiſſimi, quàm noſtrûm ſitiat Chriſtus Redemptor noſter ſalutem? Audite millies eum in ſacris literis vos compellantem, atque ad ſe ipſum allicientem; *Omnes*, quodam inquit in loco, *ſitientes venite ad aquas, properate, emite abſque argento, abſque ulla commutatione* (*d*). Bone Deus! Vis, te tuaque dona emamus, & argentum non habentibus aut aliud, ea ſine ulla argenti alteriuſque commutationis oblatione, proponis? Quomodo argentum non habentes ememus? Aut quomodo ſine pretio accipientes, emiſſe dicemur? Voluntate noſtra, gratiâ tuâ adjuta, emeris Chriſte,

(*a*) *Joannis III. v.* 8.
(*b*) *Apocal. IV. v.* 6.
(*c*) *Pſalm. CXII. v.* 7.
(*d*) *Iſaiæ LV. v.* 1.

Christe, emitur Paraclitus Spiritus tuus; qui enim nos sine nobis fecisti, licèt *bonorum nostrorum minimè egeas* (*a*), non vis tamen salvare nos sine nobis: & licèt a nobis, tamquam ex nobis, nihil possimus, sublimi tamen gratiæ tuæ nos prævenientis (*auxilio*), concurramus oportet, ac quantum est in nobis faciamus. Te ipsum ergo te ipso nobis vendis; tu es Spiritus tui pretium; gratiâ ipsâ tuâ gratiæ augmentum, quod in sacrosancto Confirmationis Sacramento confers, promeremur & comparamus, atque ad id nos recipiendum accingimus. Salutare ergo Pœnitentiæ Sacramentum, ac humilis & dolens criminum nostrorum confessio, aut firmum saltem Confessionis propositum, prævia est Sacrosancti Chrismatis præparatio.

Invitat dulcissimus illis, quæ a nobis audistis filii, verbis, ad se omnes Dominus Deus; & cur, nisi ut omnes Spiritu suo repleat, ut æternis ditet thesauris? Proh scelus! O deplorandam hominum ignaviam atque miseriam! Divinas quidam voces tam parvi faciunt, ut vèl minimo lucro, ne apothecas per paucissimas horas occlusas retineant, ne solidi unius jacturam faciant, ob solam nonnulli in bono opere accidiam atque torporem, ad divina percipienda munera accedere negligant, eaque veluti nullius momenti arbitrentur, cùm iis vèl minima, eaque fluxa & caduca, quæ sequentibus se Mundus proponit, anteferant. O infelices hujusmodi homines; quàm, si scirent quid perdant, se ipsos deflerent! Spiritum Sanctum perdere; ejus consecutionem tamdiu differre; cœlestia dona contemnere; a Deo vocatum non accurrere, o magna, & deploranda calamitas! Mihi credite, nihil hisce hominibus aut dici, aut excogitari potest infelicius.

Dicam hoc etiam, ad hujusmodi torpentium hominum dedecus ac confusionem. Superioribus annis, me ad hujusce Mediolanensis Diœcesis fines invisendos contuli, ubi inculti homines in Montibus degentes existunt, ad quos per multas annorum decades, nulla fuit Archiepiscoporum hujus Ecclesiæ profectio; & mirum fuit, quantam in eis admirati simus pietatem ac religionem, quanto utantur studio ac diligentia in Sanctissimo præsertim hoc Confirmationis Sacramento suscipiendo; cùm vèl nullum inter eos repererimus Adultum, qui hoc non esset Sanctissimo munitus Sacramento. *Surgent hi*, filii Mediolanenses quibus tam abundè sua Deus communicat dona, quibus semper

(*a*) *Psalm. XV. v. 2.*

per Dei Miniſtri adſtant, *& condemnabunt vos in judicio* (*a*); quia vobis in propria procuranda ſalute longè ſunt diligentiores. Et ignoratis fortè, quàm grave ſit, veſtra hæc in bene agendo negligentia, delictum? An neſcitis, quia plerumque etiam in mortalem deſinit culpam (*b*)? cùm in tam multis, iiſque maximis conſtituti periculis, tot hoſtium expoſiti inſultibus, oblata vobis ultro arma reſpuitis, & armari negligentes occumbitis; quia enim amatis periculum, peritis in illo.

Dividit, filii, fidelibus ſuis innumeras hic Spiritus gratias, quod rectè aquæ exemplo deſignatur; ſicut enim aqua, multa & varia humanis corporibus præbet emolumenta; ita, & multò plura atque majora, animabus Spiritus Sanctus. Abluit in primis corporum ſordes aqua; abluit deteriores animarum ſordes, nempe peccata, Spiritus Sanctus, aquâ pœnitentiæ ſalutari, qua omnes exterguntur maculæ, ac candidi fiunt Nazaræi Domini. Refrigerat aqua corpus: refrigerat longè uberiùs animam Spiritus Sanctus; quàm magnus enim eſt libidinis ardor, quàm magnus avaritiæ, quàm magnus ambitûs, quàm magnus concupiſcentiæ? Accedit Spiritus Sancti gratia, veluti nubes, quæ inter Solem & terram poſita, eam obumbrando, ſcelerum illorum ac perverſarum animi affectionum temperat ardorem. Aqua ſitim corporis extinguit; ſola Spiritus Sancti gratia ſitim extinguit animæ. Putaſ-ne, avare, quia valeas auro ſitim extinguere tuam? Erras inſane, erras; *quò* enim *plus ſunt potæ*, *plus ſitiuntur aquæ*, & *creſcit amor nummi*, *quantum ipſa pecunia creſcit*. Exiſtimas, ſuperbe, quia ſpiritus tui ſitim poſſis fumis hiſce, & vento ſimilibus Mundi honoribus, aliqua ex parte ſedare? Ignoras profectò, quid velis tu adoleſcens, qui voluptatum immergeris luto; putas, quia libidinum tuarum ſitim libidinoſis poſſis extinguere actionibus; & tamen provocas magis. Ah quantum errant, qui cordis & animi ſui ſitim aliâ aquâ, quàm Spiritus Sancti gratiâ, quàm Dei fruitione, extinguere ſe poſſe exiſtimant; infinita enim appetit animus noſter, nec niſi infinito Deo ſatiari umquam poterit. Videte quantùm abeſt, ut auro, ut libidinibus, ut honoribus, ut agris & prædiis (quibus tanto ſtudio homines invigilant acquirendis, quaſi ipſi ſoli, ùt Iſaias ait (*c*), habitaturi

(*a*) *Lucæ XI. v.* 32.
(*b*) Vide Sanctum Thomam tertia Parte, quæſt. LXXII. art. 1. ad 3. ubi agit de neceſſitate Confirmationis ad ſalutem.

(*c*) In margine MS. additur nota. *Vide locum: veh qui jungitis agrum agro &c.* Iſaiæ V. v. 8.

turi ſint terram) ſatiari poſſit: ſatiabitur tunc, filii, animus noſter, cùm apparuerit gloria Dei; refocillatur èt hìc, atque maximè ſitis reſtinguitur futuræ gloriæ, prævià gratià Dei; fecit enim nos Dominus ad ſe, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in eo.

Non poſſum hìc, filii, eorum non deflere dementiam, qui alias quærunt, quàm Spiritus Sancti, aquas; quos congruè deplorat & admiratur Propheta dicens: *Obſtupeſcite Cœli ſuper hoc, & deſolamini portæ ejus; duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ non valent continere aquas* (*a*). Ciſternæ hujuſmodi ſunt aurum, o avari; caro libidinoſi; honores ſuperbi; vindictæ & ſanguinis effuſio iracundi, quæ bibere volentes, duo mala feciſtis o miſeri: Deum veſtrum, fontem aquæ vivæ, quæ ſola veſtram poteſt extinguere ſitim, derelinquentes, & haſce vobis diſſipatas ciſternas effodientes. Bibite cariſſimi, bibite ex aqua, quam vobis exhibet Deus; ipſe enim ſolus, gratià ſuà, Spiritu hoc ſuo, quem hodie vobis communicaturus eſt, ſitim, ſi velitis, extinguit; *Qui* namque *biberit ex hac aqua, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*b*): Et rectè *aquæ vivæ*; nam ſicut id habet aqua proprium, ut quantum deſcendit, tantum itidem èt aſcendat; ſic èt Spiritus Dei, qui in die ſancto Pentecoſtes præcipuè, & hodie quoque deſcendit de Cœlo, hoc potiſſimum præſtat, quòd corda noſtra, niſi obſtemus, rapit in Cœlum; opera noſtra, quæ in ſe aliàs aut nullius, aut parvi eſſent valoris, adeò reddit efficacia, ut vèl ſola aquæ frigidæ gutta, pro Dei nomine pauperi elargita, gratiæ Dei aſſociata, non ſinè ampliſſima in Cœlis ſit futura mercede. O Spiritus Divini ſublimitatem, quæ infima noſtra tam ſublimiter extollit! O vim inexplicabilem, quæ adeò fortes ac Dæmoni terribiles (debiliſſimos aliàs atque infirmos) homines efficit! Numquid ex horum Spiritus effectuum conſideratione (ut alios, & quidem innumeros, brevitati conſulentes, ſilentio prætereamus) non eritis, Animæ dilectiſſimæ, hodie ſatis ſuperque quibuſdam veluti ſtimulis excitandæ, ad Sanctiſſimum hoc ſuſcipiendum Confirmationis Sacramentum & gratiæ augmentum, ac ipſum Spiritum Sanctum in eo Sacramento ſuſceptum, quanta maxima poteritis ſolicitudine conſervandum?

Sed utinam fontem hunc, qui ſunt hodie confirmandi, & qui

(*a*) *Jeremiæ II. v. 12. & ſeq.*

(*b*) *Joannis VII. v. 38.*

qui jam confirmati fuerunt, gustantes, alias in posterum aquas exhorreant, & acquisitæ Spiritus Sancti gratiæ retinendæ insudent! Scitis id quomodo? Audite Apostolum Paulum Sancto Spiritu plenum: *Si spiritu vivimus, spiritu èt ambulemus* (a); spiritu facta carnis mortificemus; longè faciamus a nobis opera carnis, immunditias, impudicitias, avaritias, sordes omnes; caritate abundemus, gaudeamus in Domino, pacis studia colamus, in adversis patientiam, in prosperis modestiam adhibeamus, in bono longanimes; in omnibus pii, benigni, mansueti simus; fidem retineamus; nota sit omnibus hominibus modestia nostra; castè & piè vivamus; fructus Sancti Spiritus percipiamus: hi sunt enim primum acquisitæ Spiritus Sancti gratiæ testimonium, de quibus longiorem aliàs, Deo dante, habebimus sermonem. His si hìc per ejusdem Spiritus gratiam abundaverimus, abundabimus èt gloriâ in Cœlis, qua nobis ipse frui concedat. Amen.



(a) *Ad Galatas V. v. 25.*

HOMILIA XVIII.

AD CONFIRMANDOS

Habita in Ecclesia Collegiata Sanctæ Mariæ Scalarum Mediolani

Feria VI. post Pentecostem

ANNO MDLXXXIII. III. JUNII MANE.



UTINAM, dilectissimæ Animæ, possemus sedula cogitatione, mentis oculis, nobilissimum illud mysterium Sacrosanctæ Pentecostes, cujus memoriam per hos dies recolit Sancta Mater Ecclesia, intueri; linguas illas igneas e Cœlo super Apostolos descendentes, plenitudinem illam donorum, quibus cumulati fuerunt, videre: quàm magnus corda nostra ardor incenderet, quàm omnes inflammaremur atque excitaremur ad recognoscendum donum illud, eo die Sanctis Apostolis factum, & in illis Matri nostræ, Christi Sponsæ, Ecclesiæ Sanctæ! Est, quòd hodie ministerio nostro estis Chrismatis Sacramentum recepturi, magna quidem illius donorum plenitudinis participatio, qua etsi non eo gradu atque mensura, qua illi, maxima tamen atque uberrima estis munera percepturi. Vim enim atque robur offert vobis hodie Spiritus Sanctus, quo omnia possitis Diaboli ignea tela retundere (*a*), quo ejus suggestiones rejicere, tentationes illudere, Mundum vincere, Carnem cum omnibus concupiscentiis suis domare, liberè Christum, ejusque Sanctissimum nomen coram omnibus Gentibus & Principibus confiteri, vitam denique Christiano homine dignam profiteri; quibus viribus quove animi robore, quis non videat quàm omnes homines indigeant, suapte natura, & peccati vitio

(*a*) *Ad Ephes. VI. v. 16.*

vitio debilissimi? Orabat servus ille Dei Propheta (a) hostium agminibus circumdatus, ut ejus Deus oculos aperire dignaretur; quod èt, cùm orasset, obtinuit; ac statim ùt vidit, se inter Assyriorum exercitus stare conspexit, inimicis undequaque obsessum. O utinam aperiat hodie (qui olim cæci nati oculos mirabili Divinitatis suæ potentiâ aperuit) èt oculos vestros, ut videntes videatis, &, quæ visibiliter extrinsecus erga vos fient, conspicientes, quid invisibiliter Spiritus Sanctus operetur in vobis, intelligatis. Ungam vestras ipse frontes Sacro Chrismatis oleo, sacris illis adhibitis verbis unicuique vestrûm: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ut replearis eodem Spiritu Sancto, & habeas vitam æternam. Interiùs verò unget animas vestras oleo consolationis Spiritus consolator; intellectum illustrabit, ut quæ agenda, quæ pariter fugienda sint, sapientiæ & intellectus donis agnoscatis; mentem ad ea inflammabit; animæ gratiam, quam (ùt sæpius jam a me audistis) prærequirit, augebit; totum hominem corroborabit, ac fortem Dæmonibusque tremendum efficiet; e pauperibus denique vos ditissimos faciet, ut jam in posterum nèmo vestrûm tantis cumulatus thesauris egenus, nisi ipse voluerit, faciente id peccato, sit nuncupandus. Felices illos, qui mentis oculis hæc omnia diligenter intueri poterunt, quamvis sensui non pateant! Hæc enim prima erit ad Spiritum Sanctum recipiendum dispositio; hoc primum præparationum omnium fundamentum, diligenter videlicet examinare, quid, dum externè nos Prælatus inungit, a Deo intra nos agatur; nam qui hæc sedulò perpenderint, ii se tanto hospiti, ùt par est, ornatos offerent; eidem obviam procedent; qua decet religione, animique pietate, Divinam illam reverebuntur advenientis Spiritus majestatem; ardentissimo pariter ardebunt desiderio, ut tot eis dona Deus impertiat. Sed ante hæc omnia, ùt sæpe jam diximus, puris huc mentibus accedent, animas suas pœnitentiæ scopis everrent, lacrymis peccatorum maculas omnes abluent atque extergent, ut Dei amici fiant, ejusque gratiam assequantur, qua postea ejusdem gratiæ promereantur & suscipiant incrementum.

Confirmatos vos, filii videte, obsecro, qualiter ambulare oporteat, qualiter conversari, quam vitam ducere, quid agere. Considerandа est vobis perpetuò inexcogitabilis Dei bonitas, infinita ejus caritas atque misericordia. Videte, quàm multis mediis ab ipsius


(a) *IV. Reg. VI. v. 17.*

ipſius Mundi initio, omnibus qui umquam fuerunt hominibus, divitias ſuas communicare ſategerit; noviſſimè verò poſt. Unigeniti Filii ſui incarnationem, quantum adhibuerit ſtudium, ut omnibus ſpiritualibus neceſſitatibus noſtris abundè ſuccurreretur. Inde ſeptem illæ Sacramentorum veluti ampliſſimæ officinæ, e Chriſti ſacratiſſimo latere profluxerunt, in quibus quidquid a nobis deſiderari poteſt, inveniatur, idque ſine pretio & gratis acquirere poſſimus; regenerandis enim nobis Baptiſmi officina eſt conſtituta, qua ex filiis iræ, Dei filii, cœleſtis Regni cives & hæredes, Chriſti fratres efficimur. Quoniam verò in ea, quam tunc acquirimus, gratia, non diu (quæ noſtra eſt deflenda calamitas) perſeveramus; ſed ſanam effectam animam noſtram variis quotidie peccatorum telis ſauciamus, videte, quàm amplam apothecam reliquerit Chriſtus Dei Filius, qua ſanandis omnibus hujuſmodi infirmitatibus medicina conferatur, Pœnitentiæ Sacramentum. At quia jejuni diu conſiſtere non poſſemus, & inediâ conficeremur, o quàm ſuavem nobis reliquit panem ſuperſubſtantialem! Corpus ſcilicet ſuum ſacratiſſimum & Sanguinem, verè panem Angelorum, cujus viſione ſola & ipſi, & cœleſtes omnes Incolæ quia fruuntur, beati ſunt & nominantur: & hic panis eſt auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum. Et quoniam huic conficiendo pani, atque ceteris Eccleſiaſticis muneribus peragendis, debiti aſſignandi erant Miniſtri, & per quos (a) hi conſtituerentur, en aliam nobiliſſimam Sacri Ordinis officinam, qua hujuſmodi confertur certis quibuſdam Viris auctoritas. Generandis filiis atque educandis, & in Dei ſervos alendis, Matrimonium eſt inſtitutum. Ne autem vita decedentes animum deſponderemus, ſed Dæmoni invicta fortitudine reſiſteremus, ac ſi quæ eſſent in nobis leves peccatorum infirmitates aut maculæ, ſanarentur, Extremæ Unctionis eſt conſtitutum miniſterium. Sed quia dum vivimus, ſola dumtaxat Baptiſmali gratia muniti, infantes tamen adhuc eſſemus & debiles, ac gerendæ acerrimæ militiæ, quæ vita noſtra eſt, eſſemus inepti (o ſummam Dei bonitatem!) ſacro Chriſmatis Sacramento corroboramur & confirmamur, ac viri evadimus fortes. Videte, fratres, dona, conſiderate munera, & tam amplo eorum Largitori gratias pro viribus reddite, quando vos aliud rependere nec ejus immenſitas, nec veſtra permittit infirmitas. O Anima Chriſtiana, cave, ne ſtatum tuum Ezechiel ille ſanctiſſimus deploret, ne ingrati-

(a) Nempe Epiſcopos.

gratitudinem defleat tuam. Tu, quæ Dei es ornata similitudine, quæ ex nihilo creata, ceteris omnibus Creaturis post Angelos es effecta nobilior, Christi Filii Dei pretiosissimo Sanguine redempta, particeps beatitudinis facta, toties sanctificata, tot instructa remediis, tot armis accincta, quibus potentissimos possis hostes eludere, tot auxiliis adjuta, quando tamdem desines peccare? quando a somno lethali expergesies? quando velle incipies, ac deliberata voluntate tot tibi a Deo donatis uti præsidiis? O miram ingratitudinem tuam! Tot pro te pertulit Christus; expendit, & superexpendit se ipsum; vitam ac totum sanguinem profudit, ut te æterno Patri reconciliaret: Et tu ob minimum lucrum, ob contumeliosum verbum, ob vanum Mundi respectum ab eo divelleris, cui tam pretioso es conjuncta sanguine? Mementote sæpe filii, & dum oratis recordamini, quid inter cetera hodie receperitis; multum enim debere vos scitote ei, a quo tam multum accepistis; qui tam amplas vobis largitus est vires, quibus in posterum in novitate spiritus ambuletis. Hoc est enim Sole ipso clarius, maximam esse divinæ gratiæ efficaciam, eamque talem, ut, eà adjuti, omnia possimus. Unde erimus profectò inexcusabiles, filii, si peccaverimus; abundè enim nobis succurrit Dominus Deus, ejusque virtute omnes superare possumus tentationes, (nisi nobis ipsi desimus) si ei ex parte nostra correspondeamus. Fortis quidem est Dæmon: at quantò est eo fortior Deus? quàm eos reddit fortes, qui de ejus participant gratia? Sed attendite diligenter, ne in vanum eam recipiatis, ne exhibita arma non induatis, ne præstitis non utamini viribus; quantò enim majora receperitis, eò majores, nisi iis rectè usi fueritis, dabitis pœnas. Quid non debemus omnes, o filii, Regi nostro Christo, qui tot nobis donavit, qui tot pro nobis sustinuit? Hæc sæpe ponderate, & facilè omnia (mihi credite) superabitis. At pauper sum (inquiet aliquis vestrûm), labore mihi victum comparem necesse est: cur non igitur, diebus etiam feriatis laborem, cùm iisdem comedere cogar; cur non etiam, quò commodiùs vitam traduceam, contractus aliquos exerceam, licèt illicitos? Ah, filii, cur èt pro eo, a quo, ùt audistis, tantis estis cumulati beneficiis, ipsam paupertatem non sustinetis? Non sic, non, filii, ùt suggerebat Satanicus spiritus, facere vos convenit; sed eà, quam hodie recipietis, plenitudine gratiæ respondere. Pauper sum; at longè me pauperior fuit Rex Cœli & terræ Deus: primùm statui quærere Regnum Dei, & tum cetera omnia adjicientur mihi; festos

ſtos dies, ùt par eſt, ſanctificabo; nihil, quod divinæ legi adverſetur, agam. At ſubdet Dæmon: id, ſi ſolus eſſes, fortè facere poſſes; at vide, quot ſuſceperis filios, eorum ſaltem futuræ ſuccurre mendicitati; contende modis omnibus, eos ſi non divites, ſaltem non relinquere mendicos. Verùm forti vos animo, filii, eidem reſpondete: Satis divites relinquam filios, ſatis amplum eis conſtituam patrimonium, ſi mandata Dei cuſtodierint, & in viis ejus ambulaverint. Accedet tentator etiam ad quamlibet ex vobis, o ſorores, & dicet: Quid tu non, ùt ceteræ nobiles mulieres coæquales tuæ, vivis? cur iis omnibus inferior eſſe & videri vis? Te ipſam, ùt omnes faciunt, orna. Quid ad Doctrinæ Chriſtianæ Scholas accedis? quid viliſſimum hoc & pedagogicum munus exerces? An non vides, quàm te, tam ſæpe communicantem, irrideant omnes, & ſimulatricem ſanctitatis appellent? quàm te, o homo, qui iiſdem operibus vacas, hypocritam vocent, digitoque oſtendant? Sed vos, o fratres, vos, o ſorores, Dæmonem ignominioſis verbis explodite; ſanctis inſiſtite cœptis, nec vos bene agere pudeat; imo liberè & verbis, & operibus, & corde in primis Chriſtum confitemini, & hunc Crucifixum; nam èt ipſe vos coram Patre ſuo cœleſti, & Angelis ejus confitebitur. Ejus causâ nihil erubeſcite, qui pro vobis tantas non erubuit contumelias, tot pertulit opprobria, tam vilem denique paſſus eſt mortem. Habeamus denique omnes, filii, præ oculis ſemper (quidquid dicamus, ſive agamus) ſolam Dei gloriam propoſitam, qui noſter debet eſſe ſcopus & finis. Deum immortalem obſecro, & ex totis viſceribus (dilectiſſimi) oro, ut oculos aperiat noſtros, ut videamus, & concedat, ut ſentiamus atque agnoſcamus theſauros hos ſuos atque divitias, eaſque totis viribus conſervare ſtudeamus, ac piis jugiter operibus augere; ne cùm ad judicandum venerit Chriſtus, abſconditi talenti nobis ſit reddenda ratio, ſed reportati lucri ampliſſimam ac cœleſtem recipere poſſimus mercedem. Amen.



HO-

HOMILIA XIX.

AD

ORDINANDOS

Habita in Domeſtico Sacello Mediolani

Feria VI. Quatuor Temporum poſt Pentecoſtem

ANNO MDLXXXIII. III. JUNII VESPERE.



AGNA eſt, fratres in Chriſto dilectiſſimi, quæ ab Eccleſiæ Sanctæ Miniſtris, Animarum Paſtoribus, Epiſcopis nempe adhibetur, morum & vitæ inquiſitio ac examen in iis, qui Divino ſunt cultui mancipandi. Sed terrent eos valde profectò horribilia illa Apoſtoli Pauli verba: *Nemini citò manus impoſueris* (*a*). Multa fuerunt a Sacris Conciliis, & a Sanctis Patribus, quod ad hoc ſpectat, decreta, quæ licèt omnia ad unguem ſervarentur, adhuc tamen multa requirerentur. Nos, qui ad hoc Animarum veſtrarum Paſtorale munus a Domino Deo fuimus vocati, omnem, quantum in nobis eſt, curam in hoc atque diligentiam adhibemus. Verùm quia homines ſumus, fallimur ſæpe, nec ignoramus, idque maximo cum animi noſtri dolore. At cùm nihil per nos omiſſum fuerit, aut per Miniſtros noſtros, quod a nobis requiratur, de veſtris ſingulorum moribus, ætate, natalibus, eruditione, converſatione, Eccleſiaſticis miniſteriis, publicis etiam literis, ac eorum, ad quos id ſpectat, teſtimoniis certiores effecti, ad Dominum Deum, qui *corda ſcrutatur, & renes* (*b*), converſi, *hos tibi* (dicimus) *Domine offerimus, qui eos probè noſti* (*c*). Magnæ igitur, quam in vobis examinandis adhibemus,

(*a*) *I. ad Timoth. V. v.* 22.
(*b*) *Pſalm. VII. v.* 10.
(*c*) *Ex Pontificali.*

bemus, diligentiæ, æquum eſt, ut magna in vobis correſpondeat ad Sacros hos Ordines (hic autem omnes Sacros lato nomine, non majores tantùm intelligens, appello) ſuſcipiendos diſpoſitio, ac debita præparatio. Ac primùm quidem nemo veſtrùm, (ùt arbitror) ignorat, eam in primis requiri, qua Sancto Pœnitentiæ Sacramento peccata veſtra omnia ſyncerè confiteamini, atque nullius mortalis peccati labe maculati, Sacroſanctum Chriſti Corpus & Sanguinem recepturi accedatis; neque de hujuſmodi diſpoſitione eſt, quod pluribus diſſeram. Alia eſt, quam a vobis exigit Dominus, quamque velim hodie diligenter conſideretis; ea autem in diligenti conſiſtit examine, ut quilibet veſtrùm ſcrutetur, quanam intentione, quo fine Altaris velit connumerari Miniſtris. Videte omnes, num de vobis verè dici poſſint a nobis, quæ in hac Ordinum collatione dicit Sancta Mater Eccleſia: *Hæc eſt generatio quærentium Dominum* (*a*). Attendat unuſquiſque, cur ſe divino mancipet famulatui; an, ut pauper eſſe deſinat, ut Sacerdotia Eccleſiaſtica conſequatur, ut Parochus efficiatur, ut inopes Parentes ſublevet, ut ocio in poſterum marceſcat, ſeu alias hujuſmodi ob cauſas. Qui talis inter vos eſſet, abſtineat, obſecro per viſcera Domini noſtri Jeſu Chriſti, ne tantam nobiliſſimo huic Sacramento inferat injuriam; tam nobilem dignitatem ad tam ignobilem referre finem caveat. Alioquin væ illi, væ illi, cujus oculus nequam fuerit! Non hæc ſunt his nobiliſſimis mediis quærenda, ſed tantùm quærendus eſt Dominus; eſſe enim debetis generatio quærentium Dominum, ut Deo veſtro ex corde dicere poſſitis: *Portio mea* es tu *Domine* (*b*). *Si* talis *fuerit*, & ita purus, ac *ſimplex* intentionis veſtræ *oculus*, *totum* etiam *corpus* veſtrum *lucidum erit* (*c*); quem enim quæretis Dominum, invenietis, cùm id ipſe, qui eſt infallibilis veritas, promiſerit: *Quærite, & invenietis* (*d*). Cogitate ergo, quàm magnum ſit in Dei partem vocari, præcipuum Dei Miniſtrum fieri. Conſiderate, quæſo, quàm ex omni populo ſelectos in veteri Teſtamento Miniſtros requirebat Deus; quàm ab univerſa plebe ſegregatos, cùm ad eos loquens diceret: *Ego dedi vobis fratres veſtros Levitas de medio filiorum Iſraël* (*e*); & alibi: *Sancti eſtote*, quia

(*a*) *Pſalm. XXIII. v. 6.*
(*b*) *Pſalm. CXVIII. v. 57.*
(*c*) *Lucæ XI. v. 34.*
(*d*) *Matth. VII. v. 7.*
(*e*) *Numer. XVIII. v. 6.*

quia ego ſanctus ſum (*a*); illi autem victimas tantùm, oves, & boves, & agnos tractabant. Quales igitur vos novi Teſtamenti Sacerdotes futuros eſſe decet, qui Sacroſanctum Chriſti Corpus & Sanguinem eſtis tractaturi; quàm illis excellentiores; quàm denique vitæ ſanctitate ſuperiores! Eja, fratres in Deo amatiſſimi, agnoſcite futuri muneris veſtri ſublimitatem, Ordinis excellentiam, & eo, quem diximus, tantùm fine, accedite, ac intentione, ne Deum & Dominum veſtrum offendatis: ac, ut quod a vobis requiritur, exequi valeatis, ad eum confugite Sanctum Spiritum, gratiarum ac donorum largitorem, cujus per hos dies in Apoſtolos deſcensûs recolimus memoriam; ejus implorate auxilium, qui præſto eſt omnibus invocantibus ſe; vires ab eo petite, *qui dat omnibus affluenter* (*b*); ut, Deo ac ejus Altari hìc congruè miniſtrantes, rectè geſti miniſterii veſtri mercedem a ſupremo Sacerdote & Pontifice Chriſto in Cœlis percipiatis. Amen.



(*a*) *Levitici XI. v.* 44.

(*b*) *Jac. I. v.* 5.

HOMILIA XX.

AD ORDINANDOS

Habita in Metropolitana Mediolani inter Miſſarum Solemnia

Sabbato quatuor Temporum poſt Pentecoſtem

ANNO MDLXXXIII. IV. JUNII.



IRABILITER reſplendet, dilectiſſimi in Domino fratres & filii, ſumma æterni Dei ſapientia, inter cetera in admirabiliſſimo hoc Ordine, quem in Sancta ejus Eccleſia ab ipſomet conſtitutum animadvertimus. In hac ipſa, quam hodie celebramus, Ordinum diſtributione, quis non admiretur tantam eorum varietatem collationum, unctionum, munerum, dignitatum, & auctoritatum diverſitatem? quibus omnibus ut Spiritus Sanctus ſemper aſſiſtit, ita mira tum in iis omnibus, qui hiſce aut initiantur aut promoventur Ordinibus, tum per eos in aliis, operatur intrinſecus: manifeſta ſunt hæc, & Sole ipſo clariora, ineffabilis illius indicia ſapientiæ. Si tanta rerum omnium creatarum diverſitas, Dei prædicat infinitam potentiam, quantò magis hic in ſpiritualibus multiplex ordo, ejuſdem nobis teſtificatur bonitatem, atque admirabilem, qua cuncta ſuaviter diſponit, providentiam? Admirandus ſanè, aut potius lacrymandus is hodie meritò cenſendus eſt, qui, ubi tot ac tantæ ſubſunt digniſſimæ admirationis cauſæ, ſolus ipſe inter hæc omnia non modò non obſtupeſcit, ſed nec etiam admiratur, ac extra ſe ipſum quodammodo egreſſus, toto mentis non exclamat affectu: *O altitudo divitiarum ſapientiæ,*

tiæ, & scientiæ Dei (*a*)! Obstupuit sapientissima illa Regina Saba, cùm, amplissimam Regis Salomonis domum ingressa, ministrorum ejus multitudinem ac nobilitatem, auri copiam, munerum varietatem, ac nobilem omnium dispositionem, & non modò familiæ præstantissimæ, sed ètiam totius Regni contemplata fuisset administrationem, & in eas prorupit voces: *Beati sunt servi tui* (*b*), cùm propè spiritum amisisse videretur. Sed quantò Salomone major est Deus? quàm ejus domui præstat Ecclesia Dei? quàm majorem etiam unusquisque nostrûm hìc habet admirandi, stupendi, spiritum etiam ipsum amittendi rationem? O quomodo amplissimæ huic Christi Sponsæ Ecclesiæ, Davidis illa verba conveniunt: *Astitit Regina a dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate* (*c*), tot referta thesauris, tot Spiritus Sancti donis, tot gratiis, tot Sanctissimis ditata Sacramentis, tanta Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarum, Acolythorum, Hypodiaconorum, Diaconorum, Sacerdotum, Episcoporum ornata multitudine, tot insignis dignitatibus, tot illustris officiis atque functionibus, tot præcellens gratiarum distributionibus, quas hic idem Spiritus Sanctus (cujus visibilis in Apostolos in linguis igneis descensûs, hac hebdomada, memoriam celebramus) *dividit singulis, prout vult* (*d*)! Equidem magnum est ornamentum in Regina hac, hæc ordinum varietas; sed aliud etiam in ea, hoc longè præstantius, requiritur, ut scilicet ejus tam multi Ministri illis sint insigniti virtutibus, quas uniuscujusque ipsorum Ordo requirit & dignitas; ut, quantùm ipsi sunt a communi hominum genere, Ordine distincti, tantùm sint ceteris omnibus, vitæ exemplo ac laudabili conversatione superiores. Audite fratres, quid Apostolis, quibus Spiritum Sanctum mox erat missurus, Salvator noster Christus Jesus dixerit: *Sedete in Civitate, quoadusque induamini virtute ex alto* (*e*). Quid hæc cum promissione Spiritus habent commune? Non sine magno mysterio hæc protulit Dei Filius verba, ut intrinsecam Spiritus Sancti unctionem consequi debere ostenderet, extrinsecum virtutum omnium indumentum. Quid est indui virtute ex alto? Est extrinsecus Christianis ac Sacerdotalibus fulgere virtutibus; ceteris exemplo esse; Ecclesiasticam, quod est in terris Angelicam, vitam ducere; ita

(*a*) *Ad Roman. XI. v.* 33.
(*b*) *III. Regum X. v.* 8.
(*c*) *Psalm. XLIV. v.* 10.
(*d*) Ex epistola Missæ in Octava Pentecostes. *I. ad Corinth. XII. v.* 11.
(*e*) *Lucæ XXIV. v.* 49.

ita demum actiones omnes vestras componere, *ut videant* ceteri *opera vestra bona*, & ex iis, quo sitis in Ecclesiæ ordine constituti, conjiciant, *& glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est* (*a*): ne vituperetur in vobis ministerium Christi (*b*), sed morum vestrorum gravitas ad Ecclesiastici status reverentiam omnes in sæculo viventes alliciat. Etenim væ vobis, si per vos scandalum venerit, & propter vos Dei nomen in gentibus blasphematum fuerit, ac sacrosanctæ Matris Ecclesiæ contempta majestas! Vivite, fratres & filii, ut vos Deo dante facturos spero, ac vestram vitam componite juxta Ordinum vestrorum regulam, quam ordinandis vobis omnibus, breviter, ut audistis, ipsis Ecclesiæ Sanctæ verbis proposuimus: quò sic viventes, æterno tamdem in Cœlis fungamini Sacerdotio, & plurimos in terris, vitæ vestræ innocentia & exemplo, Christo lucrifaciatis, cui unà cum Patre & Spiritu Sancto sit honor & gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.



HO-

(*a*) *Matth. V. v. 16.*

(*b*) *II. ad Corinth. VI. v. 3.*

HOMILIA XXI.

AD

POPULUM RHAUDENSEM (a)

Habita Dominica I. post Pentecostem

In qua celebratur Festum

SANCTISSIMÆ TRINITATIS

ANNO MDLXXXIII. V. JUNII.



PIA nostra Mater Ecclesia Sancta, Animæ dilectissimæ, quæ variis quibusdam veluti cibis filios suos Sanctis Evangeliis enutrire studet, cibum nobis hodie proponit admodum solidum, ex cujus sedula veluti ruminatione, magnum in nobis ipsis sentire possimus alimentum pariter, & spiritualis vitæ augmentum. Sacram nobis explicat historiam, quam & Marcus Evangelista, & Matthæus, ille quidem XVI., hic verò XXVIII. Evangelii sui capite describunt, qua duo potissimùm continentur, alterum quidem summam complectitur expeditionis Apostolicæ in universum Mundum, ac ea, ad quæ a Magistro communi Christo mittantur, enarrat; postrema verò ejusdem pars, rei successum aperit & eventum: qualiter scilicet ipsi profecti sint, & divinis monitis obtemperantes Sanctum prædicaverint Evangelium, eodem Domino cooperante, & illorum sermonem confirmante sequentibus signis. Sed quoniam quæ in Apostolorum personis operatus est Dominus, eadem èt in nobis fieri debere designavit, qui illorum, licèt indigni, sumus successores; ac quemadmodum eos prædicatum misit Evangelium, sic èt nos, visitatum mittit Plebes, & Animas fidei nostræ commissas, suo etiam ipsius exemplo, qui,

(a) Rhaudum Pagus est, octavo ab Urbe nostra lapide distans, extra Portam Vercellensem, Populo frequens, & Præpositurà insignis.

qui, ut in Sacris Paginis perhibetur, circuibat vicos & castella (*a*): idcirco Evangelicæ enarrationi historiæ, præsentem hanc etiam annectemus Ecclesiæ hujus visitationem; ac ex ipso Evangelii contextu, occasione desumpta, & quis sit harum visitationum finis, & quinam inde fructus percipiantur, intelligetis.

Euntes prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur (*b*). O quàm bonum & lætum nobis mittit Dominus per Apostolos & Ministros suos nuncium! Quid enim est aliud Evangelium, nisi bonum Nuncium? Videte igitur, quàm læta nuncientur; numquid temporalia, numquid peritura, numquid caduca? Imo verò salus ipsa, eaque non ad modicum aut longum tempus dumtaxat, sed æterna credentibus promittitur. Ea autem promittenda decernitur non Judæis tantùm, aut iis, qui Jerosolymis degebant, sed *euntes in Mundum universum* (*c*), prædicare mittuntur omni creaturæ: Quod aliis verbis Matthæus declarat, dicens: *Docete omnes gentes* (*d*); omnis namque creaturæ nomine homo ipse designatur, idque duas ob causas; prima quidem, quòd omnia propter hominem facta sint, & ad hominis usum condita, quod Propheta mirabatur, dum diceret: *Quid est homo, quòd memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum* (*e*)? ac infra subderet: *Constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subjecisti sub pedibus ejus*, &c.; altera verò, quoniam omnia in se eminenti quodam modo hic microcosmus, parvus videlicet Mundus, homo comprehendit; habet enim cum lapidibus & inanimatis rebus omnibus commune esse, cum herbis & plantis vegetare, cum Angelis ipsis intelligere: quid ergo prohibet, omnis creaturæ eum nomine nuncupari, qui omnis in se creaturæ habet perfectionem? Et, ut inexcusabilis sis, o homo, cùm tremendo Dei judicio astabis, omnibus creaturis prædicandum mittitur Evangelium; neque enim te paupertas, aut statùs vilitas, aut sexùs fragilitas ab ejus cognitione atque observatione excusabit, quod palàm omnibus fuit creaturis annunciatum. Vox hæc *omnis creaturæ* neminem excludit, omnes complectitur; omnibus quippe ejus erat prædicanda doctrina, qui pro omnibus sanguinem suum fuderat, ac ligno Crucis affixus in redemptionem omnium mori non recusaverat; suo ipse pretiosissimo sanguine atque effi-

(*a*) *Marci VI. v. 6.*
(*b*) *Ibid. XVI. v. 15. & 16.*
(*c*) *Ibid. v. 15.*
(*d*) *Matth. XXVIII. v. 19.*
(*e*) *Psalm. VIII. v. 5.*

efficaciſſimo, quantum in ſe eſt, omnibus profuit, juvit omnes; ut jam ſi quis noſtrûm pereat, id ſuæ dumtaxat malitiæ culpâ contingat, quòd oblatis ſibi medicamentis uti recuſet, & debitas ac congruas ſuis ſanandis vulneribus exhibitas nolit adhibere medicinas. Hac qui pro Chriſti legatione fungebantur Apoſtoli, ad omnes pariter ſunt miſſi & divites & pauperes, & nobiles & ignobiles; nam quæ ad juvandos ſpiritus pertinent, omnibus hominum generibus communia exiſtunt: De iis etiam quandoque magis participant pauperes, quàm divites, utpote qui plura ſæpe ac majora caveant vitia, peccatorumque occaſiones plures effugiant, quàm illi faciunt, qui plurima religionis & pietatis ſacra inſtituta, veluti ſe indigna, nobilitati ſuæ notam inurere formidantes, aſpernantur.

O filii (ut ſingula Evangelii verba præſenti huic viſitationi accommodemus) mittit ėt hodie me Dominus, docere omnes Loci hujus gentes; prædicare Evangelium omni creaturæ, Eccleſiæ huic ſubjectæ; Eccleſiam hanc inviſere; num debitus in ea Deo cultus exhibeatur, num rite Sacramenta miniſtrentur, num pueri Doctrinam Chriſtianam doceantur, num Sacerdotes muneri ſuo conformem vitam ducant, perquirere; examinare etiam diligenter Populi hujus mores, pravas tollere conſuetudines, ſi quæ adſint, bonas inducere, obſtinatos peccatores ad pœnitentiam impellere, omnes ad debito Sacerdotes honore proſequendos inflammare. Et quis erit, quæſo, hujuſce noſtræ miſſionis, hujus noſtri adventus, hujus, qua pro Chriſto apud vos fungimur, legationis fructus?

Sed audite, obſecro: Ex utriuſque Evangeliſtæ a nobis propoſiti verbis, tribus potiſſimùm capitibus hanc Apoſtolorum contineri expeditionem colligimus; tria eis præcipuè a Domino noſtro mandari, & in ipſis, Prælatis omnibus, Animarum Paſtoribus, & nobis, qui eorum ſumus ſucceſſores: Primùm quidem omnes homines in Fide inſtruere mandantur, ac de ejus articulis certiores illos facere, dum Marcus: *Prædicate Evangelium omni creaturæ* (*a*), dicit; Matthæus verò: *Docete omnes gentes*, qualiter videlicet, ipſe ſim Dei Filius, Patri per omnia coæternus & coæqualis; qui tamen pro humani generis ſalute e Cœlis deſcenderim in terras, atque mortuus tamdem in Cœlum rurſus aſcenderim, & his ſimilia. Secundò Sacramenti Baptiſmi eis committitur miniſtratio, dum dicitur: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, &* Spiritus

(*a*) *Marci XVI. v. 15.*

Spiritus Sancti (*a*). Tertiò demum, divinorum præceptorum ac totius legis instructio eis injungitur, cùm subditur: *Docentes eos, servare omnia quæcumque mandavi vobis* (*b*).

At summa Dei benignitas, ac infinita largitas, quæ nihil boni, quin supra condignum remuneretur, nos agere permittit, quosnam, qui Apostolicas voces audirent, fructus, quos itidem ipsi Apostoli pro prædicationis labore essent consecuturi, subjungit? Eos porro duplices: primum quidem spiritualem & æternum; alterum verò corporalem & temporaneum, ne èt suo corpus, quod animæ cooperaretur, præmio careret.

Primus quidem fructus, salus est Animæ, cœlestis gloria, Regni illius participatio; *qui* enim, inquit, *crediderit*, *salvus erit*. O quale jam vobis ab initio dixeram, mittit nobis omnibus nuncium hodie, qui mentiri non potest Christus! Salutem pollicetur nobis omnibus æternam, quam, nisi nobis ipsi desimus, consequi possimus; quam, si non assequamur, nefas sit de alio, quàm de nobis ipsis, conqueri, in quorum manibus, & vita & mors, & salus ipsa & perditio sit constituta. Cogitate, quæso, dilectissimi (& pudeat vos omnes) quot perferant labores, quot se exponant periculis, quorum vèl ipsa nos terret recordatio, mercatores, ut aurum sibi comparent, ut opes accumulent, ut liberos ditent; alii, ut agrum agro jungant, & ponant nomina sua in terris suis, adeo in se ipsos sæviunt, ne comedere quidem audent, jejunant crebrò, innumera miseri patiuntur, quæ si pro Christo sustinerent, felices ipsos, & terque quaterque beatos! In his tamen omnibus, quæ spectant, nihil est solidi, nihil certi; fallacia omnia; difficillimè acquiruntur; magno studio retinentur; maximo dolore perduntur; & raro aut numquam acquiruntur: quæ tamen omnia, & iis multò plura, si etiam acquirerentur, *ecquid* tamdem *homini prodesset*, *si totum Mundum lucraretur*, *animæ verò suæ detrimentum faceret* (*c*)? Et pro cœlestibus, æternis, immarcescibilibus bonis, quæ & ipsum corpus, & animam simul beant; pro vita, quæ terminum nescit, quæ omnes ignorat infirmitates, in quam nullum morti jus competit; pro Regno, in quo cum Christo regnant Sancti omnes, laborare pigebit? Ut salutem hanc, quam nunciare vobis mittit Christus, quam prædicant Apostoli, quam nos suggerimus, quam Deus promisit, consequamur, ulli-ne vos terrent labores? Ah vilitatem animi pudendam! Ah

(*a*) *Matth. XXVIII. v. 19.*
(*b*) *Ibid. v. 20.*
(*c*) *Marci VIII. v. 36.*

Ah segnitiem infamem! Quàm parvo pretio tam magnum recusamus comparare thesaurum! Et quo dicetis pretio? Audite Christum dicentem: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit* (a). Fides ergo, & Baptismi sola susceptio est æternæ salutis pretium? In vanum ergo sunt, quæ a nobis fiunt, opera bona? Absit hoc a nobis, filii; error hic est ab omnibus Sanctis Conciliis damnatus: anathema esset, qui hoc sentiret; sed ubicumque in Sacris Scripturis de sola Fide adeò magnificè scribi auditis, ut ei hominis salutem & vitam æternam tribuere videantur, de ea dumtaxat Fide intelligite, de qua Apostolus Paulus scripsit: *In Christo Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed Fides, quæ per caritatem operatur* (b). Qui crediderit, fratres, fide viva, eâ, quæ ex operibus cognoscitur, hic salvus erit; Fides autem sine operibus, utpote mortua, non modò nihil fidelibus proderit, sed èt eis fortè oberit maximè, quia servus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, flagris vapulabit multis. Credere, & baptizari non sufficit, sed audire etiam necesse est Apostolorum doctrinam, ac, quæ illi suggerunt, facere. Proh Deum immortalem! quot sunt calamitosis hisce temporibus Christiani homines, qui baptizati sunt, quorum si opera spectet, qui eos Christianos esse ignoret, dispeream ipse, si eos Christianos esse aliqua ex re cognoscat! Imo verò, quot horum temporum Christiani, diabolis etiam sunt deteriores! Dæmones enim, Dei vultum atque conspectum reformidant, & reverentur; at impii multi Christiani nomine, Dei præsentiam nihili faciunt, Dei Ecclesias violant, Templa profanant. Heu me miserum! quia dilecti Dei, in domo ejus faciunt scelera multa; quid enim est aliud, in Ecclesia turpibus dare operam amoribus, mulieres aspicere ad concupiscendum etiam quandoque eas, profana & obscœna miscere colloquia, quàm gravissimam Deo inferre offensam? quàm eum in ejus domo injuriis lacessere, & alapas impingere; atque impassibilem eum & immortalem, quantùm in vobis est, denuo crucifigere, ac multo crudeliori, quàm prior illa fuerit, morte necare? Alii, ubi vèl minimum quadrantem se lucrari posse conspiciant, nullam percipiunt dierum differentiam, feriatos omnes ignorant, contractus omnes licitos esse existimant. Nonnulli vèl levi contumeliâ provocati, de supremo benefactore Deo, acsi malefactor & contumeliosus esset, pœnas sumunt, ejus Sanctissimum Nomen blasphemare audent. Plurimi bonorum, ac religiosorum ho-

(a) *Marci XVI. v. 16.* | (b) *Ad Galat. V. v. 6.*

hominum societatem fugientes, cum malis tantùm & perversis conversantur, quorum frequentià, eorum ipsi mores imbibunt, & *commixti inter gentes, discunt opera eorum* (*a*). Et hi vobis Christiani videntur, o filii? Heu quàm ostenditis, si hoc creditis, ignorare vos omnino, quid sit Christianum esse! Quid est enim Christianus, nisi Christi discipulus? At docuit-ne Christus turpes amores, contractus illicitos, blasphemias, scurrilitates, Festorum transgressionem, ac hujusmodi omnia scelera; quin potius non prorsus opposita? Hi tamen e diametro Christo contrarii, Christiani nominari volunt, cùm nihil tum re ipsa minùs sint, quàm Christiani. Imo verò multi èt sunt, qui nihil minus umquam cogitant, quàm se Christianos esse; omnia divinæ gratiæ, veluti rei nullius momenti, imprudenter præferunt. Mercatores, vèl ut quadrantem lucrentur, nullum exhorrent perjurium, nullam habent sacrorum dierum rationem, munus docendæ pueros Doctrinæ Christianæ non modò non amplectuntur, sed veluti ignobilissimum refugiunt, acsi puerile sit pueros docere, & non potiùs Apostolicum, hoc est nobilissimum munus, cùm sit hodie Apostolis dictum: *Docete omnes gentes. Prædicate omni creaturæ.*

Erubescit Mercator, si artem suam mercaturæ exercere ignoret: Rusticus, si terram fodere, si serere, si vites potare, ac cetera id genus ad ipsum spectantia facere nesciret, maximo id sibi dedecori esse existimaret. Christiani tamen multi cùm sint, e contra dedecus esse existimant, munus suum exercere; ea, quæ scire tenentur, ediscere, ac ceteros docere. Sed erunt aliqui, scio, qui *ad excusandas excusationes in peccatis* (*b*) prompti, jam aderunt objicere parati, & eos tacitè videor audire respondentes: Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, præcepta Decalogi memorià teneo; quid ergo frustra, in frequentandis Doctrinæ Christianæ Scholis, tempus conteram? Sed manum, quæso, fratres, adjiciamus, scientiam ad praxim revocemus; quàm paucos ex vobis inveniemus, qui conscientias suas examinare, qui rectam Confessionem instituere, qui orare sciant; & hæc tamen sunt maxima, & talia, ut qui ea ignoret, omne aliud sit, præterquam Christianus, hoc est verus Christi discipulus.

Sed èt hæc omnia scitis. Esto: quid inde? An culpà vos vacare existimatis, quotiescumque oblatos Indulgentiarum thesauros a Summis Romanis Pontificibus, præsertim verò a præsenti Gregorio

(*a*) *Psalm. CV. v. 35.* | (*b*) *Psalm. CXL. v. 4.*

rio XIII. Scholas Christianæ Doctrinæ frequentantibus concessos, consequi negligitis? Quàm gravis erunt negligentiæ conscii, qui vel hodie, vel cras Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumere negligent, ac plenariâ, quam inde consequerentur, criminum omnium suorum remissione, auctoritate Apostolica nobis communicata, eis per nos impertitâ se ipsos privabunt? qui etsi maximus sit fructus, adipiscentur tamen èt aliud amplissimum donum, quod Sacramentum ipsum consequitur, nempe Spiritus Sancti gratiam, & gratiarum etiam omnium Datorem Christum Jesum, cujus Corpus & Sanguis in augustissimo hoc a nobis sumitur cibo. Miseros illos, qui unica tantùm quolibet anno panis hujus Angelici sumptione contenti sunt! Quorsum enim festos dies institutos esse, filii existimatis, quibus nullis servilibus operibus vacare licet, nisi ut spiritualibus tantùm incumbatis operibus; Sacramentorum Sanctissimorum sumptionibus, orationibus, sacrarum Concionum auditui operam detis?

En igitur duo, quæ Apostolis præceperat Christus, & nobis, Fidei nempe instructionem, Sacramentorum, & Baptismi præcipuè administrationem. Tertium verò est divinorum præceptorum promulgatio: *Docentes eos servare omnia* &c. (*a*): proinde etiam tertius hujus missionis fructus est obedientia præceptis Sacerdotum, qui sunt populorum magistri, in quorum ore posuit legem suam Dominus, quorum *labia custodient scientiam, & legem ex ore eorum requiret* Deus (*b*). Sed si Sacerdotum est præcipere, Populorum, filii, est obedire; si sal ipsi sunt terræ, vos terra estis salienda; si ipsi magistri, vos discipuli; si ipsorum est legem præbere, èt vestrum est accipere; si ad eos spectat mores vestros corrigere, èt vos eorum debetis suscipere correctionem; alioquin eos non audientes, Deum non audieritis, eos spernentes, Deum spreveritis. Si verò eorum dictis morem gesseritis, ecce quia triplex Apostolici ministerii fuerit adimpleta operatio, & vos in Fide instructi, & Sacramentis corroborati, & præceptis obedientes, primum ab initio propositum a Christo promissum salutis æternæ præmium consequemini. Sed cetera paucis explicabimus.

SECUN-

(*a*) *Matth. XXVIII. v. 20.* | (*b*) *Malachiæ II. v. 7.*

SECUNDA PARS.

Alterum Apoſtolicæ prædicationis fructum promiſit Chriſtus, ex conceſſa eis poteſtate procedentem, cùm dixit: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis: ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt* (*a*), quæ èt omnia Apoſtolis proſperè ſuceeſſerunt; illi enim profecti prædicaverunt ubique, Domino eooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Voluit Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ut Sanctum Evangelium ſuum authenticum redderet, ac in hominum cordibus propagaret, illud hujuſmodi mirabilibus confirmare teſtimoniis. Nam eùm tunc temporis Fidem eam, quam docebat, Mundo quidem novam, & multis etiam exoſam, utpote quæ nil niſi pœnitentiam, carnis macerationem, abjectionem, & eetera hujuſmodi, quæ animalis homo non percipit, præſeferret, vellet extollere, ac in multorum eordibus plantare, quò firmiores figeret radices, majoribus erat & mirabilibus eomprobanda teſtimoniis. Conſuevit autem Dominus Deus, dilectiſſimi filii, mirabilia hæc aut ipſe, aut per Sanctos ſuos operari, unâ ex duabus cauſis, vel ad doctrinæ eommendationem, vel ad propalandam perſonæ alicujus ſanctitatem, ac vitæ excellentiam; priori quidem cauſa præſertim in primitiva Eccleſia, in Evangelii Sancti infantia; poſteriori verò & tunc, & poſtea: curat enim Sanctorum ſervorum ſuorum Deus honorem, multò magis quàm plurimi ex nobis ſuum; quod Regius Propheta admirari cogebatur, cùm diceret: *Nimis honorificati ſunt amici tui, Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum* (*b*): Hinc tot, quæ in Sanctis ſuis, & Virginibus, & Martyribus, & Confeſſoribus mira operatus eſt Dominus, quò eorum Sanctitati teſtimonium præberet, & populorum religionem augeret; ſic umbra Petri tot curabat infirmitates, tam multi èt ſudaria projieiebant, quorum eontactu a quacumque detinerentur ægritudine, ſanabantur. Hujuſmodi plurima ſigna primis naſcentis Eeeleſiæ temporibus apparebant; ſic enim novam populorum Fidem decebat adjuvari: ſed poſt Fidei jam ſubſecutam propagationem, non adeo illis eſt opus, lieèt èt nunc ea interdum adhibeat, quò debiles homines confirmet in Fide, & eorum augeat religionem, ac ad devotionem invitet. Videt Deus, proh dolor! pluri-

(*a*) *Marci XVI. v. 17. & ſeq.*

(*b*) *Pſalm. CXXXVIII. v. 17.*

plurimos nostrùm hæsitantes in Fide, ac admodum debiles, & idcirco illis utitur mediis, quibus cum iis utebatur, qui Fide nondum erant imbuti, qui necdum Christiani erant. Sic èt elapsis diebus, mirabilia inter vos fecit Dominus in Sanctissimæ Virginis Matris suæ honorem, cujus apud vos extat imago, quæ hæc operatur (*a*): Nec ob illa tamen est, quòd efferamini, imo habetis unde maximè humiliemini; hac enim ratione vestram ostendit Dominus infirmitatem in Fide, dum eodem vos, quo primos, Christianos nascentes, cibo alere quodammodo videtur, ac refrigescentem vestram inflammare caritatem. Satis apparet, quid dicant, quæ, ùt ipsi scitis, mira operatus est proximè inter vos Dominus. Clamant, filii, altissimis vocibus, vosque arguunt, ac dicunt: Usque quò vos tamdem ingratos Christianos feram! quamdiu Christianis absimilem vitam degetis? quando tamdem resipiscetis? ad pœnitentiam convertemini? ad meliorem frugem redibitis? amori erga vos meo aliqua ex parte respondebitis, pro quibus tam multa pertuli, tot passus sum, in quos innumera contuli beneficia, quos tamdiu sustineo, quorum usui èt nunc mira operari non desino, ut vos ad pietatem alliciam, & ad Sanctorum omnium, præcipuè verò Sacratissimæ Matris meæ venerationem inflammem? Et, si ad honorandos Sanctos servos suos mira operatus est Dominus, quantò mirabiliora in Matris suæ, quæ tantò ceteris Sanctis est præstantior, honorem decebat operari? Sed cur decebat? ut decere ostenderet, præcipuâ vos eam debere reverentiâ colere, quæ & præcipua est Mediolanensis hujus Populi protectrix, & advocata, qui hujus precibus tot obtinuit munera, tot effùgit mala. Quid, fratres, a Christo non expectabimus, si piissimam Matrem apud obsequen-

(*a*) Imago ista Deiparæ, Filium exanimem in sinu gestantis, peculiari Fidelium veneratione in parvo Sacello prope Rhaudum, antiquitus colebatur. Anno MDLXXXIII. die X. Aprilis apud populos inclarescere cœpit, novis beneficentiæ suæ testimoniis, nempe miraculis; de quorum veritate, ex diligenti inquisitione, certior factus Sanctus Carolus, celeberrimi Pelegrini Pelegrinii arte usus, prægrande atque ornatissimum Templum a fundamentis excitavit, quod magnâ etiam in Urbe Cathedralis Basilicæ loco esse posset, ùt scriptum reliquit Glussianus Libro VII. Vitæ ejusdem Cap. VIII. Sacerdotibus quoque e Congregatione Oblatorum desumptis Collegium ibidem aperuit, ut Sacratissimæ Virginis cultum, & confluentium populorum pietatem foverent alerentque. Eidem nostra ætate in ampliorem formam exstruendo liberalem opem præstitit claræ memoriæ Benedictus Herba Odeschalcus Cardinalis, & Archiepiscopus, qui impensis suis numerum insuper auxit Oblatorum, non tantùm, ut insignis illius Templi cultum promoverent, sed etiam ut amplissimæ Ambrosianæ Diœcesi excolendæ curam omnem ac sudores impenderent. Siquidem sacri hi Ministri, abdicato a se prorsus Ecclesiasticarum Dignitatum desiderio, partim domi Clericos, Sacerdotes, aliosque Viros illuc se conferentes, piis exercitationibus ad cœlestium rerum meditationem, amoremque inflammant; partim per Oppida, & Pagos excurrunt, ut tum Clerum, tum populos rectæ instituendæ vitæ, servandæque morum disciplinæ a Sancto Carolo inductæ præcepta, quotannis edoceant.

quentiſſimum Filium advocatam habuerimus? Quid Filius Matri ubera oſtendenti, novem illos menſes, quibus eum in utero portavit, in memoriam revocanti, negabit? Quanam in re, qui Matrem honorandam eſſe in utriuſque Teſtamenti pagina & præcepit, & toties inculcavit, poterit non ſatisfacere? Accedite igitur, filii, cum fiducia ad Dei Matrem ; veſtras ei aperite infirmitates ; quæ vobis neceſſaria ſunt, petite ; eam debito honore proſequimini. Sed ſcitis, qualem a vobis exigat honorem? cur ejus, & Sanctorum omnium trophæa, ac immortales coronas, & victorias recolat Eccleſia? Non aliam ſanè ob cauſam, niſi, ut Sacratiſſimæ Virginis, & Sanctorum omnium veſtigiis inhærere contendamus. Qui Dei Matris egregiam imitatur humilitatem, quam Deus reſpexit, & ob quam: *Beatam* eam dixerunt *omnes generationes* (*a*); quæ mulier, virorum, ùt ipſa fecit, refugit ſocietates; quæ ſilentii leges inviolatas ſervare ſtudet; quæ numquam eſt otioſa; quæ omnium, niſi ſolius Dei, detrectat colloquium; qui denique, aut quæ egregios ejus & immaculatos vivendo refert mores, quos pulchrè, & ſcitè Sanctus expreſſit Pater noſter Ambroſius (*b*) ; hi Dei Matrem honorant ; hi ex ejus mirabilibus operibus fructus percipiunt uberrimos; hi cum fiducia ad Dei juſtiſſimum tribunal accedent: ſecus autem qui fecerint, væ illis, o filii! omnia hæc, quæ ceteris cooperantur in bonum, erunt eis in damnationem æternam. Ad hujuſmodi, terribili illo die, ſic loquetur Dominus: Præter innumera, quæ vobis cum ceteris communia contuli beneficia, volui etiam, ut per ſacram Immaculatæ Matris meæ imaginem inter vos ſigna prodirent, o miſeri Viri, o infelices mulieres; & vos his omnibus abuti non dubitaſtis. Ite igitur in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & vobis. Vultis hujuſmodi tremendas voces non audire, cariſſimi? *Vos ipſos* hic *dijudicate, ne a Domino judicemini* (*c*). Ita vobiſcum loquimini: Ergo Sacratiſſimæ Virginis Deiparæ in noſtris finibus extat imago veneranda, per quam mirabilia Dominus operatur; & ego ei debitum non exhibebo honorem? Sola ego ero peregrina in Jeruſalem, quæ ignorem, quæ his diebus facta ſint in ea? Speculum ipſa fuit caritatis, ego malignitati ſtudebo? ſolitudinem ipſa tam ſtudioſè coluit, ego ſemper vagabor? ipſa adeò dedita orationi, ego adeò orationis expers ero? Ah non eſt hoc, Dei Matrem colere: vitam mutabo, mores corrigam, ut ei correſpon-

(*a*) *Lucæ I. v.* 48.
(*b*) *Lib. II. de Virginib. Cap. II.*
(*c*) *I. ad Corinth. XI. v.* 31.

respondeam. Qui sic secum fuerint ratiocinati, hi in se quoque mirabilia sentient.

Sed quoniam, út jam sæpius diximus, nostra hæc visitatio, Apostolorum conformis est prædicationi, videamus etiam, an per nos signa Dominus faciat. Facit quidem, filii, licèt non extrinsecus, attamen intrinsecus. Sancta enim Ecclesia (út Sanctus inquit Pontifex Gregorius) quotidie spiritaliter facit, quod tunc per Apostolos faciebat. Nam nos, & Sacerdotes ministri nostri, cùm vobis manus imponunt, & crimina dimittunt, quid aliud faciunt, quàm quòd Dæmones ex animis vestris pellunt? Fideles quoque, qui nostris monitionibus commoti, vitæ veteris verba profana & obscœna omittunt, ac laudes tantùm insonant divinas, Conditorem suum celebrant, & potentiam, quantum prævalent, narrant; nonne hi linguis loquuntur novis? qui dum suis cohortationibus malitiam de alienis cordibus auferunt, serpentes tollunt; & dum pestiferas suasiones auditis, sed tamen ad operationem pravam, nobis monentibus, minimè pertrahimini, quid hoc est aliud, quàm quòd mortiferum bibentes, nihil vobis nocet? dum pravos mores vestros corrigimus, vitia reprehendimus, ac Sanctis Sacramentis adhibitis vos Deo reconciliamus; quàm mirabiliter super ægros manus imponimus, & bene habent? Quæ nimirum miracula tantò majora sunt, quantò spiritualia; tantò utiliora sunt, quantò per hæc non corpora, sed animæ suscitantur. Videte ergo, quàm simile sit ministerium nostrum Apostolico, quàm nostra eorum congruat missioni, quando èt nos eadem, quæ ipsi, Deo dante operamur in vobis; quando Sacerdotes vestri, non modò verbis & prædicationibus, sed vitæ etiam exemplo vos ad Dominum Deum convertunt; quando e mentibus vestris & ipsi, & nos Dæmones pellimus. Quàm est visu horrendum aspicere, quot modis energumenos vexet Dæmon in corpore, quàm eos graviter torqueat! Vos ipsi vidistis & heri, & hodie; sed, proh dolor! si videretis, quàm eos graviùs tractet in mente ac corde, qui se ei sponte dediderunt (nihil enim in nos, nisi quantum volumus, potest) o quàm multa fugeretis peccata, quàm Deum non offendere studeretis! Misereminí vos, & meritò, miserorum illorum, quos ita cruciari conspicitis: Et tamen sunt inter vos miserrimi patres & matres, qui eorum filios & filias malè a Dæmone vexari animadvertunt, & tantum abest, ut eis compatian-

tur, quin etiam eos suis pravis exemplis ad innumera provocant peccata, blasphemare illos docent Dei nomen; & vos infelices matres, quæ vanis vestris ornatibus, filias vestras quodammodo prostituitis, & ad omnem armatis impudicitiam; an non satis erat vobis grandis, inflexibili illi Judici pro delictis vestris reddenda ratio, ut eo onere quasi levissimo minimè pressæ, majora quotidie vobis ipsis onera imponere studeretis? Requiret a vobis o patres, requiret o matres de manu vestra animas filiorum & filiarum vestrarum, ac omnium etiam hominum illorum, quos impudicitiis suis lascivæ filiæ vestræ Diaboli laqueis irretierint.

Eja igitur omnes, filii, ut finem dicendi faciamus, *dum tempus habemus, operemur bonum* (*a*); quæ audistis, cordibus vestris insculpite: nam si, referente Marco Evangelista (*b*), reprehendit Dominus Apostolos, quòd non credidissent mulieribus, quæ eum vivere renunciaverant; quale judicium fiet super vos, quibus hæc toties dicta fuerunt, qui ea creditis, exequi tamen recusatis? Veluti ingrati & nequam servi, quòd voluntatem Domini vestri sciveritis, & facere neglexeritis, majori quàm ceteri pœna puniemini. Exprobrabit vobis, cùm ad judicandum venerit, Dei Filius duritiem cordis vestri, & dicet: O homines, pro quibus ego, cùm Deus essem, homo fieri volui; pro quibus per trigintatres integros annos miserrimam vitam duxi; pro quibus os meum exposui conspuentibus, totum corpus flagellantibus, caput spinas imponentibus, manus & pedes perforantibus, cor transverberantibus; pro quibus ipse, Rex gloriæ, Deus Dei Filius, factus *sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis* (*c*); pro quibus vitam amisi, crudelem mortem subii, inter latrones reputatus fui: Et hæc omnia feci, pertuli, sustinui, ut vos traherem ad me; & vos tamen obdurato corde tam facilè divellimini a me, minima omnia, amicitiæ & gratiæ meæ præfertis. Ne igitur hæc vobis ab eo dicantur, qui futurus est vivorum & mortuorum Judex, bonis operibus jugiter incumbite; Matris Dei Immaculatæ opem assiduè implorate; ejus adhærete vestigiis; devotioni, quam in finibus vestris commovit Dominus, insistite, ut èt ipse, qui suas vobis gratias communicare non desinit, in finem eas elargiri perseveret, donec èt gloriæ cœlestis participes efficiat: quod vobis, & omnibus concedat Divina Majestas. Amen.

HO-

(*a*) *Ad Galatas VI. v.* 10.
(*b*) *Marci XVI. v.* 14.
(*c*) *Psalm. XXI. v.* 7.

HOMILIA XXII.

AD

POPULUM SARONI

DIŒCESIS MEDIOLANENSIS

Habita in visitatione ejus loci (a)

Feria III. Dominicæ I. post Pentecostem

ANNO MDLXXXIII. VII. JUNII MANE.



RIA heri, ubi primùm huc vos visitaturi accessimus, ex hoc loco diximus vobis (*b*): Primùm quidem, quòd Dominus Deus mirè cupit omnium hominum salutem; vult namque omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire. Secundò, quòd hanc eamdem ob causam, decrevit idem Pater omnium Deus, ut Ecclesiæ Sanctæ Prælati populos sibi commissos frequenter invisant; qua etiam de re nos huc in præsentiarum venimus, legatione pro Deo apud vos fungentes. Tertiò demum, quis sit hujusce legationis scopus ac finis, ostendimus, & quorsum quæ in ea fiunt, omnia tendant; nempe id unum esse, ut Deo omnes reconciliemini, ut *expoliantes vos veterem hominem, induatis*

(*a*) Saroni Oppidum, ab Urbe Mediolanensi duodecimo lapide dissitum, mediâ ferme viâ jacet, qua Tradatum, & Varisium tenditur. Fuit olim, teste Morigia in Hist. Mediol. Lib. I. Cap. XVIII., Castrum munitissimum, Arce & muris vallatum. Matthæus II. Vicecomes, Mediolani cum Fratribus Bernabove, & Galeatio Condominus, illud sibi ad delicias selegit; ibique, magnificis extructis ædibus, vitæ reliquum egit, mortuus anno MCCCLVI. atque inde translatus ad Eustorgianam Mediolani Basilicam, ut in Majorum sepulchro reconderetur. Sanctus Carolus Borromeus primam in hoc Oppido Apostolicam visitationem instituit anno MDLXX. die XXII. Aprilis, cùmque Triduanæ Rogationes Ambrosiano more tunc agerentur, Supplicationum iter, quod quatuor mille passus complectebatur, unà cum Populo, summo pietatis exemplo confecit.

(*b*) Homilia hæc desideratur.

novum hominem (*a*), & *in novitate vitæ ambuletis* (*b*), ac ſarcinam peccatorum graviſſimam deponentes, vitam emendetis, mores denique veſtros corrigatis, voſque Dei beneplacito conformetis. Et quoniam hodierni lectio Evangelii, quam paulò ante a nobis audiſtis, valde præſenti congruit viſitationi noſtræ; idcirco brevem hunc meum ſermonem, quo de quibuſdam legationis meæ capitibus ſum acturus, eidem accommodare ſtudebo, & quæ Spiritus Sanctus, qui per os ſervorum ſuorum loqui ſolet, mihi ſuggeſſerit, eidem Sacræ hiſtoriæ adaptabo.

Adeò magna eſt hæc Dei voluntas, adeò ardens deſiderium, quo nos omnes ſalvare deſiderat, ut hac de re, ſæpe in ſacris literis loquatur; præſertim verò hoc oſtendit hodierna, quam proponit, Parabola. Vultis, dilectiſſimi, hanc Dei propenſionem intueri? Conſiderate Paſtoris exemplum (*c*), qui centum oves habens, amiſsâ ex iis unâ, relinquit alias nonagintanovem, ut hanc ſolam quærat, quâ inventâ gaudet ſuper ea magis, quàm ſuper nonagintanovem, quæ non erraverant. Lucas verò Evangeliſta hoc idem enarrans ait: *Et cùm invenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens, & veniens domum, convocat amicos, & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia invêni ovem meam, quæ perierat* (*d*). O filii dilectiſſimi, quomodo poterat manifeſtari clariùs infinita Dei caritas? Eramus nos, ovis, quæ perierat; neque enim hujus eſt loci aut temporis, ſubtiliùs perſcrutari, quænam aliæ eſſent nonagintanovem oves, quæ non perierant. Hoc jam dicere ſufficit, quia perieramus omnes, erraveramus, deflexeramus a via recta; expoſiti eramus draconum & ſerpentum faucibus, ac eorum venenatis morſibus: cùm cœleſtis ille Paſtor, qui èt de ſe ipſo loquens dicere conſuevit: *Ego ſum Paſtor bonus* (*e*), Cœli amœna paſcua relinquens, deſcendit in deſertum Humanitatis & carnis noſtræ; nec ſtatim nos invênit, ſed diu quæſivit, annos trigintatres totos peregrinatus eſt, innumeros pertulit labores, famem, ſitim, laſſitudinem, dolores, ſputa, opprobria, contumelias, ſpinas, clavos, lanceam; ipſam denique mortem alacri animo ſubiit, ut amiſſos nos inveniret, & ſuis impoſitos humeris ad ovile cœleſte reportaret: *Ipſe* namque *languores noſtros tulit, & dolores noſtros ipſe portavit* (*f*), aſſumens in ſe ipſum quæcumque noſtris debebantur delictis. O mirum amorem, quo tu

(*a*) *Ad Coloſſenſ. III. v.* 9. *&* 10.
(*b*) *Ad Roman. VI. v.* 4.
(*c*) *Matthæi XVIII. v.* 12.
(*d*) *Lucæ XV. v.* 5. *& ſeq.*
(*e*) *Joannis X. v.* 11.
(*f*) *Iſaiæ LIII. v.* 4.

tu bone Chriſte errantem ovem es proſecutus! Non Angelum de Cœlo, aut unum de ſervis tuis ad eam quærendam mittere voluiſti; tu ipſe, tu, qui Deus es, nullo noſtro præventus amore, *quoniam ipſe prior dilexiſti nos* (*a*); imo multis a nobis provocatus injuriis, tu ipſe deſcendiſti, nec tibi ipſi, ulla in re, ut nobis indulgeres, peperciſti. Videte filii, quanti faciat Deus animas veſtras, quas vos tamen ita negligitis, ita curare contemnitis, ac ſi vilior veſtri pars ea eſſet, quæ ad Dei eſt condita imaginem, cùm eam deperditam, non corruptibilibus auro & argento, ſed pretioſiſſimo Filii ſui Sanguine redimi voluerit Deus. Simul perpendite gaudium illud maximum, quod Chriſtus Dei Filius ex hujus ovis inventione demonſtrat, cùm dicit: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem, quæ perierat*; quàm gaudet, quàm exultat, quàm ei dulcia ſunt omnia, quàm ſuavis ipſa mors, quòd nos a peccati ſervitute liberaverit; quàm gaudent Sancti Angeli Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente! Addant vobis hæc ſtimulos ad vehementiſſimum peccati odium, ejuſque deteſtationem, cujus deſtructio tantum Deo, & Angelisaffert gaudium.

Sed non hic ſiſtit amor Divinus, non hic deſinit ſalutis noſtræ cupiditas; nam non contentus, quòd ſe ipſum expenderit & ſupraexpenderit, mittit etiam operarios ac miniſtros ad proſequendum hoc opus. Ideo huc noſtrum decrevit adventum, ut èt nos in hoc inſudemus, ut animas reducamus ad Deum; quod enim per ſe fecit Chriſtus, cùm venit, hoc per nos ipſe nunc facere cenſendus eſt. Ideo viſitamus populos, ideo Dei verbum annunciamus, Sacramenta miniſtramus, ordines ſtatuimus, nihil, quod ad hoc conferat, omittimus. Quòd ſi animas lucrari contingat, o quale lucrum! o qualis in Cœlo ſit exultatio! Dicite jam peccatores, & vobiſcum ita ratiocinamini: Nos miſeros, qui tamdiu in peccatis obſtinati perſtitimus, qui hactenus dormivimus, qui tam dira ſervitute adhuc premimur; ſurgamus omnes ocyus, & die ac nocte quæramus piiſſimum Deum: *Ecce enim tempus acceptabile, ecce dies ſalutis* (*b*); dies Deum, & Angelos ejus conſolandi, dandi gloriam Deo advènit: Ob id ad nos Paſtorem noſtrum miſit; curemus, ne fruſtra tam diverſimodè nos prævenerit Dominus. Nec adhuc finis eſt aut terminus divinæ voluntatis, qua nos ſibi conjungere deſiderat; nam non modò ſingulis ætatibus & ſeculis ad id operarios miſit, ſed poteſtatem etiam eis atque auctoritatem largitus

(*a*) *I. Joann. IV. v. 19.* | (*b*) *II. ad Corinth. VI. v. 2.*

tus eſt divinam, cùm dixit: *Amen dico vobis; quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata èt in Cœlo; & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta èt in Cœlo* (*a*). Cùm Rex aliquis, aut Princeps Legatos ad aliquem mittit, literas ei in primis tradit, quibus ſe eum mittere publicè teſtatur, ac eum, tamquam ſe ipſum, eſſe declarat audiendum. Mittit ad homines Deus Legatos, Sacerdotes ſuos; mittit nos: & ecce quia publicas miſſionis noſtræ patentes literas nobis exhibet hodie, quibus teſtatur, ſe, quæcumque fecerimus nos, rata, grata, firma habere, attendere, & obſervare velle; nec in eis, aut aliquo eorum contrafacere vel contravenire. Quàm eſt noſtri amore incenſus Deus! non homines ſolùm mittit, ſed èt cum auctoritate ac poteſtate divina. Quantâ debetis hujuſmodi Legatos reverentiâ excipere, tali fulgentes dignitate, tanta pollentes auctoritate, tot inſignitos privilegiis, qui ligandi vos atque ſolvendi, peccata remittendi, excommunicandi, Sacramenta miniſtrandi jus habent; quos qui audiunt, Deum audiunt; quos qui ſpernunt, Deum ipſum ſpernunt; qui tantùm a ceteris differunt, quantùm ſupra ceteros poſſunt. Quàm magna etiam eſt nobis in hoc a Deo gratia conceſſa, ut non Angelos, ſed homines hominibus ipſis præficere dignatus ſit, ejuſdem conſortes naturæ, iiſdem, quibus nos, ſubditos infirmitatibus, qui & aliis compati ſcirent, & poſſent! Ulla-ne valet hac poteſtate major reperiri? Commiſiſti o homo infinita peccata, millies Inferni incendia commeruiſti, Deum provocaſti; accedis ad Sacerdotem, ſupplex ei peccata confiteris, diſponis, & proponis firmiſſimè, ea in poſterum non committere; imponit capiti tuo manum Sacerdos, & dicit: *Abſolvo te ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, & ſtatim, o magnum miraculum! o divinam hominis auctoritatem! omnia peccatorum chirographa delentur, debitorum libri expunguntur, Dæmones contriſtantur, Angeli recreantur, Deus lætificatur, ex inimico amicus homo fit Deo, ejus gratiam recuperat, iterum Cœli fit hæres. O quot dona, quot gratiæ, quot munera, quanta animæ mutatio, quanta Sacerdotis poteſtas, quanta Dei ſummi bonitas, qui tot nobis media conceſſit; qui ſimiles nobis homines inſtituit, ad quos accurrentes ſordidiſſimi, redeamus ſtatim candidi; ad quos euntes ſaucii & infirmi, ſani ab eis & incolumes recedamus!

Sed

(*a*) *Matth. XVIII. v.* 18.

Sed nec hi folùm juvandis nobis funt inftituti; fed èt *unicuique mandavit Deus de proximo fuo* (*a*): unde & hodie fingulis præcipit in Evangelio Chriftus: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipfum folum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum* (*b*). Quorfum hæc præfcribitur omnibus correctio fraterna, nifi, ut alter alterius faluti ftudeamus? Sed proh dolor! excidit ex hominum mentibus hujufmodi præceptum, nufquam viget fraterna hæc a caritate proveniens correctio. Sed quid ejus loco faciunt homines? Audite, audite, & cum lacrymis, quæ èt nos ipfi flentes dicere cogimur. Videt aliquis peccantem fratrem fuum: numquid corripit eum inter fe, & ipfum folum? Ah quàm diverfimodè facit! Accurrit, & ftatim, ac in plateis ftans, convocatis omnibus, iis etiam, qui de fratre, qui erravit, bene fentiunt, ejus aperit ac detegit pudenda; accufat mordaciter delictum, ejus devorat famam, denigrat honorem, occidit animam, dubia, veluti certa exprimit, veris etiam interdum falfa plurima admifcet; quafi verò ipfe non in eàdem fortè, & pejus fit navi, fratris feftucas, trabes effe vult, nec id femel tantùm facit; fed horis omnibus, locis fingulis, coram quibufcumque, opportunè & importunè alienas aggravando prædicat culpas. Eft hæc caritas Chriftiana? eft hæc fraterna correctio? eft hoc, Deum audire? eft hoc linguà ad finem, in quem creata fuit, nempe ad laudandum Deum, ac juvandum proximum, uti? O fratres, o fratres, quicumque tales eftis, quàm magnas Deo infertis injurias, quàm perperam conceffa vobis dona, in eumdem Datorem convertitis! Linguà, qua vos ita nobilitavit; qua, ut animi veftri fenfus exprimere poffetis, effecit; qua vos ceteris omnibus animalibus fuperiores conftituit, illà, inquam, linguà Deum blafphematis, fratrem laceratis, animas veftras perditis. O quale peccatum eft, linguæ peccatum! Audite, quàm in hujufmodi invehitur Regius Propheta David, cùm dicit: *Os tuum abundavit malitià, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens adversùs fratrem tuum loquebaris, & adversùs filium matris tuæ ponebas fcandalum. Hæc fecifti, & tacui. Exiftimafti iniquè, quod ero tui fimilis: arguam te, & ftatuam contra faciem tuam. Intelligite hæc*, intelligite filii, *qui oblivifcimini Deum, ne quando rapiat, & non fit, qui eripiat* (*c*). Abutimini vos Dei mifericordià, & quia non ftatim peccantes vos, ùt poffet, caftigat, callum in peccatis obducitis, habi-

(*a*) *Ecclefiaftici XVII. v.* 12.
(*b*) *Matth. XVIII. v.* 15.
(*c*) *Pfalm. XLIX. v.* 19. *& feqq.*

habitum contrahitis; & putatis hæc impunita fore? Existimatis oblitum esse Deum justitiæ suæ, quia continuit tamdiu in ira sua misericordias suas, quia siluit, quia ad pœnitentiam expectavit? Sed arguet vos in hora mortis vestræ, & statuet contra faciem vestram omnes iniquitates vestras: libri scripti aperientur, in quibus totum continetur, unde Mundus judicetur; ibi vos ipsi blasphemias vestras, ibi detractiones & murmurationes legetis, & dolebitis; sed frustra, quia dies iræ erit illa, qua unicuique retribuetur secundùm opera sua. Jam nunc dies est misericordiæ; vocat nos sæpe Dominus & revocat, expectat & reexpectat; hic ipse noster ad vos adventus vox est Dei, qui clamat: *Pœnitentiam agite, & convertatur unusquisque vestrûm a via sua mala* (a). Examinate vos ipsi diligenter vitam vestram, excutite conscientias vestras: quot maculas, quot Dei offensiones, quot ingratitudines, quot reperietis negligentias? Nolite decipi, filii, quia non admittet tunc Dominus excusationes vestras; nihil vobis tunc dicere proderit: Mercaturam, Domine, exercebam, ideo apothecis frequens esse debui, ideo tempus non supererat ad Ecclesiam quotidie properandi, orationibus operam dandi. Nihil proderit dicere: Filios susceperam plurimos, & filias collocandas, ideo feriatis etiam diebus, & Deo sacris vendere, contractus quoque nonnullos, licèt non penitus licitos ac legitimos, exercere coactus fui. Numquid familiæ cura, negotiorum secularium tractatio, Dei debent in vobis extinguere religionem? Cur diei totius tam multas horas in mundanis negotiis expenditis, initium saltem, & finem orationi non tribuentes? Quæ hæc est vestra segnities, ut plurimi vestrûm ferme morti proximi, canis capillis senes, orationem Dominicam, Apostolicum Symbolum, præcepta Decalogi, rectè confitendi methodum, atque hujusmodi alia mille ignorent? Magnum sanè torporis ac negligentiæ vestræ indicium. Heri quoque Oppidum vestrum ingressus, quamplurimos pueros in plateis vagantes, ociosos discurrentes perspexi: quòd si tam solemni die, quo post tot annos venit ad vos Pastor animarum vestrarum, visitationis inquam die, pueri vagantur & discurrunt; quid crediderim, ceteris diebus etiam festis apud vos, vestrâ, o patres, o matres culpâ fieri? Repetiturus est Dominus ab unoquoque exactissimam etiam de proximo suo rationem; sed eò a vobis majorem de filiis & filiabus vestris, quò plus vos illis,

(a) *Jonæ III. v. 8.*

illis, etiam impellente natura, debetis. Clamat in Evangelio Chriſtus, quia *non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt, ut pereat unus de puſillis iſtis* (*a*); & vos tam malè divinæ reſpondetis voluntati, cùm tam multi filii veſtri, peſſimo veſtro exemplo pereunt. Sed dabitis certè graviſſimas pœnas: ipſi filii veſtri erunt carnifices veſtri; ipſi vos excruciabunt; ipſi, ut deſperetis, & in deſperatione moriamini, efficient: hic eſt namque primus fructus pravæ filiorum educationis. *Ponite*, dilectiſſimi, *ponite corda veſtra ſuper vias veſtras* (*b*).

Sed quid de filiorum educatione loquar tantùm? Quàm alia multa ſunt a vobis, & in vobis fletu digniſſima, quæ è invitus inter loquendum intueor; Cur adeo inculta eſt hæc Eccleſia veſtra, adeo inornata? Muri hi, hoc tectum, hoc pavimentum veſtram increpant irreligionem; clamant: tam multæ aliæ Villulæ, tot alia Oppida, hoc longè pauperiora, vicinorum commota calamitatibus, a fundamentis etiam novas erexerunt Eccleſias; & miſerrimi hi homines ceteris multò plures atque opulentiores, Dei iram proximis annis, peſte inter ipſos deſæviente, experti, nos inſtaurare & ornare non curant. Quæ veſtra eſt impietas, filii, in Eccleſiam veſtram, in matrem veſtram, in qua baptizati, regenerati eſtis; in qua peccatorum remiſſionem accipitis; in qua Sanctiſſimo Euchariſtiæ cibo ſatiamini? Et eam tam parum colitis ac diligitis? & ſic eam negligitis? O quale teſtimonium eſt tepiditatis internæ, hæc irreligio externa! Quid paupertatem opponitis? Pertulit pro vobis Chriſtus tam multa, tantum ſudavit, ipſum etiam ſanguinem fudit; & vos, ut ejus ornetis domum, matrem, & Parœciam veſtram, aliquid perpeti recuſatis? vèl minima vos deterrent incommoda? Domos veſtras ornatis, & Dei domum incultam tot ab hinc annis, ex quo aliàs apud vos fui (*c*), adhuc eſſe permittitis? *Nondum venit tempus domus Domini* ornandæ? *Numquid tempus vobis eſt, ut habitetis in domibus laqueatis, & domus iſta deſerta? Ponite, ponite*, bis eodem in loco replicat Aggæus, *corda veſtra ſuper vias veſtras*; ſemi-

Tom. I. V

(*a*) *Matthæi XVIII. v.* 14.

(*b*) *Aggæi I. v.* 5. *&* 7.

(*c*) Sexennio ante commoratus Saroni fuerat, ut laborantibus peſte incolis, & animæ & corporis ſubſidia conferret, anno nempe MDLXXVII.; tunc enim, ùt narrat Joannes Baptiſta Poſſevinus in Sancti Caroli Vita Italicè ſcripta Cap. XXVI. contineri intra mœnia Mediolanenſis Urbis non potuit caritas vigilantiſſimi hujus Paſtoris, quin Pagis etiam, & Oppidis Diœceſis ſuæ per intervalla præſentem ſe faceret, Modoëtiæ videlicet, Mellegnano, Serenio, Inaago, Sarono &c. ubique opem ferens ægrotis, & ad cœleſtis ſpem vitæ morientes adhortans.

seminastis multum, & intulistis parum; comedistis, & non estis satiati; bibistis, & non estis inebriati; operuistis vos, & non estis calefacti; & qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum (*a*). Et quam ob causam hæc omnia? cur amplissimi, quos colligitis, reditus, ad vivendum non sufficiunt? cur ære potius alieno multi vestrûm premuntur; tantum abest, ut eis aliquid supersit? *Ponite corda vestra*, filii, ut cum Aggæo loquar, *super vias vestras: ascendite in montem, portate ligna, & ædificate domum: & acceptabilis mihi erit, & glorificabor, dicit Dominus. Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus: & intulistis in domum, & exufflavi illud: quam ob causam, dicit Dominus exercituum? quia domus mea deserta est, & vos festinatis unusquisque in domum suam. Propter hoc super vos prohibiti sunt Cœli, ne darent rorem, & terra prohibita est ne daret germen suum: & vocavi siccitatem super terram, & super montes, & super triticum, & super vinum, & super oleum, & quæcumque profert humus; & super homines, & super jumenta, & super omnem laborem manuum* (*b*). Quærunt aliquando homines harum calamitatum causas, & frustra philosophantur, naturalibus hæc tribuentes influxibus; & non cogitant, quia propter peccata, Dei exigente justitia, veniunt adversa; quia secundas causas ad libitum suum operari fecit Deus causa causarum, in cujus manu cuncta sunt posita. Recogitate, obsecro, hæc, dilectissimi, & hac visitationis hujusce vestræ occasione invitati, ponite jam corda vestra super vias vestras, & abjicite torporem hunc. Sed jam pauca adhuc dicturi, finem hic loquendi faciamus.

SECUNDA PARS.

Nollem, dilectissimi fratres, adeo in vestris colligendis spiritualibus necessitatibus esse prolixus, ut proponendis earum remediis tempus deesset; sed breviter omnia perstringamus. Noscimus quidem, quàm infirmitatibus vestris debeamus, utpote quæ nobis, procul etiam existentibus, enarrantur a multis, & nos plurimùm perturbant; ideo ea pro nostri debito officii tacere nequimus, & salutaria medicamenta cogimur in medium proferre. Consideremus, quæso, filii, quænam sit tantorum causa malorum; unde hæc in nobis Dei, & nostri turpis oblivio, ac Sacramentorum contemptus. *Vinum* (inquit Spiritus Sanctus), &

(*a*) *Cap. I. v. 2. 4. & seqq.* | (*b*) *Aggæi I. v. 7 & seqq.*

& mulieres apostatare faciunt homines (*a*), & auferunt cor. Sensuum ac vitæ corruptela aufert cor homini; facit, ut homines Dei obliviscantur, animæ suæ, cœlestis gloriæ, Inferni, Purgatorii: duo hæc sunt, e quibus tot sumunt mala originem, luxus ac ebrietas, & immorigerata vita, qua quis lasciviis deditus, jumentis assimilatur. Multi, ùt auditur, inter vos homines indigni, totos dies festos in cauponis & tabernis insumunt, potationibus & ebrietatibus vacant, & hæc dum faciunt, eorum uxores & filii domi fame pereunt, atque ita familias destruunt suas; quidquid per totam hebdomadam laborando sunt consecuti, inaniter consumunt; domesticos suos in desperationem adducunt, intellectum perdunt, mille committunt scelera; hinc postea ludi, hinc blasphemiæ, hinc jurgia, hinc contumeliæ, obscœnitates, & mille deflenda; hinc prava filiis relinquuntur exempla, qui cùm adolescunt, èt ipsi tabernas frequentant, & dicunt: sic pater meus facere consueverat; hinc etiam furta committunt. Altera verò malorum radix est incontinentia atque luxuria, quæ inter cetera peccata hoc præstat maximè, quòd hominis sensum enervat, & ei intellectum adimit; humanam naturam facit exuere, & bestialem assumere; ipsos denique, qui ei sunt dediti, non modò Deo & Angelis, sed èt hominibus reddit exosos, ignobiles, contemptibiles, infames, & absque honore. O filii, quot de vestro hoc Oppido hujusmodi nunciantur! Quàm multa de vobis dicuntur, quos vèl hoc solo ceteris deceret esse religiosiores, quòd in finibus vestris Ecclesiam habetis, in qua tantus ab exteris hominibus frequentissimus gloriosissimæ Dei Matri, Reginæ Cœli cultus exhibetur (*b*); in qua tam multas ejusdem Matris suæ precibus Deus gratias concedit: & vos tamen, ac si hæc omnia nescieritis, vitam Advocatæ vestræ purissimæ Virgini tam absimilem ducitis. Quid creditis, de vobis sit ipsa Virgo dictura? Quomodo (inquiet), ego Mater pulchritudinis & honestatis impurissimos homines protegam?

(*a*) *Ecclesiastici XIX. v. 2.*

(*b*) Celebrior cultus huic Sacratissimæ Dei Genitricis Imagini accessit, ex quo Sanctus Carolus anno MDLXXXI. excitato (suo præsertim ære) elegantissimo Templo, eandem ab exteriori vetustæ Ecclesiæ pariete, solemni instituta supplicatione, die x. Septembris ad aram maximam transtulit. Extant de hae re Pastorales Literæ hujus S. Antistitis ad Clerum, & Populum Urbis & Diœcesis Mediolanensis, in aureo Libro Actorum Parte VII. pag. 1094. Meminit quoque hujus celebritatis, Saroni peractæ, Glussianus in Vita Sancti Caroli Lib. VI. Cap. XIII., afferens, innumerum populum illue confluxisse, & Sanctum Carolum pontificalibus indumentis ornatum supplicationem duxisse, solemne Sacrum peregisse, e suggestu perorasse, & Sanctissimæ Eucharistiæ pabulum copiosæ multitudini Fidelium ad cœlestem mensam accedentium subministrasse.

tegam? quomodo pro eis advocabo? Ipſa vos, filii, accuſabit in judicio; iſte hominum ad hanc Eccleſiam concurſus vos condemnabit. Dicam, quod ſentio: Vereor, ne ex peſſimo hoc primo (quod audiſtis) malæ veſtræ vitæ principio, peſſimum aliud exoriatur, diſcordiæ videlicet ac inæqualitatis, quæ inter vos viget, in hujus Eccleſiæ, ac oblationum ei factarum adminiſtratione, quæ talis inter vos eſt, ut maxima exiſtat confuſio atque diſſenſio, maximo indigens reformationis & correctionis auxilio, quod vobis jam adſumus præſtituri; ita enim vellemus eam a vobis gubernari Eccleſiam, ut multò plura in poſterum bene de vobis dicerentur, quàm nunc mala dicantur; unde èt major ad eam fieret populorum concurſus, frequentiores ac copioſiores eſſent eleemoſynæ; atque ad eam magis exornandam vicini omnes populi redderentur inflammati: ubi namque pietas fuerit atque religio, creſcent hæc omnia: multiplicabit Dominus Deus gratias ſuas atque favores; at e converſo, cùm aliter fit, ſubtrahet dona ſua Dominus Deus. Sed jam ad remedia accedamus, quibus infirmitates, quas audiſtis, expellantur; ut cor, quod vinum, & mulieres tollunt, recuperetur. Alibi in ſacris literis docuit Dominus: *Attendite, ne graventur corda veſtra in crapulâ, & ebrietate, & curis hujus vitæ* (*a*); quæ duo, corda hominum gravant, crapulæ ſcilicet, ùt diximus, & ſeculi hujus curæ, ac nimia caducarum rerum ſolicitudo. Numquid prohibet Dominus his verbis, mercaturam licitè exerceri, domos & agros conduci, excoli campos, & hujuſmodi, quæ tamen hominum vitæ ſunt neceſſaria? Non hæc prohibet Deus, filii; imo hæc a principio juſſit, cauſante peccato, cùm dixit: *In ſudore vultus tui veſcèris pane* (*b*); ordinis tantùm reprobat confuſionem; ſolicitudinis damnat exceſſum; perjuria, quæ in his committuntur; illiciti contractus; dierum feſtorum violationes, hæc ſunt, quæ diſplicent Deo, hæc Deum lædunt. Cor refrænate, fratres; nimiam hanc temporalium rerum ſolicitudinem deponite. O infelix homo; denario animam tuam vendis? minimo lucello, cœleſti te privas hæreditate? tanto tibi ſudore, mortem æternam, inferni ignem, perpetuos cruciatus comparas? An ignoratis, quia unicum mortale peccatum vos æternæ mortis efficit reos, ut in eo reperti, ſi mors ſuperveniat, æternâ Dei ſitis viſione carituri? Recogitate per viſcera Domini noſtri Jeſu Chriſti, quòd corpus eſt, quod

(*a*) *Lucæ XXI. v.* 34.
(*b*) *Geneſis III. v.* 19.

quod corrumpitur & moritur; Anima verò immortalis eſt, & in æternum duratura: & tamen tam multa pro corpore, quod in inferno etiam ardebit perpetuò, facitis; pro anima verò veſtra, èt minima reformidatis? Quid vobis proderit, ſi minimas adepti facultates, ſi pauciſſimas congerentes pecunias, animam perdatis (*a*)? Quot inter vos ſunt, qui malè partis utuntur, qui pauperum eleemoſynas in ſuos uſus convertunt, ac hujuſmodi in ſinu ſuo nutriunt ſerpentes; ſciunt, quæ poſſident, eſſe non ſua, ſed pauperum; & tamen reſtituere differunt, ac morbum hunc amant, qui adeò altas in eorum animis radices figet, ut nec ſi velint, poſtea queant reſtituere, niſi maximo cum diſpendio. Clamant in vos pauperes, qui licèt hìc conſtituti clament, nec ullus eos audiat; aſcendunt tamen eorum clamores, & penetrant nubes, & ad Dei aures perveniunt, dicentes: noſtra ſunt, quæ hi temerè poſſident, noſter eſt ſanguis, nobis debentur, fame nos hìc opprimunt, nec eſt qui adjuvet nos; ſed reſpice tu Domine, *& redde retributionem ſuperbis* (*b*). Exaudiet, filii, illos Deus, qui creavit illos; & qui pauperum dici voluit & eſſe protector, eis jus reddet. Væ illis, qui congregant non ſua, qui malis & illicitis modis opes comparant! lapides illi, vineæ illæ, agri illi, quos injuſtè poſſidetis, contra vos clamabunt; & quid ad hujuſmodi vos reſpondebitis clamores? Eja igitur, conſtanti ac firmo animo, vitam corrigere ſtatuite: negotium agitur animæ veſtræ; quapropter ſeriò illud agite. Malo (dicat unuſquiſque veſtrûm) in paupertate mori, fame perire, mille laboribus confici, quàm me ipſum perdere, quàm Deum, cui tam multum debeo, offendere; opus Dei diligenter in poſterum agere decerno, ne mihi ſit væ; jam nec propter mercaturæ exercitium, vel apothecæ aſſiduitatem, Eccleſiam deſeram, aut Chriſtianæ Doctrinæ Scholas. Nonne officina eſt Eccleſia, nonne ſchola Doctrinæ Chriſtianæ apotheca, in qua ſalus animæ meæ tractatur? in qua ad eam conſequendam mihi adjumenta proponuntur? Fit homo, fratres, in dies fragilior atque debilior, ad malum pronior, in bonis operibus negligentior; nec tamen, quæ tantæ ſit infirmitatis cauſa, cognoſcit, & ob id miratur, ac deflet ſtatùs ſui calamitatem. Vultis ipſe horum vobis originem aperiam? Audite, & finem dicendi facio. Noverat Deus figmentum noſtrum, & imbecillitatem, ſed præ nimia dilectione, qua

(*a*) *Matth. XVI. v. 26.* | (*b*) *Pſalm. XCIII. v. 2.*

qua nos prævênit, plurima nobis reliquit, quibus adjuti corroborari possemus, Dæmoni resistere valeremus, ac ejus eludere insultus: sed cur ea non utentibus prosunt, aut non sumentibus? Invisit infirmum Medicus, morbi vìm noscit, medicinam porrigit, quam si sumat decumbens, pristinam proculdubio recuperabit valetudinem: renuit ille accipere, & moritur. Quis huic mortis causa fuit? num Medicus? an non potius ipsemet sibi? Heu, filii, noverat infirmitates nostras optimè Dominus Deus; opportunas nobis, easque suavissimas, proposuit medicinas, Sanctissima videlicet Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta. Quotidie peccamus, & quotidie curari nolumus, in annum Eucharistiam differimus; bis, & aliquando sæpius corpus reficimus, & anima semel tantùm in anno cibata, quomodo fame languere non poterit, quomodo fortis esse, quomodo operari? Animæ contemptus hæc omnia effecit mala; cùm tamen potissima sit nostrì pars; cùm in ea omne salutis nostræ negotium consistat, ùt èt indicat Spiritus Sanctus in Ecclesiast. fine, ubi, cùm multa præmisisset pulcherrima, & quæ memoriæ commendentur dignissima, veluti omnium compendium, omnia comprehendens subjunxit: *Deum time, & mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo* (*a*). *Primùm* igitur *quærite* omnes *Regnum Dei*, & *justitiam ejus*, saluti vestræ operam date, orationibus incumbite, ad Ecclesias frequenter accedite, Sanctissima Sacramenta crebrò sumite; tamdem quod superest temporis, negotiis temporalibus juxta Dei præscriptum peragendis tribuite: *& hæc omnia adjicientur vobis* (*b*); ac qui spiritualiter hic in Mundo vixeritis, cœlestem in perpetuum demum ducetis, & omnibus bonis refertam vitam: qua utinam potiri det nobis, qui pro nobis, ut viveremus, mori non recusavit, Dominus noster Jesus Christus in secula benedictus. Amen.



HO-

(*a*) *Ecclesiastes XII. v.* 13. | (*b*) *Lucæ XII. v.* 31.

HOMILIA XXIII.

AD

POPULUM SARONI

DIŒCESIS MEDIOLANENSIS

Habita in Oratione veſpertina (a).

Feria III. Dominicæ I. poſt Pentecoſtem

ANNO MDLXXXIII. VII. JUNII.



ÆC, ùt vobis heri dicebamus, hora eſt orationi admodum congrua, atque opportunum tempus, quo ſe homo intra ſe ipſum recolligat. Solent homines, qui mercaturam exercent, & negotiis ſunt impliciti ſecularibus, veſpere, dati & accepti, ac utriuſque ſupputationes videre. Cur non èt idem in iis, quæ ad ſpiritum pertinent, faciant Chriſtiani, cùm tanti ſint momenti? Cur non Deo Optimo Maximo, ſerò ſaltem, pro innumeris eo die acceptis, etiam quæ neſciunt beneficiis, ac pro evitatis periculis, gratias agant? Quot omnes peccata commiſiſſemus, in quas non incidiſſemus calamitates, niſi Dominus adjuviſſet nos? An non paulò minùs in inferno habitaſſent animæ noſtræ? Præſtat tantùm Chriſtianus homo Ethnicis, ſuæ dignitate vocationis; cur non èt differat præſtantiâ converſationis? Illi omnia caſu agere videntur; nos verò omnia a Deo venire ſcimus, abſque ejus voluntate nil fieri. In hujus igitur ſignificatione profeſſionis, expedit, veſpere ſaltem de commiſſis veniam a Deo petere, de acceptis gratias agere,

(a) Saluberrimo Inſtituto veſpertinæ Orationis in Urbe, & Diœceſi Mediolanenſi initium dedit Sanctus Carolus anno MDLXXII. Paſtoralibus Literis datis ad omnes fideles ſub die V. Aprilis, quæ leguntur in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis Part. VII. fol. 1005. ac regulis ſtatutis, ut tum in publicis compitis, tum in privatis domibus ad æris campani ſonitum, quilibet ad Deum oraret, de commiſſis culpis pœniteret, & pro acceptis beneficiis gratias referret.

re, conſcientiam diſcutere, commiſſa deflere, emendationem ac confeſſionem contrito corde proponere, ut tranquillo animo cubitum concedamus. Miſer peccator & infelix, qui lethalibus peccatis onuſtus, Deo inimicus, is cubitum, & neſcis an mane futurus ſis vivus; cùm tamen ſcias, ſi te mori contingat, te in gehennam detrudendum, quomodo dormire potes? quomodo te tam multi, qui incolumes decubuerunt, manè mortui inventi non terrent? Veniam ſaltem a Deo pete, contritus eſto, ac quàm primùm potes peccata deponere ſtude; hoc enim Chriſtiani hominis officium eſt. At verò orationis ſtudium, quàm Deo eſt gratum, qui domum ſuam, orationis domum eſſe voluit; quàm Chriſtianum hominem decet! Felix profectò anima precibus dedita, quæ in neceſſitatibus ſuis ad orationis confugit remedium, quæ ſpes ſuas omnes in Deo collocat: beatæ domus illæ atque familiæ, ſic Deo innixæ. Ut igitur utiliſſimum hoc ſtudium, tum alia Chriſtiana officia toto animo complectamini, verba illa, quæ in hodiernæ Miſſæ fine audiviſtis, quæ aliàs Apoſtolis ſuis Dominus dixit, vobis meditanda propono: *Ego vos elegi, ut eatis, & fructum* plurimum *afferatis, & fructus veſter maneat* (*a*). Cur hìc nos poſuit Dominus? Numquid, ut quieſcamus, an non, ut operemur potius, & ambulemus ad Patriam? Cogitet Chriſtianus unuſquiſque, obſecro filii, finem ſuum: Cur, (intra ſe dicat) ad Dei ſum imaginem creatus? cur ceteris creaturis omnibus prælatus? cur pro me mortuus eſt Dei Filius, poſt tot ac tantos, quos pertulerat, labores; niſi ut ad Cœlum ambulem, ut in Dei via proficiam, ad Patriam proficiſci contendam? Non ergo ad ludendum, ad bibendum, ad intemperanter comedendum, ad poſſidendum campos, domos, & vineas, ad lucrum ſectandum, ad deliciis diffluendum natus ſum; hæc enim vel animalium propria ſunt, vel eorum hominum, qui de corpore tantùm, numquam verò de anima cogitant. Cur tot inſtituit Dei Filius Sanctiſſima Sacramenta, cur tam multa obtulit auxilia, cur tot dedit præſidia; niſi ut Deum poſſideam, ut ejus æterna perfruar viſione? Et ego dignitatis meæ oblitus, in terra conquieſcam? terra contentus ero? fini meo deero? hanc mihi injuriam faciam? Si id agam, minimè ſanè ſim dignus, quem Dominus vivere permittat. In Mundi exordio, temporibus Patriarchæ Noë, cùm corrupiſſet omnis caro viam ſuam, & omnium peccatorum generibus ſe homines commaculaſſent: *Tactus* (inquit Scriptura) Deus *dolore cordis intrinſecus* dixit: *Pœnitet me feciſſe hominem, delebo eum a facie terræ* (*b*).
Non

(*a*) *Joannis XV. v. 16.*

(*b*) *Geneſis VI. v. 6. & ſeq.*

Non potest, dilectissimi, Deus pœnitentia duci, neque enim in eum ullæ hujusmodi cadunt perturbationes; sed ad nostrum se captum accommodans, nostro modo locutus est Dominus. Si quis vestrûm vineam plantasset, ac eam summo studio coluisset, ut desideratum ex ea fructum perciperet, sed diu expectatas numquam produceret uvas; nonne hujusmodi vineam evelleret, & scinderet, atque combureret, dicens: Quid faciam de vinea ista? cur eum locum frustra occupare permittam? Sic èt Deus, o filii, plantavit in Mundo hominem, ut eat de virtute in virtutem, ut fructum afferat salutis: expectatum non modò talem non profert fructum, sed fructus facit iræ & inferni; numquam de fine cogitat, numquam ad eum tendit. Quid igitur (dicet Deus) faciam de homine hoc, qui ad quid sit factus ignorat, & suo fine frustratur? Cavete igitur, ne terram inutiliter occupantes, vos Dominus eradicet, & in inferni ignem projiciat; sed ad Deum oratione confugite, supplices ab eo petite, ut vobis det cor, ut intelligatis, & viam Dei aggrediamini, in eàque ad finem usque ambuletis, ut fructus vester maneat; nec enim cœpisse sat est, nisi opus consummetis. Invisam vos hac de causa in posterum sæpius, filii, potissimùm religione erga gloriosissimam Dei Matrem, quæ apud vos adeò signis & gratiis fulget, allectus, & bene quidem, ut dicatam ei etiam consecrem Ecclesiam. Interim autem, ut ad finem vestrum feliciùs tendatis, Altari huic in Ecclesia vestra extructo, auctoritate mihi a Sanctissimo Domino nostro Summo Pontifice Christi Vicario concessa, Indulgentias omnes Societatis Sanctissimi Rosarii gloriosissimæ Cœli Reginæ concedo, eamque nobilissimam Sodalitatem instituo, quam vos omnes hortor intretis, ac in ea filios vestros & filias describi faciatis; & puræ immaculatæ Advocatæ vestræ vitam moribus exprimentes, vivatis. Societati etiam Sanctissimi Sacramenti in hac ipsa Ecclesia vestra erectæ, eàdem, qua supra, auctoritate omnes concedo Indulgentias, Societati institutæ in Ecclesia Sanctæ Mariæ supra Minervam in Urbe Roma concessas, quæ quidem sunt maximæ. Videte, quales vobis largior thesauros; iis obsecro utimini, ut decet, Sanctissimum Sacramentum frequentiùs in posterum sumite; cùm ad infirmos defertur, id comitemini: ut bonis operibus hìc insistentes, in via Domini ambulantes, fructus gratiæ proferentes, gloriæ tamdem fructibus in cœlesti Patria perfruamini. Amen.

HOMILIA XXIV.

IN DIE CORPORIS CHRISTI

HABITA IN METROPOLITANA MEDIOLANI INTER MISSARUM SOLEMNIA

ANNO MDLXXXIII. IX. JUNII.



NTER cetera omnia Christi Salvatoris nostri mysteria (dilectissimæ animæ), quæ cum Sacrosancta Matre Ecclesia colimus, licèt omnia sublimia sint atque altissima, hodiernum tamen institutionis Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, quo se in animarum fidelium cibum relinquere dignatus est Dominus, ita est altum, ita elevatum, ut omnem superet humanæ mentis intelligentiam. Tanta est summi Dei dignatio, tanta in hoc caritas elucet, ut omnis deficiat intellectus, ut non modò verbis eam explicare, sed nec mente concipere quisquam possit. Quia tamen pastoralis dignitatis officio, ad vos verba facere debemus, de hoc etiam nonnihil dicemus: duobus verò potissimùm capitibus breviter hic sermo perstringetur; nam, tum quæ hujus instituendi mysterii, tum quæ hoc tempore hujus itidem recolendi causæ sint, declarabimus.

In veteri Testamento legitur nobilissima illa Agni Paschalis historia, qui in quavis familia ac domo comedi jubebatur; si quid verò residuum fuisset, quod manducari non potuisset, igne comburi. Erat Agnus ille, immaculati Agni Christi Domini nostri figura, in Crucis Altari, æterno Patri pro nobis offerendi, quem ejus Præcursor Joannes videns exclamaverat, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi* (*a*). Docuit nos pulcherrima figura illa, quidquid de hoc Paschali Agno contemplationis dentibus manducari non posset, id esse totum amoris igne comburendum (*b*); sed cùm mecum ipse cogito, quòd se Dei Filius totum nobis largitus sit in cibum, nullus quidem reliquus videtur esse huic divisioni locus, sed universum hoc mysterium igne amoris comburendum. Quid, quæso, filii, Deum Optimum Maximum impulit, ut se miserrimæ huic creaturæ, homini

(*a*) *Joannis I. v. 29.* | (*b*) *Exodi XII. v. 10.*

homini a principio rebelli, qui a creationis suæ initio, vetitum pomum gustando, e terrestri Paradiso in hanc miseriarum vallem expulsus fuerat, qui tam variis quotidie sceleribus Deum ipsum provocaverat, huic, inquam, communicaret in cibum, nisi solus amor? Erat is homo ad Dei similitudinem creatus, in deliciarum loco constitutus, omnibus creaturis prælatus (ceteræ quippe omnes ad ejus usum conditæ fuerant); transgressus est Dei præceptum, vetitum pomum gustando, & *cùm in honore esset, non intellexerat*, unde *comparatus fuerat jumentis insipientibus, & similis illis factus* (*a*), quare èt cibis illorum vesci cogebatur. Sed adeo semper hominem dilexerat Deus, ut de ejus, statim ac ille ciderat, reparatione cogitaverit; & ut eum a jumentorum averteret cibo (videte infinitam caritatem), ipse se ei dedit in cibum. Tu Christe Jesu, qui Angelorum es panis, hominum rebellium, peccatorum ingratissimorum fieri non dedignatus es cibus. O humanæ excellentia dignitatis! quàm est longè major lapsu reparatio! quàm calamitates antecellit hæc dignitatis sublimitas! O singularis a Deo nobis præstitus favor! O inexplicabilis Dei erga nos amor! Solus hic Deum ad tam multa impulit. O quàm ingratus, qui hæc corde non cogitat, qui sæpe non meditatur! Præviderat omnium Conditor Dominus atque prænoverat infirmitatem nostram, ac quàm spiritualis hæc vita nostra spirituali, sicut èt temporalis temporali opus esset habitura cibo, unde tam abundantem utrique disposuit cibum; illi quidem corporeum, spirituali verò eum, quo nunc Angeli fruuntur in Cœlis, ut eo nos, sub panis & vini specie obtecto vesceremur in terris. Elisabeth Dei serva sanctissima, Dei Matris adventum sentiens, non potuit non exclamare: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me* (*b*)? At quantò magis exclamare deberet homo, Deum ipsum in se recipiens: Unde hoc mihi infelicissimo peccatori, ingratissimo, indignissimo vermi, & non homini, opprobrio hominum, & abjectioni plebis, ut veniat ad me, domum meam ingrediatur, animam meam, latronum speluncam a me toties effectam, inhabitet Dominus meus, Creator, Redemptor, & Deus meus, in quem Angeli prospicere desiderant?

Celebrat hodie, ut ad secundum propositum caput accedamus, dilectissimi, hujus mysterii sanctissimi solemnitatem Ecclesia, nec immeritò; proprius enim huic celebrando esse videbatur feriæ quintæ in Cœna Domini dies, quo a Salvatore nostro Christo, Sanctissimum hoc Sacramentum institutum fuisse cognovimus: Sed quem-

(*a*) *Psalm. XLVIII. v.* 13. (*b*) *Lucæ I. v.* 43.

admodum probus ac bene institutus filius, patre in extremis vitæ constituto, atque animam agente, qui amplam ei & opulentam relinquat hæreditatem, de patrimonio tunc temporis cogitare non potest, solùm deflendo Patri intentus; ita èt Sancta Mater Ecclesia, Christi Sponsa & Filia, per illos dies, acerbissimæ Passionis ac mortis cruciatibus deplorandis adeò est implicita, ut Sanctissima Sacramenta tunc temporis instituta, præsertim verò amplissimam hanc ei relictam hæreditatem, ùt vellet, celebrare non valeat; unde huic celebrationi diem istum constituit, quo peculiari quodam modo de tam amplo dono ingentes Christo Regi ageret gratias, quas quia pro imbecillitate nostra referre non possumus; ideo qui omnia ab æterno noverat Dei Filius, in hujus Sanctissimi institutione Sacramenti, ipse infirmitati nostræ succurrens, pro nobis Patri *gratias agens, benedixit, & fregit* (*a*); hac itidem institutione nos abundantissimè erudiens, ut quantas maximas possumus, ei pro tanto munere semper gratias habeamus.

Sed cur istud memoriæ huic recolendæ tempus instituit Sancta Mater Ecclesia, nempe post omnium aliorum Christi mysteriorum celebrationem, post Natalis, Resurrectionis, in Cœlos Ascensionis, Sancti Spiritûs missionis dies? Non frustra, filii, aut absque causa; est namque mysterium hoc sanctissimum adeò ceteris correspondens, ac ad omnia alia tam efficax remedium, ut iis omnibus jure sit adjungendum; hoc enim sacratissimo Altaris mysterio, hac vivifica Eucharistiæ sumptione, hoc cœlesti pane adeò efficaciter Fideles Christo junguntur, ac si ipso corporis ore, ejusdem Christi lateri aperto adhærentes, ex eo amplissimos Sacramentorum omnium thesauros sugerent. Sed aliam attendite hujus rei causam: Inter ea, filii, quæ hactenus coluimus Dei mysteria, ultimum omnium fuit ejus in Cœlum Ascensio, quam ideo tunc diximus factam, ut cœlestis Regni, suo & nostro nomine possessionem acciperet, ut eam patefaceret potestatem, de qua paulò ante dixerat: *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra* (*b*). Ac quemadmodum Rex quispiam, Regni alicujus accepturus possessionem, ad eam se in primis confert Civitatem, quæ totius est Regni caput ac Metropolis; similiter èt qui Regis nomine Regnum illud administraturus novus accedit Magistratus, aut Princeps: sic èt Christus Cœli & terræ amplissimam nactus potestatem, atque omnimodum jus, Cœli in primis possess-

(*a*) *Matth. XXVI. v. 26. Lucæ XXIV. v. 30.* | (*b*) *Matth. XXVIII. v. 18.*

possessionem accepit, unde èt hoc denotans, Sancti Spiritûs dona effudit in homines; sed èt in terris regnare decernens, se ipsum hìc etiam in Sacratissimo Altaris Sacrificio, in Sanctissimo hoc, cujus institutionem hodie colimus, Sacramento reliquit. Hanc ob causam extraordinario quodam modo hodie id per Civitates & Oppida honorificè deportari, ac ab omnibus deduci mandat Ecclesia. Cùm Pharao Rex potentissimus Josephum honorare voluisset, eum per Civitatem deduci mandavit, atque ita omnibus ejus innotescere magnitudinem, qui cùm somnia Pharaoni explicasset, ad eum Rex dixit: *Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus Populus obediet; uno tantum Regni solio te praecedam: Ecce constitui te super universam terram Ægypti; tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus, vestivitque eum stolâ byssinâ, & collo torquem auream circumposuit, fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante praecone, ut omnes coram eo genu flecterent, & praepositum esse scirent universae terrae Ægypti* (*a*). Assuerus similiter iisdem Mardochæum prosequi cùm vellet honoribus, regiis indutum vestibus, equo suo insidentem, eum hac itidem ratione ab Amano deduci mandavit, ac clamari: *Hoc honore condignus est, quemcumque Rex voluerit honorare* (*b*). Vult Deus hominum corda possidere; vult ab omnibus hominibus, ùt æquum est, coli: ideo hodie honorificentissimo apparatu a Clero & Populo, a Prælatis & Magistratibus deductus, Civitates perambulat & Oppida; publicèque hac ratione protestatur Ecclesia, quia hic est Rex noster, & Deus, a quo accepimus omnia, cui èt omnia debemus. O filii in Domino carissimi; cogitabam ipse, dum pauló ante Civitatem lustraremus, tantam hominum multitudinem ac varietatem, qui ad hæc usque tempora, ad hunc usque diem, tam misera pressi fuerunt servitute, tam longo tempore, tam vilibus, & crudelibus Dominis inservierunt. Intuebar miseros tot juvenes lasciviis ac libidinibus implicitos, qui ventrem sibi constituerunt, ùt Apostolus ait (*c*), Deum; qui enim finem sibi aliquem ponunt, hi hunc Deum suum esse volunt; omnium enim finis est Deus. Ah renuncient hi Carni atque luxuriis, tabernis atque cauponis, malis societatibus atque peccatis; & verum hunc, quem hodie nobis protestatur Ecclesia, cognoscant Deum. Deflebam intolerandam vanarum quarumdam mulierum superbiam & fastum, quæ

(*a*) *Genesis XLI. v. 40. & seqq.*
(*b*) *Esther VI. v. 11.*
(*c*) *Ad Philippens. III. v. 19.*

quæ se sibi ipsis Idola constituunt, quæ tam multas matutini temporis, quod orationibus esset tradendum, horas propriæ faciei expoliendæ, ac contorquendis crinibus insumunt; quæ novas quotidie vestes expostulant, quibus infelices viros suos reddunt, mendicos filios relinquunt, patrimonia eorum absumunt; unde mille mala proveniunt, unde illiciti contractus, unde non solutiones æris alieni, unde non satisfactiones piorum legatorum, unde omnimoda Dei Optimi Maximi, ac animæ propriæ oblivio. Contemplabar avaros tam multos, ac inferni mercatores, utpote qui tanto pretio sibi æternum ignem acquirunt, de quibus loquens Apostolus non immeritò dixit: *Avaritia est Idolorum servitus* (*a*), qui præter aurum, nullum alium habent Deum; qui actiones suas omnes, & verba huc dirigunt solùm, ut de acquirendis pecuniis, emendis agris, opibus comparandis agant, & cogitent. Non poteram non mirari quorumdam infelicitatem, qui Statuum prudentiæ, ùt dicunt, dediti, eam solam semper ob oculos habent propositam: qui, si quid Divina lex præcipiat, Statuum huic, quam ipsi nominant, legi contrarium (proh miseros ipsos, & infelices!) divinam legem pedibus conculcare non dubitant, & Deum diabolicis hisce suis Inventis cedere compellunt. O deplorandos homines! & hi Christiani sunt nuncupandi, qui se ipsos, & Mundum pluris, quàm Christum faciunt, idque publicè profitentur? Hæc omnia Idolorum genera, Sancta hac Eucharistiæ institutione destruere Dominus venit, ut clamemus hodie jugiter omnes cum Isaia Propheta ad Dominum: *Tantum in te est Deus, & non est absque te Deus. Verè tu es Deus absconditus, Deus Israël Salvator* (*b*). O bone Deus, inservivimus hactenus sensui, carni, mundo; fuit hucusque venter noster, & caro nostra, aurum nostrum, Status noster, noster Deus; abrenunciamus jam nos Idolis hisce omnibus, & te solum verum Deum veneramur, & colimus, qui tot in nos contulisti beneficia, & hoc potissimum, quòd te nobis in cibum reliquisti. Fac, obsecro, ut cor hoc nostrum sit in posterum tuum; nihil nos amplius a caritate tua divellat. Mori millies malumus, quàm te vèl minimum lædere; sic enim tuâ hìc gratiâ proficientes, tuâ itidem in perpetuum gloriâ perfruemur. Amen.

HO-

(*a*) *Ad Ephes. V. v. 5. Ad Colossens. III. v. 5.* | (*b*) *Cap. XLV. v. 14. & seq.*

HOMILIA XXV.

IN DIE CORPORIS CHRISTI

HABITA IN METROPOLITANA MEDIOLANI POST COMPLETORIUM

ANNO MDLXXXIII. IX. JUNII.



QUAM suavis est, Domine, spiritus tuus, qui ut demonstrares dulcedinem tuam in filios tuos, pane de Cœlo præstito, esurientes implesti bonis, divites dimittens inanes! Canit hodie (a) S. Mater Ecclesia in hac præsenti solemnitate, dum celebrem tanti doni recolit memoriam. Quomodo ergo nos, filii, dulcissimam hanc Dei memoriam gustare deberemus, qua nulla suavior, nulla jucundior, qua summus Dei erga nos amor ostenditur; est quippe insignis divini illius amoris effectus, qui èt sua se virtute gustare facit. Consideremus omnes, quæso, verba illa Apostoli Pauli, quibus hujus Sanctissimi institutionem Sacramenti describit (b); & quàm magnum omnia spirent amorem videbimus: *Dominus*, inquit, *Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & manducate: hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem.* O Christiani, quantam vim habent prima illa verba: *qua nocte tradebatur*; quo tempore ei tot a discipulo suo, quem ipse tot affecerat beneficiis, tendebantur insidiæ; quo ei a populo tot parabantur injuriæ, tot opprobria, tot tormenta, & mors denique ipsa, vilissima ita & crudelissima; quo inquam tempore in eum illi similia meditabantur; & ipse, qui *corda* hominum *scrutatur, & renes* (c), hæc omnia clarissimè videret, eo prorsus tempore atque hora, tam singulare Christus in peccatores homines sibi adeò infensos parabat beneficium, tam validam phreneticis nobis medicinam diluebat, tam suavem famelicis nobis cibum disponebat. Vide homo, quales rependit injurias, quibus beneficiis maleficia excipit! Quàm te hæc ipsa hujus horæ meditatio ad Dei deberet amorem incendere, & ad diligendum eum, qui

(a) *In Antiphona ad* Magnificat.
(b) *I. ad Corinth. XI.* quæ legitur in Missa per totam Octavam hujus Solemnitatis.
(c) *Psal. VII. v.* 10.

qui tanto te proditorem prosequutus est amore! O mira amoris significatio! Illi tibi mortem parant o Christe, & vides; & illis cogitas vitam. Illi tibi struunt insidias; & tu eos a Diaboli laqueis dissolvere statuis. Quid mirer magis? an proditoris ingratitudinem, an tuî benignitatem? Sed hanc magis profectò, cùm tui sit proprium parcere & misereri; cùm tam homines semper dilexeris, ut jure meritò alibi dixeris: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur (a)?* Et quàm hoc voluisti, quot id modis curasti, quot ad hoc usus es mediis & instrumentis! Audite, filii, quàm multis: Creavit in primis ex nihilo hominem Deus, & ad suî illum effinxit imaginem atque similitudinem; in Paradiso voluptatis collocavit eum; creaturis omnibus illum præfecit; ad ejus usum illas omnes creavit: Sed his omnibus minimè contentus, Angelos etiam ipsos, tam nobiles creaturas rationales hominibus inservire voluit, eosque custodire, ac toto eorum vitæ spatio iis adesse: & hæc Deo nulla videbantur; cùm ipse personaliter e Cœlis descendit in terras, homo factus, omnibus humanis infirmitatibus subjici non dedignatus, se denique vivens nobis dedit in socium, moriens in pretium, discedens a nobis, in Sanctissimo Sacramento reliquit in cibum, daturus postmodum in cœlesti gloria in præmium. O quàm meritò cum Regio Propheta Davide exclamare possumus omnes! *Quid est homo, quòd memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum (b)?* in cujus vigere memoria tam valde desideras, ut hanc ob causam ei te in Sacramento hoc præstantissimo reliqueris? Tu, qui bonorum nullius eges, cujus sunt Cœli & terra, quodnam ab homine commodum, aut gloriæ & honoris augmentum expectare potes, ut tam ab eo quæras honorari? Sed nobis prodest, o filii, hanc divini amoris immensitatem agnoscere; hinc nostra pendet utilitas maxima, ideo tam multis eam operibus & signis voluit ostendere Dominus. Et quoniam tanti momenti est res hæc; ideo nos, qui juvandis vobis atque promovendis in Domino maximè studemus, in idque semper invigilamus, sicut divinis Officiis & Sacrificiis per totam præsentem Octavam Ecclesia Sancta hoc Sacratissimum Mysterium prosequitur; sic etiam curabimus, ut de ejus dignitate, præstantia, & utilitate ad vos quotidie pomeridianis horis verba faciat Reverendus Pater Franciscus Panigarola, quem optimè nostis (c). Nos etiam,

(a) *Lucæ XII. v. 49.*

(b) *Psal. VIII. v. 5.*

(c) Celeberrimum hunc Divini Verbi Præconem tanti fecit Sanctus Carolus, ut illum, ad porrigendum Gregi suo e suggestu Majoris Templi cœlestis doctrinæ pabulum, per plures annos Oratorem delegerit. Biennium impendit explicandis ibidem post prandium Jeremiæ Prophetæ Libris, ùt Possevinus in Caroli Archiepiscopi Vita testatur Cap. IX. Singulis quoque sextis feriis,

etiam, quibus id munus maximè congruit, die Sabbati, qui dies Apostolo Barnabæ sacer est, cui vos omnes Mediolanenses plurimum debetis, utpote majorum vestrorum Patri, qui primus in hanc Provinciam Fidem intulit Christianam, ac Religionis in ea semina jecit; die itidem Dominico, eadem de re sermonem habebimus. Quid quæso, his omnibus requirit Ecclesia Mater vestra? Nil aliud, filii, nisi ut tantum agnoscatis beneficium, ut grati sitis, ut immensam hanc gustetis dulcedinem, ut penetrent hæc cor vestrum. Cur non debet vel hinc maximam Christianus devotionem elicere, cùm se Deo, coram Sanctissimo Altari, astare cognoscit? Quæ est hæc ejus dignatio, ut nos sibi, quoties volumus, permittat assistere! quantam sola hæc hujus præsentiæ contemplatio habet vim & efficaciam! Dum Christus, antequàm Cœlos ascenderet, inter homines vivebat, suâ corporali præsentiâ tot faciebat miracula, tot mortuis vitam, cæcis visum, infirmis restituebat sanitatem; cur & jam sanctissimâ suâ præsentiâ ferrea corda nostra non poterit disrumpere atque emollire, sicque disponere, ut ejecto Dæmonis contubernio, dent intra se locum Spiritui Sancto?

Bernardus servus ille Dei Sanctissimus, cùm in Aquitaniæ finibus Wilelmus Comes quidam admodum protervus existeret, qui in Schismate vivens divina omnia humanaque jura perverterat, e propria sede Episcopos quamplurimos expulerat, Ecclesiastica bona usurpaverat, Ecclesias infestare, omnesque Christi fideles insectari non desinebat, cùm hic veluti alter Pharao, obstinato & indurato corde videretur, cùm ad eum multoties & alii plurimi Religiosi Viri, & Bernardus in primis accessissent, ut eum a pravo proposito dimoverent, ac protervum filium in Matris benignissimæ amplexus reducerent: quodam die, Sacris ferè peractis, post osculum pacis, ad Comitem hujusmodi extra Ecclesiam, cujus hostis erat acerrimus, consistentem, accepto in manibus Sanctissimo Sacramento Bernardus accedens, libera eum fronte allocutus, sic fertur dixisse: „ Hactenus, o Comes, Dei servis semper
„ restitisti, eorum verba neglexisti, varias potius eis intulisti inju-
„ rias. Rogavimus te, & sprevisti nos; supplicavit tibi in altero,

riis, de Passione Domini ad Populum peroravit, ipso Sancto Antistite mandante, & simul audiente. Lucem viderunt Sermones isti, numero centum, edente ipso Panigarola, anno MDLXXXV.; ampliori tamen forma digesti, cùm Sanctus Carolus mediæ tantùm horæ spatium præscripsisset ad eos publicè proferendos. Eloquentissimum hunc Virum secum in Mesoleinam Vallem duxit Sanctus Cardinalis, ut concionibus suis hæresis labem, & invalescentem magicæ artis superstitionem abstergeret, aboleretque. Id autem tam felici eventu peractum est, ut, recedente ab ea regione Sancto Carolo, petierint incolæ, ne ab ipsis amoveretur Panigarola, qui eos tanto caritatis spiritu ad exercendam virtutem inflammaverat, ut Cap. XXIV. scriptum reliquit memoratus Possevinus. Præclaras ejusdem laudes in hoc concionandi genere fusè prosequitur Cardinalis Federicus Borromeus Libro II. de Sacris suorum temporum Oratoribus.

„ quem jam tecum habuimus, conventu, ſervorum Dei ante te adu-
„ nata multitudo, & contempſiſti; eris-ne adeò contumax, ut ſervo-
„ rum Domino ad te perſonaliter accedenti, debitum non præſtes ob-
„ ſequium? Hunc, qui corpus tuum perdere poteſt, & animam mit-
„ tere in gehennam; hunc, qui judicaturus eſt vivos & mortuos, non
„ extimeſces; hunc Deum ipſum, Dei Filium pro te natum, tam mul-
„ ta paſſum, & mortuum non revereberis? Ecce ad te proceſſit Filius
„ Virginis, qui eſt Caput, & Dominus Eccleſiæ, quam tu perſequeris.
„ Adeſt Judex tuus, in cujus manus illa tua anima deveniet: numquid
„ èt ipſum ſpernes? numquid èt ipſum, ſicut ſervos ejus, contemnes?
Tantam hic Sanctiſſimi Sacramenti intuitus habuit vim, tantum ejus potuit præſentia, ut qui priùs ferociſſimus leo fuerat, mitiſſimus ſtatim agnus evaſerit; & qui omnibus per fas & nefas imperare voluerat, imperanti Bernardo in omnibus obtemperaverit, in proprias ſedes ejectos Epiſcopos reſtituerit, dolo ablata reddiderit, Religioſos omnes viros reveritus ſit; ac novus omnino homo effectus, expavit totus & obriguit, membriſque tremebundis metu & diſſolutis, quaſi amens ſolo provolvitur: elevatus a militibus, rurſus in faciem ruit, nec quidpiam alicui loquens, aut intendens in aliquem, ſalivis per barbam defluentibus, cum profundis efflatis gemitibus, epilepticus videbatur (*a*). Hæc fuit mutatio, o filii, dexteræ excelſi; hæc vitalis hujus Sacramenti præſentiæ efficacia. Hæc eadem, cùm id publicè adoratis, cùm ad infirmos, aut per Civitatem deferri videtis, vos moveat atque emolliat, ut dicatis ſinguli: Hic Deus meus eſt, hic Dominus, hic Paſtor, hic Judex, hic remunerator meus, cujus deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum, qui tam ſibi complacet eſſe nobiſcum; hujus ego gratiâ cor meum terrenis omnibus extricabo negotiis, atque vacuum effectum, Dei tantùm implere conabor amore. Cedant jam in me Deo omnia: *Subjecta* eſto *Domino anima mea; ab ipſo enim ſalutare meum* (*b*). Dirumpite corda veſtra peccatores. Rogavit vos toties per ſervos ſuos Dominus, & ſpreviſtis; mille modis ad pœnitentiam vocavit, & contempſiſtis; prædicationibus, inſpirationibus, flagellis, peſtilentiis corrigere tentavit, ſed omnia in vanum. Ecce ad vos procedit Filius Virginis, ipſemet perſonaliter homo & Deus, in cujus manus, veſtræ animæ advenient, quem vos pravis veſtris operibus perſequimini, probris & injuriis laceſſitis, quem blaſphematis, quem provocare numquam deſinitis. Adeſt Judex veſter, numquid èt illum ſpernetis? non audietis? Sed

jam

(*a*) Hæc retulit in Vita S. Bernardi Alanus Epiſcopus Antiſſiodorenſis, pluraque ejus verba adoptavit in hoc Sermone S. Carolus Borromeus.

(*b*) *Pſalm. LXI. v.* 1.

jam vos solitas pauperibus erogate eleemosynas, dum cetera paucis perstringam.

Secunda Pars.

De Sanctissimi hujus Sacramenti usu, ùt diximus, futuris duobus festivis diebus loquemur. Jam aliqua de honore, qui ei est ab omnibus præstandus, dicamus, & dum publicè defertur, & cùm ad id frequenter sumendum acceditis; qua potissimùm ratione maximè colitur Deus, & ad quem præcipuè finem hæc sunt instituta mysteria. Jam audistis a nobis hoc mane, publicam ab Ecclesia Sancta hisce Processionibus fieri protestationem Christianæ acceptatæ Religionis, & quod hic est Deus noster, & non est alius Deus præter ipsum. Armat jam Dæmon, quod ét post Christi in Cœlos ascensum fecit semper, sed modò acriùs & diligentiùs, satellites suos, novas quotidie suscitat hæreses, ut præsentaneum hoc medicamentum e medio tollat, ut omnem instituti hujus Sanctissimi memoriam ex hominum mentibus deleat. Quid, ut hoc assequatur, non facit, quid non molitur, quid non tentat? Videte vos ipsi, quid in tot Mundi Christiani Provinciis effecerit: quid in Germania, quid in Anglia, quid in Flandria, quid inter vobis finitimos Gallos? Cur ergo ét vos non debetis armari ad Dei honorem acriùs propugnandum, ad Dæmonem confundendum, ad Sanctissimum hoc Sacramentum, quo spiritualis vita nostra omni adminiculo fulcitur, extollendum? Hanc ob causam tot in singulis Civitatis hujusce Parœciis institutæ sunt Societates, tot Confraternitates: sed quàm multi in eis descripti, suo desunt officio! Cùm ad infirmos defertur, quàm pauci illud comitantur! & inter hos paucos, quàm multi sine candelis accensis! Dignatur ipse, qui est Cœli & terræ Rex, habitare in medio nostrì; & nos eum colere dedignamur! Ob id, ut in omnibus, quantum possumus, vobis & saluti vestræ consulamus, hujusmodi Societatem Sanctissimi Corporis Christi in Majori hoc Templo erigi mandavimus, cui indulgentias omnes, aliis ubique hujusmodi Societatibus, illi præsertim, quæ extat in Ecclesia Sanctæ Mariæ supra Minervam Romæ a Summis Romanis Pontificibus concessas, auctoritate nobis a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio divinâ providentiâ Papa XIII. moderno Christi Domini in terris Vicario, communicatâ concedimus, & annectimus; in eàque omnia ad unguem observari studebimus, quæ ab ejus Societatis Confratribus fieri expediet. Vos interim omnes rogamus in Domino, ut de salute vestra soliciti, in ea adscribi curetis; Processionibus, quæ de more singulis mensibus fient, intersitis; cùm ad infirmos salutare Viaticum defertur, qua decet Reli-

Religione id comitemini; Scholam hanc denique Christi frequentetis. Neque sit aliquis vestrûm, qui dicat: apothecæ me adesse oportet; negotiis multis implicitus sum. Annon hoc præcipuum est animæ vestræ negotium? Destruet ergo apotheca Christi Scholam? impedient Dei cultum terrena negotia? Quin imo potius primùm quærite Regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis, cuncta prosperè evenient. Sunt etiam nonnulli, qui, cùm ante Altare Sanctissimum transeunt in quo residet Deus, vix genua flectere sciunt, unum tantùm inclinant. Miseri, & infelices! Deus pro vobis prostratus procidit in terram toties; & vos eum, cui omne genu flectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum, omni possibili modo adorare recusatis! pro ejus honore vos, vestraque omnia expendere non vultis! Abundatis vos vanæ mulieres vestibus sericis & aureis, annulis, gemmis, unionibus, torquibus, inauribus, & mille hujusmodi funibus auratis, quibus vos constringent Dæmones: & vos homines nova quotidie excogitatis caligarum & vestium genera; & pauper ac nudus in Parœciis vestris, absque pixide alicubi, alibi absque conopæis, & in nudis Altaribus residet Christus: & super his non commovemini? non suffundimini pudore? Erubescebat David ille Sanctissimus ad Nathan loquens, quòd Arca Dei sub pellibus in tentoriis existeret, ipse verò in Regia domo; sic dicens: *Vides-ne, quòd ego habitem in domo cedrina, & Arca Dei posita sit in medio pellium* (a)? Et vos non extimescitis, cogitantes, quòd caro vestra, auro & sericis operiatur; Christi verò Caro & Sanguis lineis pannis tegatur? Tot vos deleiciis diffluitis; & tam multa Christi membra in Monasteriis tam Religiosorum, quàm Monialium, fame pereunt. Amore, amore vobis opus est, o adamantina pectora, saltem modico; quo nisi penitus careretis, si quæ ejus in vobis existeret scintilla (mihi eredite), apertè cognosceretis, vos numquam tantum posse præstare, quantum deberetis in Dei honorem, & vestri demissionem. Duo vellem, filii, quotiescumque in hoc Sacramento Sanctissimo Christum intuemini, vobis venirent in mentem, illis Prophetæ verbis comprehensa: *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus? Et si Pater ego sum, ubi est honor meus* (b)? Sic ex Altari illo vos o Mediolanenses alloquitur Dominus: O mercatores, ego vos ad me feci, ut essem vester finis; & vos alia omnia cogitatis, præter me; ego omnia, quæ possidetis, vobis donavi; & vos poscenti pauperi, qui personam meam refert, imo postulanti mihi nec minimam eorum partem restituere vultis: vos contra jura mea sanguinem pauperum

(a) *II. Regum VII. v. 2.*

(b) *Malachiæ I. v. 6.*

perum bibitis, contractus illicitos exercetis, festos & mihi sacros dies violatis, honorem meum conculcatis. *Et si ego Dominus, ubi est timor meus? si ego Pater, ubi est honor meus?* Improbi filii: præcepi ego vobis, ut parentes vestros honoraretis, ut addatur gratia capiti vestro; ut membra vestra, quæ Templum sunt Spiritus Sancti, pura & munda custodiatis: vos autem deliciis diffluitis, ebrietatibus & crapulis tantùm attenditis. *Si ego Dominus, ubi est timor meus? & si ego Pater, ubi est honor meus?* Vanissimæ fœminæ, quas in adjutorium hominum creavi, cur hominum estis perditio, pompis illis vestris, fucis, ornamentis, contortis crinibus, quibus veluti fortissimis funibus eorum animas ligatis; tempus, quod orando mihi & colendo exhibere deberetis, fœtidis vestris carnibus ornandis impenditis? *Si ego Dominus, ubi est timor meus? & si ego Pater, ubi est honor meus?* O quàm multum hodie didicissetis, o filii, si duo hæc veluti firmissima axiomata cordibus vestris insculperetis, timorem Deo, & honorem deberi! Hic, diceretis, volo mundana omnia antecedat; huc omnes meas statuo dirigere actiones; vèl ipsam mortem oppetere malo, quàm ulla in re divino deesse honori. Juvabit ad hoc vos maximè, ut in eo potissimùm perseveretis, frequens Sanctissimæ Eucharistiæ susceptio; ipsemet Christus, ipse quæcumque Mundo dura videntur & aspera, vobis reddet facillima. Elias ille Propheta, ùt in Missæ prima lectione manè audivistis (*a*), impiissimæ fœminæ Jezabel persecutionibus & minis valde terrebatur, & adeò, ut in desperationem fermè adduceretur. Misit Angelum suum Dominus, qui eum bis & tertiò a somno excitavit, eique subcinericium panem tradidit manducandum; in cujus fortitudine panis, ambulavit Elias quadraginta diebus, donec ad Montem Dei Oreb pervènit. Jezabel Dæmon, Jezabel Mundus, Jezabel Caro, o quàm miseros homines terrent! quàm eis ardua Christi faciunt præcepta, quàm difficilè humiliari, malas relinquere societates, injurias remittere! Sed subcinericium hunc panem, Christi Corpus & Sanguinem sumite frequentiùs, &, mihi credite, omnes itineris difficultates superabitis, & pervenietis tamdem ad Montem Dei Oreb, ad cœlestem illam Jerusalem, ubi quem nunc sub panis & vini speciebus intuemini, facie tunc ad faciem, cum Angelis Sanctis conspicietis. Quod vobis concedat, qui, ut id assequeremur, pro nobis in ligno Crucis est mortuus, Christus Jesus in secula benedictus. Amen.

HO-

(*a*) *III. Regum XIX. v. 2. & seqq.*

HOMILIA XXVI.

DE

SANCTO BARNABA

IN EVANGELIUM MATTHÆI CAP. X.

Euntes prædicate dicentes: quia appropinquavit Regnum Cælorum.

Habita in Metropolitana Mediolani inter Missarum solemnia

SABBATO DOMINICÆ I. POST PENTECOSTEM

ANNO MDLXXXIII. XI. JUNII.



ODIE, dilectissimi in Domino filii, Festum celebramus, quod meritò dici potest natalis noster, Festum, inquam, gloriosi Apostoli Sancti Barnabæ, a quo Mediolanensis hic Populus, spiritualis vitæ principia sumpsit; qui primus Christianæ Religionis, Evangelici luminis, sanctissimi Baptismi semina hic jecit; qui ideo particulari est a vobis devotione colendus (*a*). Qui dies, quoniam in hanc sacratissimam incidit Octavam, quâ memoriam celebramus singularis illius ac maximi mysterii, & in nos collati beneficii, quo se nobis in cibum Christus Dei Filius relinquere est dignatus; ideo decet, ut eodem tempore aliqua simul connectamus, quæ ad utramque pertineant meditationem.

Oppor-

(*a*) Mediolanensium traditionem de adventu Sancti Barnabæ io hanc Insubrum Metropolim, integra Dissertatione, Apologismis suis insertâ, propugnavit eximii Vir ingenii Nicolaus Sormanus Collega noster. Traditionem hanc adeo ratam habuit Sanctus Carolus, ut in Concilio Provinciali VI. celebrato anno MDLXXXII. Natalem Sancti Barnabæ diem ex præcepto colendum statuerit, eundem ceteris huic Urbi & Diœcesi jam indictis festis Sanctorum diebus adnumerans.

Opportunam autem huic contemplationi præbet occasionem hodierna, quam paulò ante audistis, sacri lectio Evangelii, in quo missio Apostolorum ad Evangelium prædicandum narratur; magna itidem pars instructionis ipsis a Christo datæ continetur; tum quemnam fructum, qui Evangelium recepissent, consecuturi forent; quæ item damna & mala imminerent illud minimè recipientibus, exponitur. Considerabimus igitur nos, quomodo Barnabas divinis monitis parens, quò fuit missus, iverit: quomodo tradita præcepta servaverit, datæ se conformaverit instructioni; divitias etiam aliqua ex parte perpendemus Apostolicæ prædicationis, ac magnos inde subsecutos fructus, sed omnium potissimum ipsummet Christum, in hoc Sacratissimo Altaris Sacramento contentum. Vos interim attendite.

Salvator noster, o filii, cùm inter nos conversaretur, ac inter homines viveret, se ipsum impendens totum, nullis parcens laboribus ac vigiliis, ut opus adimpleret, ad quod peragendum ab Æterno Patre fuerat missus, Redemptionis scilicet nostræ mysterium, non solùm ipse in id insudare ac laborare voluit, sed alios etiam sibi adhibere statuit hujus operis coadjutores. Hæc fuit Apostolorum expeditionis causa, cùm eos prædicare misit, & miracula faciendi illis tradidit potestatem, dicens: *Euntes autem prædicate, dicentes: quia appropinquavit Regnum Cælorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, Dæmones ejicite*.

Instruit etiam eos, qualiter ire deberent, ac munus hujusmodi missionis obire, illis verbis: *Gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas*, &c. Missionem igitur instituit, cùm dicit: *Euntes*. Officium Apostolicum fuit ire. Fuit hæc missio peculiaris, ad Judæos tantùm, & ad oves, quæ perierant domûs Israël, facta; quasi præludium amplissimæ illius missionis, quam post Resurrectionem suam in omnes Mundi partes Christus erat facturus, dicens: *Euntes prædicate Evangelium omni creaturæ* &c. In hanc assumptus postea fuit èt Barnabas Cyprius, unus ex LXXII. Discipulis, speciali tamen privilegio factus & nominatus Apostolus, ac Paulo in peregrinatione ac prædicatione socius constitutus; qui tam multas peragravit regiones, tot perlustravit provincias, sed in Antiochia potissimùm Evangelium seminavit, ubi primùm *Christianorum* nomen est inventum

tum

tum (*a*); ſolicitudinis Pauli, & Barnabæ eximiæ non minimum ſignum.

Excellens ſanè fuit hæc adeò extraordinaria Barnabæ ad prædicandum miſſio; ſed excellens etiam & ſingularis fuit ejus vitæ perfectio; primus enim fuit, qui ſe ſuis abdicans bonis campum vendidit, ejuſque pretium ad pedes attulit Apoſtolorum, ut Deo perfectiùs inſerviret: quod èt in Apoſtolicis Actis quarto capite Lucas narrat, his verbis dicens: *Joſeph autem, qui cognominatus eſt Barnabas ab Apoſtolis (quod eſt interpretatum filius conſolationis) Levites, Cyprius genere, cùm haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium, & poſuit ante pedes Apoſtolorum*. Tantæ fuit Barnabas perfectionis, & in dicendo & operando efficaciæ, ut eum, & Paulum turbæ conſiderantes, levaverint vocem ſuam Lycaonicè dicentes: *Dii ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam Jovem, Paulum verò Mercurium* (*b*).

Sed quis in eo erat, o filii, gloriæ Dei & animarum ſalutis zelus? Certè tam magnus, ut Apoſtolorum & Seniorum concilium, aut in eis potiùs Spiritus Sanctus, his, qui erant Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ ſcribens ſic diceret: *Placuit nobis collectis in unum, eligere viros, & mittere ad vos cum cariſſimis noſtris Barnaba, & Paulo, hominibus, qui tradiderunt animas ſuas pro nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti* (*c*). Quale recepit Barnabas fidei ſuæ teſtimonium non ab hominibus, perſonas magis quàm merita reſpicientibus, ſed a Spiritu Sancto! Beatum illum, qui tale, ac tantum a Deo ipſo meruit encomium. Vivebat adhuc Barnabas: nondum pro Chriſto mortem obierat; ſed tam multa jam pro ejus nomine ſuſtinuerat, ut de eo dici poſſet, quòd tradiderat animam ſuam pro nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti; ad id enim erat adeò promptus & incenſus, ut id meritò dici poſſet ſubiiſſe, quod pati ſupra modum deſiderabat. Et ideò juſtè Sancti hujus de ſe adeò benemeriti, tali illuſtrati præconio, ſolemnem hodie recolit Eccleſia Sancta memoriam.

Eſt hic ab omnibus Chriſtianis, ſed a nobis præcipuè, o Medio-

(*a*) Refert hoc S. Lucas in Actis Apoſtol. cap. XI. loquens de Paulo & Barnaba Antiochiam profectis: *Docuerunt turbam multam, itaut cognominarentur primùm Antiochiæ Diſcipuli, Chriſtiani*; priùs enim Nazareni, & Galilæi appellabantur. Sanctus Joannes Chryſoſtomus inter alias Antiochenæ Civitatis laudes hanc primo loco ſtatuit in Homil. XVII. ad Populum Antiochen. Tom. II. novæ editionis Pariſ. his verbis „ Quæ tandem eſt Civitatis „ noſtræ dignitas? Contigit primùm Antiochiæ, „ Diſcipulos appellari *Chriſtianos*; hoc autem, „ Civitatum quæ ſunt in Mundo, eunctarum „ habet nulla, nec ipſa Romuli Civitas.

(*b*) *Act. Apoſt. XIV. v.* 10. & 11.

(*c*) *Ibidem XV. v.* 25. & *ſeq.*

diolanenſes, colendus, ac debitis honoribus celebrandus; is enim, cùm magnam Orbis terræ partem unà cum Paulo perluſtraſſet, ab eo tamdem digreſſus in Italiam venit, inde Romam, poſtremò Mediolanum, ubi èt integrum ſeptennium commoratus, Idola deſtruxit, Fidem ædificavit, Dei veri cultum ſuaſit, Chriſtum prædicavit, Sacramento Baptiſmi quàm plurimos regeneravit, cujus èt tam illuſtris extat apud nos memoria ad Fontem Sancti Euſtorgii, in quo tam multos ille baptizavit, primam Miſſam celebravit, ubi etiam plurima Sanctorum Martyrum corpora demerſa fuerunt; qui èt primus Eccleſiam illam conſecravit. Quæ omnia cùm auditis, o filii, confundi deberetis & erubeſcere, quòd tam illuſtre monumentum, tam celebrem memoriam tam parvì faciatis, tam obſcuram apud vos ac ferme ignotam permittatis exiſtere. Videte, quàm meritò Pater noſter ſit nuncupandus hic Sanctus Apoſtolus; quantâ a vobis reverentiâ memorandus, qui èt ad unguem, quæ hodie ſingulis præceperat, exequi maximè ſtuduit; neque enim voluit poſſidere aurum aut argentum, neque pecuniam, ſed quidquid habuit, vendidit; licèt illa præcepta a Domino adeò exquiſita paupertas non omnes Evangelicos prædicatores pauperrimos ſemper eſſe debere deſignaret, nec eis umquam licere quicquam poſſidere; ſed hoc iis dumtaxat requirebat Chriſtus temporibus, ut futuris poſtmodum denotaretur, prædicatores omnes Evangelicos quovis debere ſe exuere carnali & mundano affectu, nullius favorem aut perſonam reſpicere, nullius gratiam aucupari, ſed liberè tantùm veritatem ſectari, ac Dei gloriam & animarum ſalutem exquirere.

Quæ omnia ùt executus eſt Barnabas, ſic èt reliqua ad literam facere non prætermiſit; ideoque ubi ejus non fuit recepta prædicatio, videte quàm id prorſus cum Paulo effecerit, quod faciendum præceperat Dominus. Illud ex Actis Apoſtolicis audite, & cum hodierni Evangelii verbis conferte. Scribit Lucas, cùm Antiochiam Piſidiæ veniſſent Barnabas & Paulus: *Judæi concitaverunt mulieres religioſas & honeſtas, & primos Civitatis, & excitaverunt perſecutionem in Paulum, & Barnabam, & ejecerunt eos de finibus ſuis. At illi excuſſo pulvere pedum in eos, venerunt Iconium* (*a*). Præceperat Dominus in eodem Evangelio: *Et quicumque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo, vel Civitate, ex-*

(*a*) *Act. Apoſtol. XIII. v.* 50. & 51.

cutite pulverem de pedibus vestris (*a*). Ecce quàm diligens Dominicorum præceptorum observator fuerit Barnabas.

Sed videamus ad quid Apostolos præsertim miserit Dominus: *Euntes*, ait in primis, quia, ùt diximus, est Apostolorum officium ire; est itidem eorum, qui illis successerunt, Episcoporum munus, ire, Diœceses suas visitare, mores pravos corrigere, bonos inducere, Evangelium prædicare, necessitatibus filiorum subvenire. Nam sicut visibilis Sol Cœlum circumeundo, tam multos & varios in his inferioribus producit effectus, tot modis in hæc omnia influit; sic èt Episcopus veluti Sol in Diœcesi sua, eam perlustrando debet quod infirmum est consolidare, & quod ægrotum sanare, quod confractum alligare, & quod abjectum reducere, ac quod perierat quærere, ne iis, qui hæc non agunt, dicatur a Domino: *Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum: & cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem, nec pascant ampliùs Pastores semetipsos; & liberabo gregem meum de ore eorum* (*b*). Idcirco si quando præsentiâ nostrâ vobis desumus, filii, scitote, quoniam èt aliis filiis nostris per Diœcesim sparsis oportet nos evangelizare; debitores èt illis sumus, & illis tenemur Sanctum Chrisma administrare, & alia impertiri, quæ, si hic essemus, facere nequiremus; ideo nos excusatos habete; adjuvate quinimo potiùs orationibus vestris ministerium nostrum. Cùm autem vobis adsumus, ex ipsa nostra præsentia fructus elicite debitos, vocem Pastoris vestri audite.

Audiamus verò, quidnam Apostolos prædicare jusserit Dominus: *Prædicate*, inquit, *dicentes: Quia appropinquavit Regnum Cælorum* (*c*). Quàm se mihi latus offert campus meditandi super his verbis, *appropinquavit Regnum Cælorum!* Cùm Dei Filius ex altissimo Cælorum solio descendit in uterum Virginis, cùm thesauros suos omnes attulit hominibus, cùm Ecclesiam sibi desponsavit, cùm tot adhibitis ministris, tot usus mediis nos ad se pertrahere studuit; cùm tot Sacratissima instituit Sacramenta; cùm totum pretiosum suum sanguinem effudit; cùm homines ad cœleste Regnum possidendum idoneos reddidit, quos peccatum antea fecerat inhabiles; cùm Cœli januas tam longo tempore occlusas aperuit: oh quomodo Cœlum terræ tunc appropinquavit! Quomodo terra tetigit Cœlum, quomodo Cœli fuit terra operimentum; cùm Deus

(*a*) *Matth. X. v.* 14.
(*b*) *Ezechielis XXXIV. v.* 10.
(*c*) *Matth. X. v.* 7.

Deus Humanitatem aſſumpſit, cùm *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*, cùm commercium, quod hominibus cum Cœlo fuerat interdictum, reſtituit! Sed adhuc magis appropinquavit terræ Cœlum, cùm Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum Dominus inſtituit, in quo perpetuò permanere decrevit, ac Eccleſiæ ſuæ ſemper adeſſe, nos numquam deſerere, eſſe nobiſcum uſque ad conſummationem ſeculi. Unde ego Barnabæ, & Apoſtolorum ſucceſſor, non ſicut illi, prædico vobis, *quia appropinquavit Regnum Cœlorum*, ſed quia jam Regnum Dei intra vos eſt, quoniam ipſe Deus Rex intra nos eſt realiter, ſicut èt glorioſus regnat in Cœlis Deus homo, in anima & corpore. Quàm magna eſt hæc Dei dignatio; quantùm nobis ſavet, quòd nobiſcum vult eſſe perpetuò, a nobis ad libitum noſtrum exorari, nos audire, nobiſcum habitare!

Gaudio mirabili perfuſus eſt Salomon, poſtquam Templum Domino ædificaverat; idque eum in maximam pertrahebat admirationem, atque ſic loqui cogebat: *Ergo-ne putandum eſt, quòd verè Deus habitet ſuper terram? Si enim Cœlum, & Cœli Cœlorum te capere non poſſunt, quantò magis domus hæc, quam ædificavi* (*a*)? Sed ſi vidiſſes, o Salomon, quæ per Arcam fœderis in Templo tuo exiſtentem figurabantur; ſi Templa noſtra ſpiritu inſpexiſſes, ac non ligneam Arcam, ſed ipſummet Deum in Templis noſtris ſuper ſacris Altaribus commorantem, non-ne in exſtaſim raptus fuiſſes? Quàm deberemus nos, o Chriſtiani, tantam Dei bonitatem ac amorem admirando, extra nos fieri! Moyſes ſervus ille Dei mitiſſimus, cùm Legem populo tradidiſſet, hoc donum hiſce verbis extollens dicebat: *Scitis, quòd docuerim vos præcepta atque juſtitias, ſicut mandavit mihi Dominus Deus meus: ſic facietis ea in Terra, quam poſſeſſuri eſtis, & obſervabitis, & implebitis opere. Hæc eſt enim veſtra ſapientia & intellectus coram populis, ut audientes univerſa præcepta hæc, dicant: En populus ſapiens & intelligens, gens magna. Nec eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris. Quæ eſt enim alia gens ſic inclyta, ut habeat cæremonias, juſtaque judicia, & univerſam legem, quam ego proponam hodie ante oculos veſtros* (*b*)? Sed o quàm lege illa excellentior eſt Chriſtiana! quàm populo illo nos admiratione digniores! quàm diverſimodè illis, ac nobis adeſt Deus! quàm differunt a ſuis noſtra Templa! quàm excellentius manna!

(*a*) *III. Regum VIII. v.* 27. | (*b*) *Deuteron. IV. v.* 5. *& ſeqq.*

na! quàm nobiliora præmia! quàm feliciora ſecula! Lex illa agenda tantùm, & cavenda indicabat; noſtra ad ea vires confert, & robur; mille proponit media. Videte in ſanctiſſimo Pentecoſtes die, quot nobis largitus ſit Dominus! Manna illud morituri manducabant; qui verò manducat hanc carnem, & bibit hunc ſanguinem, non guſtabit mortem in æternum. Verè, verè de nobis dici poteſt: *Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter* (a) appropinquat nobis. Trahit nos ad ſe, manet in nobis, manducatur a nobis. O excellentia Chriſtianæ Religionis inenarrabilis! o beneficium inexplicabile! o donum, cujus magnitudinem nec Angeli ipſi valent exprimere! Appropinquavit, appropinquavit, o filii, Regnum Cœlorum; quia Rex Cœlorum unitus eſt Eccleſiæ Sanctæ, unitus eſt vobis. O admirabile commercium! o immenſa Divinæ ſublimitatis dignatio! Hoc myſterium, hoc ſecretum eſt illud abſconditum a ſeculis, quod eſt Chriſtus in nobis. Hujus vos tantæ benignitati quid retribuetis umquam, o filii? Nihil umquam ſanè condignum, cùm finiti ad infinitum nulla ſit proportio. Sed audite, quid gratum ei reddere poſſitis. Pauper eſt Chriſtus; petit a vobis; ſuccurrite illi, eleemoſynam illi copioſam erogate: quod enim uni ex minimis iſtis facitis, illi facitis.

SECUNDA PARS.

Lubens, dilectiſſimi, ea omnia prætereo, quæ Apoſtolis præcepit Dominus ad ipſos ſpectantia; tam exactam, quam eis tradidit inſtructionem, ut idoneos eos redderet curandæ hominum ſaluti; quam cùm auditis, id certè cogitare debetis: quàm eſt igitur magnum hoc, ad quod deſtinabantur negotium! quanti Deus animarum ſalutem faciebat, quam ut illi conſequerentur, tot eos inſtructionibus Dominus præparabat! Ergo illi tam multa pro ſalute mea ſunt paſſi, tot noctes duxerunt inſomnes, tam pauperem vitam traduxerunt, tot ſuſtinuerunt incommoda; & ipſe, cujus res agitur, ſolus dormiam, ac ſi de re nullius momenti, ac non meà ageretur? Tanta in ſalutis meæ miniſtris vitæ perfectio requirebatur a Domino, & ad eam ego minimè aſpirabo! Miſſurus Eliſeus Giezi puerum ſuum, dixit ad illum: *Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade: Si occurrerit tibi homo, non ſalutes eum, & ſi*

(a) *Deuteron. IV. v. 7.*

si salutaverit te quispiam, non respondeas illi (*a*); Sic èt Dominus in Evangelio Lucæ hos ipsos septuaginta duos discipulos, inter quos èt Barnabas erat, mittens, præcepit eis dicens: *Neminem per viam salutaveritis* (*b*): est tamen humaniter factum, & moribus bonis congruum, salutantibus nos reddere salutem; sed cur id prohibuit Dominus? nempe ut ostenderet, tam magnum esse, ad quod mittebantur negotium, ut nulli rei alteri eis vacare liceret, sed totos se illi complendo impendere. O Ecclesiastice, o Sacerdos, qui in Dei partem es vocatus, cujus finis & munus est, solum Deum colere, exemplo aliis & verbo prodesse, quid tibi cum Mundo Dei inimico? quid tibi cum secularibus negotiis, quæ a spiritualibus animum distrahunt? Discite o Christiani, unicum vobis esse debere negotium animæ vestræ: huic cetera omnia negotia dent locum, cedant omnia; quid enim proderit vobis, si universum Mundum lucremini, animæ verò vestræ detrimentum patiamini?

Sed omissis singulis, quæ illis præceperat Dominus, ad prædicationis fructum propiùs accedens, subjunxit: *In quamcumque Civitatem, aut Castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit, & ibi manete, donec exeatis. Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui* (*c*). Et meritò id præcipit; quid enim est aliud, Evangelii Ministros domum intrare, quàm pacis optimum nuncium domui illi afferre? O quale nuncium! o quàm tuta pax! Nunciant, hominem Deo esse reconciliatum, Dei filium effectum, ejus gratiam per Pœnitentiæ Sacramentum recuperasse: *Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam; si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos.* O quantum inest, filii, domibus illis solatium, quarum habitatores Evangelii recipiunt prædicationem! Quàm magna inter viros & uxores, inter parentes & liberos, matres & filias, fratres & sorores, servos & dominos, inter vicinos & affines, agnatos & amicos concordia! quanta pax! quanta tranquillitas! quanta Sacramentorum Sanctissimorum frequentia; quia in iis habitat Christus, qui *caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo* (*d*)! At contra in domibus illis, quæ Evangelio non obediunt, quanta Sacramentorum fuga, quot lites, quot discordiæ, quot calumniæ, quot sanguinis effusiones! Patres, & matres sunt in filios impii; filii illis obedire recusant, perversis sunt moribus, fugiunt Ecclesias, tabernas frequentant,

(*a*) *IV. Regum IV. v.* 29.
(*b*) *Luc. X. v.* 4.
(*c*) *Matth. X. v.* 11. *& seq.*
(*d*) *I. Joann. IV. v.* 16.

tant, pravas retinent ſocietates, Deum blaſphemant, omnibus ſunt vitiis coinquinati: frater inſurgit in fratrem; dominus opprimit ſervos; ſervi dominum inhonorant; mille ibi murmurationes, detractiones, blaſphemiæ, ac diſſenſiones. Conferte, quæſo vos, filii, domos eas, in quibus homines exiſtunt, qui ſemel tantùm quolibet anno Sacratiſſimam Euchariſtiam ſumunt, cum iis, qui crebrò communicant, & videbitis quæcumque dixi, eſſe veriſſima. Sunt quidem aliquæ in his etiam imperfectiones, erratur aliquando; ſed èt ipſi homines ſunt, & *ſepties in die cadit juſtus, ſed reſurget; impii autem corruent in malum* (*a*).

Sed ſcio quid dicant illi: Nonne ſat eſt, ſi in Paſchate ſemel quovis anno communicem? Eſt quidem ſatis, ad hoc ut Eccleſiaſticas cenſuras effugias, ne vivens Eccleſiæ interdicaris ingreſſu, & moriens Eccleſiaſticâ careas ſepulturâ. Sed non ſatis eſt, ad hoc ut anima tua vivat, ut nutriatur, ut ſuſtentetur. Ut corporis vitam ſuſtentes, numquid unica cibi ſumptio in annum dilata ſufficiet? Heu miſer! Quoties corpus nutris, & quàm delicatè; animam verò tuam tamdiu abſque cibo perſiſtere poſſe crudelis nimium affirmabis? Acquiritur quidem Pœnitentiæ Sacramento ſpiritalis vita; nam anima, quæ peccando fuerat mortua, ſalutari illo Sacramento reviviſcit. Sed viva nullâ re magis conſervatur ac ſuſtentatur, quàm Sacratiſſimâ Euchariſtiâ, quæ ad hunc fuit potiſſimum finem inſtituta, ut quidquid corporalis cibus corpori, id totum hic Panis Angelicus animæ præſtaret. Fons eſt quidem omnium gratiarum, innumeros producit effectus; ſed hic eſt omnium maximus. Quomodo igitur ſemel tantùm in anno cibum capiens, animam ſuſtentare poteris aut reſtaurare? Miraberis poſtea, cùm tanta in te ſit ad bene agendum repugnantia, ac tanta infirmitas, quòd vèl minimâ injuriâ laceſſitus, Deum blaſphemes, vel primis Dæmonis ſuccumbas aſpectibus? Sed quid mirum? Poſſet-ne miles diu fame confectus pugnare? Et anima tua, inediâ ſpirituali conſumpta, fortis exiſtet? adversùs tam validos inimicos pugnabit? ullam poterit ſperare victoriam? Quanta igitur pax domui illi, quæ digna fuerit reperta! Quomodo verò ad Sanctiſſimum hoc Sacramentum ſit accedendum, cras Deo dante tractabimus.

Quicumque autem (ſubditur in Evangelio) *non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pul-*

(*a*) *Proverb. XXIV. v. 16.*

pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis: tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die judicii, quàm illi Civitati (*a*). O verba tremenda! o formidanda comparatio! *tolerabilius erit* Civitatibus illis, quas ita detestatus est Dominus, ut eas funditus everterit, super eas sulphure & igne pluerit. O quàm est grave delictum, infructuosum esse in nobis verbum Dei, illud cum fructu non audire, ex eo fructum non percipere! Quantus, o Christiani, timor ac tremor nobis inesse deberet, cùm hæc verba perpendimus, ad quos tam multæ sunt a Deo factæ missiones; quibus tot modis suam aperit voluntatem; in quos tam multa contulit beneficia; qui ei tam multum debemus; quos ad sui imaginem creasse, creaturis omnibus præfecisse, sanguine suo redemisse non suffecit, ut nobiscum etiam semper permanere voluerit, suaque nos carne & sanguine pascere, ac enutrire! Tolerabilius, mihi credite, erit omnibus Mundi nationibus, quàm nobis. Est quidem in talentis suis distribuendis, in donis communicandis liberalissimus Dominus Deus; sed erit etiam strictissimus atque exactissimus in exigenda ratione. Quamdiu Israëliticus Populus fuit in Ægypto, mille scelera commisit, idololatrare etiam est ausus, nec tamen ob quodpiam horum fuit pœna mulctatus; sed cùm eos ex deserto eduxit, duo tantùm ex sexcentum millibus Terram sunt promissionis ingressi. Mille eos cladibus affecit, immisit in eos ignem, serpentes, acerbissimè denique illos sæpissimè afflixit, quia magnis tunc affecerat beneficiis, quia in columna ignis illos præcesserat, quia Manna illos cibaverat; in quos namque Dominus est beneficus, in eos ingratos est etiam valde severus. Videte igitur, quomodo res nostra agatur, quale nobis sit futurum judicium, quos non ex Ægyptiaca Pharaonis, sed ex sævissima Diaboli servitute liberavit; quos non in columna ignis, sed Spiritu suo Sancto cœlitus misso præcedit, ac comitatur semper; quibus tot egregia concessit Sacramenta, quibus ministrandis tam multos reliquit Ministros, tam nobilem ordinavit Ecclesiasticam hierarchiam; quos non Manna illo, sed Corpore suo Sanctissimo pascit & Sanguine. Et ubi sunt fructus, o filii, quos hinc elicimus? Iidem semper sumus, infirmi semper, debiles semper, languidi semper, frigidi semper, Dei semper & animæ nostræ obliti. O intolerabilem ingratitudinem! Ecquid nobis erit expectandum, nisi ut mitiùs agatur cum Sodomitis & Gomorrhæis, quàm nobiscum! nisi ut iratus nobis Dominus dicat:

O

(*a*) *Matth. X. v.* 14. *&* 15.

O miſeri! Ego vos de nihilo creavi, ego ad veſtrum uſum omnia feci, ego Angelos vobis miniſtros deſignavi, ego pro vobis natus tàm multos ſuſtuli labores, ego pro vobis fui flagellatus, ſputis deformatus, clavis perforatus, ſpinis transfixus, lanceâ tranſverberatus, Cruci affixus, inter latrones reputatus, mortuus atque ſepultus; pro vobis reſurrexi; vobis ſedes paraturus in Cœlos aſcendi; vobis Magiſtrum miſi Spiritum Sanctum; ad vos tam multos Evangelii mei præcones deſtinavi, & Apoſtolos, & Prædicatores; domum veſtram non modò ipſe internis inſpirationibus accedo ſæpiſſimè, ſed externis etiam legationibus, ut jam inexcuſabiles ſitis. An-non Barnabam diſcipulum meum ad vos venientem, vobis prædicantem, tam multa inter vos facientem, quibus ad æternæ ſalutis conſecutionem juvaremini, & audiſtis, & vidiſtis? Vobiſcum ſemper ad vitæ finem uſque fui; ego vobis pater, magiſter, frater, ſalvator, via, veritas, vita, lux, oſtium, medicus, reconciliator, pretium, panis, cibus, & Deus fui, futurus etiam, niſi per vos ſtetiſſet, præmium; & hæc omnia fruſtra, in vanum omnia eſſe voluiſtis. Ite igitur, ite maledicti in ignem æternum, faciem meam numquam viſuri, inferni ignibus ſemper comburendi, cum Dæmonibus ſemper permanſuri.

Hæc procul dubio, filii, nobis evenient, niſi quid debeamus, crebrò cogitaverimus; niſi inanes omnes excuſationes eſſe cognoverimus eorum, qui ſe homines & fragiles eſſe objiciunt; quaſi verò non omnia poſſint in eo, qui illos confortat; quaſi major non ſit Dei gratia ad reſiſtendum, quàm omnis Dæmonis vis aut fraus ad oppugnandum; quaſi innumera media, tot Sacramenta, ipſummet Chriſtum non habeamus, ad hoc, ut hominem perfectum ipſi etiam in nobis exhibere poſſimus. Confortamini igitur in Domino, filii, & viriliter agite; cibum hunc Sanctiſſimum frequenter ſumite; oblatâ vobis à Domino gratiâ utimini; Sanctiſſimi Patris veſtri Apoſtoli Barnabæ veſtigiis inſiſtite, cujus etiam precibus & meritis, gratiâ Dei adjuti, vos omnes ſuperaturos difficultates confidite, & effecturos, ut hic regnet in vobis per gratiam Chriſtus, cum quo vos poſtmodum perpetuò regnetis in gloria. Amen.

HO-

HOMILIA XXVII.

Habita in Metropolitana Mediolani
Dominica II. post Pentecostem

ANNO MDLXXXIII. XII. JUNII.



T *factum est, discumbente Jesu in domo; Ecce multi Publicani, & peccatores, &c. Matth. IX.* Narrat Sacrum Evangelium, Animæ dilectissimæ, hoc mane convivium factum Domino nostro Jesu Christo in domo Matthæi, quò multi Publicani & peccatores concurrebant, ut mensæ assiderent, ad id attracti ejusdem Matthæi exemplo, cujus adeò subitam mirabantur deliberationem, ac vitæ mutationem, qui ad solam Christi vocationem, *sequere me*, secutus est eum: allecti etiam ejusdemmet Christi vocibus, qui vitæ æternæ verba habebat. Videntes autem hæc Pharisæi cœperunt murmurare, dicentes Discipulis ejus: *Quare cum Publicanis, & peccatoribus manducat Magister vester? At Jesus audiens, ait: Non est opus valentibus Medicus, sed malè habentibus: euntes discite quid est: misericordiam volo, & non sacrificium; non enim veni vocare justos, sed peccatores* (*a*): ideo namque cum peccatoribus conversabatur, ut eos ad pœnitentiam adduceret. Opportunè sanè & congruè infra hanc Octavam hujusmodi cadit historia; istud enim convivium, ad quod accurrunt tam multi, divitias designat cœlestis illius convivii, quod Mundo fecit Christus, ad quod omnes invitat, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos* (*b*). Omnes admittebat Publicanos & peccatores ad illam mensam Dominus noster: Numquid ergo ad Sacratissimam hanc Eucharistiæ mensam debent peccatores accedere? debent qui mortalibus culpis sunt coinquinati, communicare? Absit. Qua igitur huc ratione accedendum sit, jam dicere aggredior, licèt hac eadem de re & heri, & nudius tertius, copiosè admodum & eleganter loquentem Religiosum virum Patrem Franciscum Pani-

(*a*) *Matth. IX. v. 11. & seqq.* | (*b*) *Ibid. cap. XI. v. 28.*

Panigarolam audieritis; nos tamen, ne nostro desimus officio, breviter, qua id Sanctissimum Sacramentum sit præparatione suscipiendum, quo itidem studio frequentandum, agemus.

Heri abundè audivistis, nonnulla esse Sacramenta ad vivificandum instituta, hoc est ad animam a peccati morte liberandam, & vitæ gratiæ restituendam; ea autem sunt duo, Baptismus videlicet primò, & post ipsum Pœnitentia. At Eucharistia Sanctissima Sacramentum est propriè vivorum, vivos requirit ejusdem susceptores; eorum namque vitæ sustentandæ & augendæ causâ fuit instituta. Ideo qui manet in morte, qui in peccato est mortali, longè absit ab hac mensa; ad vitam prius accurrat, ad pœnitentiam, secundam post naufragium tabulam, confugiat, peccata sua Sacerdoti, dolens ac ea cavere in posterum statuens, confiteatur; est namque Confessionis Sacramentum prima & necessaria ad Eucharistiam dispositio; nam qui in morte existens ad vivificum panem sumendum accederet, audiat quid in eum Apostolus Paulus de hujus solemni loquens institutione dicat: *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit: non dijudicans Corpus Domini* (a). Peccat ille contra Corpus & Sanguinem Christi, ideo ejus dicitur reus, quia non dijudicat, non discernit, non considerat, quid sumat, quòd Dei, hoc est Christi, vivos & mortuos judicaturi, pro nobis passi, in Cœlo regnantis, puritatis omnis & candoris fontis, sit Corpus & Sanguis. Sed numquid hac erit Christianus sola præparatione contentus, ut mortalibus non sit flagitiis commaculatus? Minimè verò; sed adhuc adhibebit èt aliam, quæ magis fructuosam efficiat Eucharistiæ Sanctissimæ sumptionem: Venialia quoque peccata, confessione aut dolore saltem, abstergere conabitur; ea siquidem licèt gratiam non tollant, refrigerant tamen caritatem; & qui ea contemnit, paulatim in majora prolabitur; ùt enim longa infirmitas inducit ad mortem, sic venialia peccata viam parant ad mortalia: ac quemadmodum magna aquæ copia ignem prorsus extinguit, parva verò debilitat solùm; sic èt mortalia omnem tollunt gratiam, venialia verò imbecilliorem hominem reddunt atque infirmum; cui infirmitati curandæ maximum est adhibendum studium, etiam ante Sanctissimam Synaxim, ut copiosiores ejus in nobis fructus sentire valeamus. Debet etiam,

(a) *I. ad Corinth. XI. v. 28. & seq.*

etiam, o filii, Christianus quisque, cùm jam sacro assistit Altari, maximum ac peculiarem in se excitare actualis cujusdam devotionis affectum, qui hisce meditationibus potissimùm accendetur: Quò-nam infelix ego vermiculus accedo? quid sumpturus veni? quid facturus? Eum edere statui, qui Cœlum & terram verbo creavit; cujus providentiâ cuncta reguntur & gubernantur; qui vèl solo nutu omnia posset redigere in nihilum; cui data est omnis potestas in Cœlo & in terra; cui Pater dedit omne judicium; in quem Angeli desiderant aspicere; quem Dæmones contremiscunt; in cujus nomine omne genu flectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum; coram quo inventa est in Angelis iniquitas, & Cœli columnæ contremiscunt; coram quo omnes justitiæ nostræ sunt veluti pannus immundus; qui judicaturus est vivos & mortuos; qui candoris omnis, & puritatis est fons; qui omnem abhorret immunditiam & maculam: hunc impurissimus ego, vilissima creatura, millies in peccatum prolapsa, accedo comedere; hunc, cui tam multum debeo, qui me adeò dilexit, ut animam suam pro me dederit, ut mortem susceperit, ut se mihi in cibum reliquerit; ingratissimus ego, proditor ego, ad hunc edendum panem accedo. Sic Majestatis illius meditatio, timoris; bonitatis verò & caritatis contemplatio, amoris in nobis excitabit affectum, quibus duobus se maximè homo ad cœlestium fructuum abundantiam recipiendam reddet idoneum. Nam sicuti inferiores hæ causæ in iis magis operantur, quæ magis reperiunt disposita; sic facit èt Deus: & sicut Maris undæ vas, pro sui captu implent, sic èt cor nostrum, si curis omnibus, & negotiis hujus seculi, ac impuritatibus fuerit vacuum, aquâ divinæ gratiæ, quæ mare est immensum, pelagus profundum, implebitur. Utilis valde erit, o filii, ùt dixi, hic devotionis affectus, cujus notabilis defectus, Sacramenti contemptui adjunctus, talis esse posset, ut peccato mortali etiam homines inficeret; ideoque vitandus est maximè.

Libet hìc, dilectissimi, aliquorum, qui fortè jam absunt, deflere miseriam ac calamitatem, qui totum annum in offendendo millies Deo consumunt, innumeris committendis flagitiis impendunt, in omnia prolabuntur immunditiarum & peccatorum genera; sed accedente Paschate, circa majoris hebdomadæ finem, ut Ecclesiasticas censuras effugiant, ne digito ab omnibus ostendantur veluti infames, ipsâ Feriâ quintâ in Parasceve accurrunt,

& eâdem horâ confiteri ſtatim volunt, ac ſtatim communicare. Infeliciſſimi homines! callum in peccatis obduxerunt, pravos habitus contraxerunt, *inveterati dierum malorum* (*a*); & ictu oculi mundari volunt, ac Deo uniri. Scitis unde tanta proveniat ſolicitudo? ut citiùs videlicet tamquam canes ad vomitum redeant, priſtinam vitam reſumant, neve in ſe ipſis præparandis inſudent. O quomodo hi ſibi judicium manducant, & bibunt! Non hac intentione, non hoc fine eſt communicandum, filii; ſed ad Dei gloriam & honorem, ſicut ceteræ omnes actiones, èt hæc ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſumptio dirigenda; tum, ut animæ ſalus comparetur, ejuſdem infirmitas ſanetur, gratia augeatur, vita conſervetur & ſuſtentetur. Suſcepturos legem filios Iſraël tam multifariè præparari Dominus volebat, atque diſponi: qualem ergo recepturus legis Auctorem & gratiæ adhibebit diſpoſitionem, quæ longè minor non ſit, quàm requireretur? Multa quidem hic mihi eſſent dicenda, quæ in ipſo Communionis actu ſunt ſervanda; plurima etiam tradi poſſent ad meditandum capita: ſed quia de his omnibus fuſiùs a Religioſo Patre audietis, idcirco ea ſicco pede pertranſiens, vobiſcum conſiderare propono, qualiter Dei miſericordiis, & quàm crebrò ſit fruendum.

SECUNDA PARS.

Hæc pars, dilectiſſimi, ùt eſt admodum utilis & neceſſaria, ſic non unica concione tractari poſſet, ſed de ea eſſet quotidie loquendum: agitur enim de vita noſtra; vitam namque Dominus manducantibus pollicetur æternam, dicens: *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum* (*b*). Ad hunc propriè finem, (ùt ſæpius diximus, & iterum oſtendemus) inſtituta eſt Euchariſtia Sanctiſſima, ut nobis ſit cibus: quæcumque enim cibus corpori, ea affert animæ Euchariſtia. Duo ſunt in homine, quæ vitam conſtituunt, calor naturalis, & humidum radicale; calor humido nutritur, idque ſemper conſumit; ideo novo quotidie eget cibo, quo humidum reparetur; nam ſicut in lampade lychnus permanet accenſus propter oleum, qui lychnus oleum conſumit, ac niſi oleum addatur, lampas citò extingueretur; licèt èt olei additione, aliquo tamen temporis ſpatio, lychnus quoque conſumitur: ſic èt in animæ lampade. Lychnus eſt concupi-

(*a*) *Daniel. XIII. v.* 52. | (*b*) *Joannis VI. v.* 52.

cupiſcentia, ac peccati fomes; oleum verò eſt divina gratia; calor naturalis eſt concupiſcentiæ ardor; humidum verò radicale, gratia; ideo niſi novus quotidie cibus addatur, niſi gratiæ fiat augmentum, prævaleret fomitis ardor, ac tabeſceret citò anima noſtra. Cibum hunc, hoc gratiæ augmentum Euchariſtia Sanctiſſima confert; ipſa damnum ex concupiſcentiæ ardore proveniens reſtaurat: Quòd ſi damnum eſt continuum, cur non èt continua adhibeatur reſtauratio? Cur cogitatis, dilectiſſimi, ſub his viſibilibus panis & vini ſpeciebus tam magna abſcondita fuiſſe myſteria? Non alia de cauſa, niſi ut quemadmodum panis, & vinum in quotidianum corporis nutrimentum adhibentur; ſic èt Euchariſtia Sanctiſſima quotidie ſumeretur. Sed altiùs adhuc hujus rei cauſam perſcrutemur, hoc innixi veriſſimo axiomati, videlicet: omnia iis mediis ac viis conſervari, quibus propagata fuerint & aucta. Inſpiciamus, obſecro, quænam fuerint naſcentis florentiſque Eccleſiæ primordia, quomodo ita ſit amplificata, tam latè extenſa: nullam aliam ſanè cauſam hujus reperiemus, niſi quia perſeverantes erant tunc temporis Chriſtiani in fractione panis (*a*). O Mediolanum; quotidie omnis populus communicabat; non ſolis Sacerdotibus, & Regularibus, ſed Laicis quoque Seculo addictis hoc in uſu erat: & quàm magna inde fiebant Eccleſiæ augmenta! quanta Fidei propagatio! quanta in Evangelio prædicando ſequebatur libertas! quanta in martyriis ferendis conſtantia! quanta in mortibus ſubeundis alacritas! quantus humanarum rerum omnium, ac vitæ ipſius contemptus! Hinc Sebaſtianus multa primùm perpeſſus, Diocletiano obviam factus, ejus impietatem liberiùs accuſavit. Hinc Vincentius athleta fortiſſimus, nullis umquam vinci potuit tormentis. Hinc Polycarpus Marcioni obviam factus, interrogatus, an eum noſſet: *Cognoſco*, liberrimè inquit, *primogenitum Diaboli* (*b*). Hinc Ignatius ad Romanos ſcribebat: Utinam fruar beſtiis, quæ mihi ſunt præparatæ, quas èt oro mihi veloces eſſe ad interitum & ad ſupplicia, & allici ad comedendum me; ne, ſicut èt aliorum Martyrum, non audeant corpus attingere: quòd ſi venire noluerint, ego vim faciam, ego me urgebo, ut devorer; nunc incipio Chriſti eſſe diſcipulus, nihil de his, quæ videntur, deſiderans, ut Jeſum Chriſtum inveniam; ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, mem-

(*a*) *Act. Apoſt. II. v.* 42.
(*b*) Baronius ad ann. CLXVII. id refert ex Euſebii Libr. IV. Cap. XIII.

membrorum divisio, & totius corporis contritio, & omnia tormenta Diaboli in me veniant, tantùm Christo fruar. Hinc ministrantibus prunas Levita Christi insultabat Laurentius, & clamabat: Deum meum colo, & illi soli servio; & ideo non timeo, o Tyranne, tormenta tua. Sed èt in Virginibus atque omni fœmineo sexu, quàm erat virilis & infractus animus, ex hac sola frequenti Eucharistiæ sumptione causatus! Audite Luciam, Paschasio Præfecto dicenti: *Cessabunt verba, cùm ventum erit ad verbera*, viriliter respondentem: *Dei servis verba deesse non possunt, quibus a Christo Domino dictum est: Cùm steteritis ante Reges & Præsides, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini* (a); ac alia plurima hujusmodi. Audite Agnetem intrepido animo Symphronio obsistentem, ac exprobrantem: Nec divinum honorem Vestæ habere volo, quæ nihil aliud est, nisi ligneum aut lapideum simulacrum; & si virginitatem meam in discrimen adduxeris, mecum habeo custodem corporis mei, Angelum Domini, qui me inviolatam servabit. Quàm audacter Maxentium Catharina puella objurgabat! Sed quid ego, in commemorandis his, tempus contero, quorum mille pleni sunt libri? Quid mirum, si tanta in primis illis utriusque sexus Christianis erat fortitudo, qui (Cypriano etiam teste) hoc Sacratissimo cibo ad martyrium armabantur? & jure; *panis* enim hic *fortium* in scripturis sacris appellatus, fortitudinem tribuebat: hinc illis vincula, compedes, manicæ, carceres, jejunia, fames, multorum dierum inediæ, vigiliæ, equulei, patibula, fustes, gladii, cruces, rotæ, laminæ, sartagines, prunæ, ignes, bestiæ, plumbi & picis infusiones, spinæ, omnia denique alia innumera hujusmodi tormenta, dulciora iis erant super mel & favum; & ad mortem illi alacriùs properabant, quàm nos ad vitam. At ubi hæc cibi defecit sumptio, ubi Eucharistiæ cessavit frequentia, o quanta est subsecuta debilitas, quanta infirmitas, quanta imbecillitas! Quàm facilè hodie homines vincuntur, quàm facilè superantur! Vix Dæmonem conspiciunt, ac statim cedunt, succumbunt, Christo Duci terga vertunt; vèl minimâ lacessiti injuriâ, levissimo verbo provocati, blasphemiis suis Deum, & Sanctos lacerant ac improperant; fratrum sanguinem effundunt, concordiam rumpunt, caritatem scindunt, pacem dirimunt, amorem amittunt; minima propriæ utilitatis ratione, minimo lucello

(a) *Matth. X. v. 18. & seq.*

cello adducti, Deum negligunt, cœlum contemnunt, æterna bona despiciunt, animas suas pro nihilo habent, in infernum præcipites ruunt.

Cùm Christus Dominus Marci V. Archisynagogi filiam mortuam suscitasset, jussit dari illi manducare, ut animas nostras vivificatas diu consistere absque cibo spirituali minimè posse sciamus. Deplorabat id Isaias, dicens: *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non babuit scientiam, & Nobiles ejus interierunt fame, & multitudo ejus siti exaruit. Propterea dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum, absque ullo termino; & descendent fortes ejus, & populus ejus, & sublimes, gloriosique ejus ad eum* (*a*). Hæc est, o filii, Civitatum, hæc Oppidorum ruina, hæc calamitatum omnium origo, quòd Nobiles fame intereunt, quòd Magistratus comedere nolunt, quòd ii, quorum ad exemplum totus componitur Orbis, frequentem hanc Sanctissimæ Eucharistiæ sumptionem improbant; irrident eos, qui crebrò communicant; hypocritas appellant, sanctitatis simulatores nominant, & hos omnis plebs sequitur; & ideo tam valdè dilatatus est infernus, adeò os suum aperuit, tam multos quotidie deglutit ac devorat. Ego quidem, o filii, multa nonnullis abhinc annis in vestra hac Civitate sanctè fuisse instituta profiteor, rediisse multos ad bonam frugem, vitam quamplurimos honestè ac laudabiliter ducere, pia opera ferventiùs vigere, Deo ampliorem quàm antea cultum exhiberi, Ecclesiasticas cæremonias diligentiùs observari, orationibus magis attendi, frequentiores esse Populos ad verbi Dei auditum, ad sacras conciones & lectiones auscultandas. Sed quidquid boni factum est, fiet etiam in posterum; quemcumque ex nostris laboribus & vigiliis fructum resultare animadverterimus, huic soli Sacramentorum Sanctissimorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ frequentiæ referemus acceptum. *Attendite*, Mediolanenses, *ad petram, unde excisi estis, & ad cavernam laci, de qua præcisi estis* (*b*); considerate Orientis Ecclesiæ principia; recogitate fructuum, quos inter vos videtis, radices, & eas excolite, eas complectimini. Sed non deerit, qui dicat: Sæpe communico, frigidus tamen sum semper & tepidus; vix in me fructum agnosco. Et hoc ipsum est fructus, nosse quòd sis frigidus, hæc tua infirmitas est, quam quid quæso efficaciùs tollere valet, quàm gratia, quàm largitor gratiæ Christus? Quotidie peccas (inquit Ambrosius) quotidie sume. O nos mise-

(*a*) *Isaiæ V. v.* 13. *&* 14. | (*b*) *Ibid. LI. v.* 1.

miseros! quàm magnum est hoc, quòd ad ea, quæ tenemur peragenda, adeò sumus tardi, tam multa reperimus excusationum genera! Quid dicis Mercator? Mercaturam me oportet exercere, Apothecæ quotidie adesse, multa expedire negotia, ideo quotidie communicare nequeo. Vide quàm levis & frivola sit hujusmodi excusatio: Mercator aut es Christianus, aut non; si Christianus esse vis, & juxta Christi regulæ præscriptum, mercaturam exercere, quid prohibet, quotidie te communicare? An non si primùm Dei Regnum quæsieris, & justitiam ejus, cetera omnia adjicientur tibi? At si non, ùt Christianus, sed tamquam Ethnicus & Paganus vis negotiari, ad te meus non dirigitur sermo; jam enim tuo te ore condemnas. Hoc Patres omnes, & Sancti Ecclesiæ Doctores, & Gregorii, & Augustinus, & Chrysostomus, & Ambrosius unanimiter profitentur & prædicant, quod èt ipse moneo: Sumendum hunc cibum esse sæpissime. Sed scio multos etiam fore, qui dicant: se reverentià tanti Sacramenti adductos, ejus frequentiam non probare. At errant hi profectò; longè enim differunt viæ Dei a viis hominum: nimia namque inter homines familiaritas parit contemptum, quòd iis conviventes, eorum faciliùs errata animadvertimus; Dei verò frequentia reverentiam ipsius quotidie reddit majorem; nam qui ad eum propiùs accedunt, ejus magis cognoscentes potentiam, sapientiam, & bonitatem, ejusque dona gustantes, eum magis amare & revereri coguntur. Sed jam multos vestrùm ad salutarem hanc sumptionem inflammatos audio me rogantes, ut tempus iis certum præfigam, ac regulam certam Eucharistiæ Sanctissimæ sumendæ tradam, quibus eam ipse dare non possum; hoc namque ad animarum suarum moderatores spectat, qui quid eorum cuivis magis expediat, norunt faciliùs. Sed universalem illis ego Beati Patris Ambrosii regulam præscripserim: Sic vivant, ut quotidie communicare possint; nam qui quotidie non meretur Sanctissimum hunc cibum accipere, minus merebitur post annum, juxta dicentem: Qui non est hodie, cras minus aptus erit. Quæ communicanti in Paschate præparatio est? Mille implicari quotidie flagitiis, in peccatis senescere, malos habitus contrahere, permittere, ut in anima nostra firmissimas agat Dæmon radices, ejusque se, nemine repugnante, dominum constituat? At e converso, qui sæpius communicant, sæpius confitentur, pauciora & minora habent peccata, citiùs etiam disponuntur. Consulit Augustinus, ut, quemadmodum vivente ipso facie-

faciebant, ſaltem quavis hebdomada Laici communicent. Cùm orationem recitatis Dominicam, filii, panem petitis dari vobis quotidianum; hunc, hunc petite a Domino panem, quo animas veſtras enutriat. Non ſentietis, ſcio, ſtatim ac frequenter ſumere cœperitis, ingentes qui inde provenient fructus; ſed perſeverandum eſt vobis, nam neque qui arborem plantat, & quotidie irrigat, & circa eam terram fodit, viſibiliter ſtatim creſcere ac fructus producere conſpicit. Longanimitate opus eſt, filii, & perſeverantia. Id a vobis (ut finem faciam) per viſcera Domini noſtri Jeſu Chriſti peto, dilectiſſimi: incipite, quæſo, experimentum facere, ſingulis ſaltem menſibus ad ſacram menſam accedite, tum bis quolibet menſe, ſingulis deinde feſtivis diebus; & videbitis, quanta erit in vobis mutatio, quantum animæ veſtræ a ſe ipſis different. Guſtate, guſtate, apponite os, ut videatis, quàm ſuavis & pinguis eſt panis Chriſti. Idem eſt, qui in primitiva Eccleſia erat Chriſtus, eadem Euchariſtia, eadem illius vis; eoſdem percipietis, quos illi, fructus. Sed non ſufficit ſumere Chriſtum, niſi conformem ei etiam vitam ducatis. Non ſatis eſt Spiritus Sancti donis fuiſſe cumulatos, niſi reducantur ad uſum; *Si ſpiritu* igitur *vivitis*, *ſpiritu et ambulate* (a); *opera carnis* fugite, *quæ ſunt fornicatio*, *immunditia*, *impudicitia*, *luxuria*, *Idolorum ſervitus*, *veneficia*, *inimicitiæ*, *contentiones*, *æmulationes*, *iræ*, *rixæ*, *diſſenſiones*, *ſectæ*, *invidiæ*, *homicidia*, *ebrietates*, *commeſſationes*, *& his ſimilia* (b). Tribuat vobis Dominus, filii, ut Spiritu abundetis, fructus Spiritûs habeatis, qui ſunt caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas; ut ſpiritu viventes, ſpiritu et ambuletis, quo largiente Spiritu & hic gratiâ, & in Cœlo gloriâ pariter repleamini. Amen.



(a) *Ad Gal. V. v. 25.*

(b) *Ibid. v. 19. & ſeqq.*

HOMILIA XXVIII.
IN
CONSECRATIONE
ALTARIS ET CŒMETERII

Habita in Ecclesia Parochiali Valdomii (a) Diœcesis Mediolanensis

Feria III. Dominica II. post Pentecostem

ANNO MDLXXXIII. XIV. JUNII.



Hodie, dilectissimi filii, Altare majus Ecclesiæ vestræ pariter & Cœmeterium consecravimus: quod quidem ministerium postulat a nobis, ut de eo aliqua peculiariter dicamus, quò vos ex hujus Consecrationis recordatione, quotiescumque in posterum Ecclesiam hanc intrabitis, fructum uberem capiatis. Præparabantur in Veteri Testamento quæ Divino cultui inservire debebant, plurimis unctionibus, benedictionibus, atque cæremoniis, nec immeritò; æternus namque Deus omni est reverentia colendus. Erant illa plurima, & maxima, gravissimaque mysteria; sed quoniam Novum Testamentum nostrum longè est Veteri præstantius, res etiam Divino cultui mancipatæ, illis sunt excellentiores. Ideo Sacrosancta Mater Ecclesia a Spiritu Sancto edocta, solemniorem hujusmodi rebus Consecrationem impartitur. Longum esset, si singulas vobis, quas a nobis fieri vidistis, cæremonias, vellem explicare, earumque aperire mysteria. Sed id hujus non est loci, neque temporis: libet tantùm de eo, quod inter hæc omnia potissimum fuit, nempe de Altari breviter aliquid dicere.

Præ-

(a) Pagus hic situs est in Valle Travallea Plebis Bederi, quartæ Regionis Diœcesis Mediolanensis.

Præparari animadvertiſtis Altare hoc, ubi incruentum Sacrificium offerendum eſt Æterno Patri, ubi ſalutaris hoſtia pro populi peccatis immolanda, ubi preces & vota veſtra Deo porrigenda, tot orationibus, tot crucibus, tot incenſationibus, ac demum & tot, & tam ſæpe reiteratis ſacris unctionibus. Et verè alta ac ſublimis res eſt; digna etiam, atque tremenda ſalutaris hæc hoſtia, Deus ipſe, & Dei Filius, qui in hoc Altari pro nobis eſt quotidie Æterno Patri offerendus. Admirabile & ineffabile myſterium, humanum omnem atque Angelicum intellectum tranſcendens. Quid igitur mirum, ſi adeò ſolemniter Altaria, & Eccleſiæ Divino cultui dedicatæ conſecrentur? Sed quid hinc ad vos, o filii, provenit utilitatis? huc enim ſermones omnes meos dirigere libenter conſuevi, ut quæcumque a nobis dicuntur, ad praxim reducantur. Ex hac tantâ, quæ in ejuſmodi Conſecrationibus adhibetur, tamque exquiſitâ diligentiâ, ex meditatione itidem dignitatis, & Eccleſiæ ipſius, & rerum omnium ad Dei cultum pertinentium primò diſcere poteſtis, quanta religione, modeſtia, atque reverentia ſit in domo Dei permanendum. Hinc etiam conjicietis, non immeritò tam multa a Sanctis Patribus, a Summis Pontificibus, a ſingulis etiam Epiſcopis in eorum Diœceſibus ad hunc finem eſſe inſtituta, ùt ſunt, ſilentium in Eccleſiis ſervandum; in iis deambulationes, & vanas omnes collocutiones prohiberi; in eas mulieribus ingredi non licere, niſi velatis capitibus; in iiſque homines mulieribus permiſceri minimè debere, ſed ſuum cuique ſexui eſſe locum deſignandum, quò devotiùs omnes & attentiùs orationibus vacent; & alia hujuſmodi plura, quæ ipſius Dei Majeſtatem, ac domûs Dei ſanctitatem decent; in quibus coram Deo omnes aſtamus; quas Deus, qui ubique eſt, præcipuas ſibi tamen voluit eſſe domos, in quibus a nobis colatur. Et hæc prima eſt hujuſmodi Conſecrationum cauſa. Conſecrantur itidem Eccleſiæ ſecundò, ut homines juventur ad retundendas Dæmonum tentationes; id etiam, ùt audiviſtis in ipſis Conſecrationum precibus, a Deo concedi petit Eccleſia, tum Sacerdotibus, qui inter Deum & Populum mediatores exiſtunt, tum etiam ipſi Populo. Perhibent ſacrarum hiſtoriarum Scriptores, dum Eccleſiæ cujuſdam Romæ fieret Conſecratio, animalia quamplura immunda viſibiliter corporeis oculis inde egredientia conſpecta fuiſſe, quæ Dæmonum ex Eccleſiis fugam inviſibilem figurarent.

Dicat ergo hodie unusquisque vestrùm: Sancta Mater nostra Ecclesia, Sancti Spiritus magisterio semper edocta, quæ nihil frustra & inconsultò agit, tam multas hodie horas consumpsit, tot adhibuit cæremonias, ut Templum hoc, aut ejus Altare consecraret; idque potissimùm, ut mihi adjumento esset ad Deo assistendum, corpore pariter & corde, hoc est sine distractionibus ullis; ut ad orandum Deum ingrediens, Mundo, & sæcularibus omnibus curis valedicam. Juvabo èt ipse me, ac exhibitis mediis utar; recolligam a temporalibus omnibus cor, cùm ad omnes deflendas calamitates accedo. Ante orationem præparate, filii, animas vestras, ne sitis quasi tentantes Deum (*a*). Sunt inter vos multi, qui festivis diebus, antequam ad Missas audiendas accedant, in cœmeteriis confabulantur, variis locutionibus, plerumque etiam fortè obscœnis, tempus illud consumunt. O qualis est hæc detestanda ad orationem præparatio! Accedunt ad spectandum Sacrificium illud Sanctissimum, in quo memoria recolitur Passionis Filii Dei, & illud risibus & jocis præveniunt, tentantes Deum, qui licèt tentatus sustineat aliquandiu, veniet tamen dies, cùm justitiam exercebit suam. Esset tertia hìc addenda consideratio, qua unusquisque singillatim ritus atque cæremonias omnes adhibitas perpenderet, ac mysteria in ipsis latentia detegeret, quæ tamen hìc prosequi non licet. Sed ut ipsius Altaris aliquà ex parte secreta pandamus; ejus Consecratio, multarum rerum est veluti typus, quas vobis ob oculos ponit. Ostendit in primis, mirabilem quamdam Animæ vestræ consecrationem in templum Spiritus Sancti, in altare Dei factam, in quibus bona essent Deo opera offerenda; fuit autem id, cùm Sacramento Baptismi regenerati, Deo reconciliati fuimus. Si materialibus his Ecclesiarum Altaribus lapideis atque marmoreis tanta adhibetur reverentia; proh dolor! quanta spiritualis hujus altaris, Animæ nostræ esset habenda ratio? Et eam tamen tam multi, innumeris flagitiis, verbis obscœnis, nefariis cogitationibus profanare non desinunt; ob levissima quæque commaculant; modica spe lucri, dies festos violant; aliena, dolo & fraude surripiunt, quæ nec appetere fas est; dilatandis jure, vel injuria finibus agrorum suorum semper incumbunt. Quæ cùm faciunt, mortaliter peccant; e templo suo Spiritum Sanctum contumeliis affectum ejiciunt, & ejus loco Dæmoni, suî dominium tradunt, atque omnimodum imperium. Sta-

(*a*) *Ecclesiastici XVIII. v.* 23.

Statuite hodie, dilectissimi filii, in posterum vestra hæc spiritualia Dei templa custodire diligentiùs, nec animas vestras tantùm, sed èt eorum, quas vestræ tradidit fidei Dominus Deus., præsertim verò filiorum. Cavete, ne pravis exemplis vestris eos ad peccandum provocetis, blasphemare doceatis; sed ad Doctrinæ Christianæ Scholas frequenter adducite, in quibus & ipsi, & vos, licèt Symbolum Fidei & Orationem Dominicam fortè sciatis, reliqua tamen addiscatis, quæ Christianos homines, ut sunt, ignorare dedecus maximum est; qua ratione sit ritè instituenda Confessio; quomodo ex oratione fructus colligendus, & alia hujusmodi, quæ, sicuti mercatores mercaturam exercere ignorantes, ignominià digni censerentur; sic, qui ignorant, indigni sunt Christiano nomine censendi. Vos ipsos, Sanctissimorum Sacramentorum frequentià, Divinæ parentes voluntati, ita disponite, ut Sancti Spiritus, qui in vobis inhabitat, quam decet rationem, vos habere ostendatis, cujus tantam habuit Deus, ut *propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis, vivificaturus sit mortalia corpora vestra* (a). Id enim facientes promerebimini ejusdem Sanctissimi Spiritus in vobis per gratiam, mansionem, qua demum vos ad cœlestes æternæ gloriæ sedes perducet. Amen.



HO-

(a) *Ad Roman. VIII. v. 11.*

HOMILIA XXIX.

AD
POPULUM ASCONÆ

DIŒCESIS COMENSIS

Habita inter Miſſarum ſolemnia

Feria IV. Dominicæ II. poſt Pentecoſtem

ANNO MDLXXXIII. XV. JUNII.



OCCASIO, dilectiſſimi filii, noſtri ad vos adventus, ea eſt, quam ſcitis, ut nempe Seminarium illud pium ſtabiliatur, religioſaque Viri, qui idem inſtituit, voluntas executioni demandetur (a), ac ratio demum ineatur, qua beneficio, huic Populo a Domino Deo collato quamprimum perfruamini. Ad hoc a Sanctiſſimo D. N. D. Gregorio Papa XIII. miſſi acceſſimus, ut quæ circa hoc agenda ſint, ſtatuamus, & quidquid opportuerit, Sanctitati Suæ per literas ſignificemus. Sed accedit èt alia potior occaſio, munus videlicet harum omnium Regionum viſitandarum, mihi ab eodem Sanctiſſimo D. N. Chriſti in terris Vicario demandatum, qui, ùt omnium Pater eſt, ita paterno omnes amore complectitur, ac quos ipſe plurimis occupationibus diſtractus nequit inviſere, aliis viſitandos committit, inter quos nobis univerſæ hujus Regionis perpetuam viſitationem commendavit, ut in iis ea procuremus in primis, quæ ad ſummi Dei gloriam, & Animarum ſalutem

(a) Auctor condendi hujus Collegii fuit Bartholomæus Papi, Asconæ natus, qui Romæ moriens improlis anno MDLXXX., amplos hæreditatis ſuæ cenſus ad hoc inſigne beneficium incolis Loci illius parandum legavit, ut nempe eorundem filii pietate & literis ibidem informarentur; Summum Pontificem ultimis tabulis humillimè rogans, ut piam hanc mentem executioni demandare dignaretur. Benignè hoc onus ſuſcepit Pont. Max. Gregorius XIII., curamque Collegii inſtituendi in Sanctum Carolum Borromeum tranſtulit, qui hoc anno fundamenta jecit novi ædificii, illudque ſequenti anno perfecit, ùt narrat Gluſſianus in ejuſdem Vita Libr. VII. Cap. III.

lutem pertinent. Quod quidem licèt in præsentiarum plenè exequi non possimus, sed prima tantùm de causa huc venerimus; quia tamen debitores nos esse non ignoramus, aliqua, quæ nunc possumus, prætermittere non debemus, atque in iis pauca quædam ex hoc suggestu breviter vobiscum agemus, quæ & hoc mane communicaturis potissimùm, & vobis omnibus salutaria fore speramus in Domino.

Hi sunt dies, dilectissimi filii, quibus præcipuè Christianus Populus frequentior esse deberet Sanctissimæ Eucharistiæ susceptor; adhuc enim infra Octavam existimus, qua Fideles omnes Sacrosancta Ecclesia ad id omnibus, quibus potest, modis hortatur, ut Sanctissimum hoc Sacramentum etiam crebra ejus susceptione honoretur. Magnum est hoc, Animæ, donum, insigne testimonium eximiæ Dei caritatis in Mundum, post tot collata beneficia, tot gratias communicatas, tot præstita dona, se ipsum in cibum hominibus reliquisse: *Caro* (ipsemet Christus inquit) *mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus* (*a*). Sed cuperem valde, ut communicaturi saltem diligentiùs considerarent verba, quæ in hujus institutione mysterii protulit Dominus, ac in iis benignissimum ejusdem animi affectum atque amorem animadverterent: *Fratres* (scribit Apostolus) *ego enim accepi a Domino, quod èt tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit: Accipite, & manducate; hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter èt calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine; hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem; quotiescumque enim panem hunc manducabitis, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat* (*b*). Est adeò magnum hoc donum, ut silentio potiùs admirari, quàm verbis describi posse videatur. Sed attendite, quæso, institutionis tempus: *qua nocte tradebatur;* cùm ei mortem impii meditabantur, cùm supplicia, dedecora, contumelias, cruces machinabantur, ipse e converso tam magnum & excellens iisdem parabat beneficium; dum ejus anima angustiaretur, ac tristis esset usque ad mortem, cùm ipse sanguine sudaret, de nostra tamen magis erat anxius salute, quàm de sua passione solicitus. Videte amoris magnitudinem, dolores omnes negligentis, omnia contemnentis pericula, hominum tantùm salutem cogitantis. Proximus erat morti, nec de morte cogitabat; mille ei imminebant pericu-

(*a*) *Joannis VI. v. 56.*

(*b*) *I. ad Corinth. XI. v. 23. & seqq.*

ricula, quæ ėt omnia Divinitatis oculo prævidebat, nec cavere ſatagebat; a diſcipulo tradebatur, vel a nobis potiùs, & a Dæmonis faucibus nos liberare ſtudebat; malorum omnium cumulum, ac mortem ei ſtruebamus, ipſe verò ſe ipſum nobis donabat in cibum: *Homo cùm in honore eſſet, non intellexerat, comparatus fuerat jumentis inſipientibus, & ſimilis illis factus* (a); dum vetitum pomum, ut Deo ſimilis redderetur, guſtare voluerat, jumentorum, ac irrationabilium animalium cibis uti coactus fuerat. Volebat Dei Filius hominem in priſtinam ac multò majorem dignitatem reſtituere, & cibum ei cœleſtem, panem Angelorum, ſe ipſum, Corpus & Sanguinem ſuum, in eſcam parabat; cujus amoris memoriam quoniam e cordibus noſtris elabi, fuerat indignum, ejus hoc Sanctiſſimo Sacramento nobis monumentum reliquit. Hinc conſiderandum nobis eſſet, quantum Deo, ob id etiam maximè ſimus obſtricti, quantum ei debeamus, ne ingratiſſimi comperiamur. Ipſe quidem Dei Filius in ara Crucis ſe ipſum pro nobis ſemel obtulerat; ſed mortuus, jam amplius non erat moriturus; unde alia fuerat excogitanda ratio, qua hominum oculis continuò inſigne hoc ſubjiceretur beneficium: id fuit Miſſæ Sanctiſſimæ Sacrificium, in quo illud primum, ſed incruentum, in ejus commemorationem quotidiè repræſentantes, Dei Filium, ſicut regnat in Cœlis, glorioſum ac immortalem offerimus. Cognoſcite hinc, filii, quàm Judæ delicto iniquius ac enormius Chriſtiani illi ſcelus admittant, qui peccatis ſuis, vel indignè communicantes, denuo Chriſtum Dominum tradunt; ille enim Dei Filium mori volentem, mortalem & paſſibilem Judæis tradidit; hi verò hunc eumdem glorioſum, ac in Cœlis regnantem, morti ampliùs non ſubjectum, in manus peccatorum ac Dæmonum tradunt invitum, ac ex parte ſuî, iterum multò crudeliùs crucifigunt. Quàm jure igitur expoſtulat a nobis noſtri amantiſſimus Dominus, amorem noſtrum, ſuique amoris memoriam, ac hujus ſanctiſſimi doni receptionem aſſiduam, quæ maxima eſt ipſius honorandi ratio! Latet in Euchariſtia Sanctiſſima, imo totus exiſtit Deus & homo, Chriſtus Jeſus, e cujus latere cruento in Cruce pendentis, omnia Sacramenta, tot dona cœleſtia, tam innumerabiles gratiæ profluxerunt. Cur id igitur nos non exoſculemur, non amplectamur, non frequenter ſumamus? Quin hoc ipſo, quem ei exhibemus, honore nobis eſt maximè conſultum, ac ſpiritualis vitæ

(a) *Pſalm. XLVIII. v. 13.*

vitæ mirabile ſuſcipimus incrementum, Divinæ nempe gratiæ augmentum; Deo unimur, ac in eum convertimur. O quàm eſt hoc magnum, deificari hominem! Sed infelices ac miſeros illos, qui id tam parvì faciunt, a ſummo bono divelli contemnunt, cenſuris ac excommunicationibus a Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, ſeparati, Deum habere nequeunt Patrem! Quid ſine Deo faciemus, filii? Sed quæ nobis non imminent mala, inimicum habentibus bonorum omnium fontem? Sine vita vivemus? ſine veritate non errabimus? ſine via non deviabimus, ac ſævis Dæmonum rapinis non exponemur? Quid mirum poſtea, ſi iis in locis, in quibus facilè homines Eccleſiaſticas cenſuras incurrunt, ac veluti putrida membra a Chriſtianorum communione ſe reſecari permittunt, peſtes exoriantur, agri fruges non ferant, Cœlum imbres contineat, civiles oriantur diſcordiæ, omnia denique malorum genera adveniant, cùm ab iis Deus ejiciatur, Dæmone inducto? Caveant Chriſtiani omnes per viſcera Domini noſtri Jeſu Chriſti, horreant Eccleſiaſtica hæc arma. Deo potiùs, Deo potiùs adhærere, ac ab eo numquam disjungi ſtudeamus.

Sed quid retribuemus Domino, filii, pro omnibus, quæ retribuit nobis? Audite Michææ Prophetæ verba, quæ, quid a vobis Dominus requirat, inſinuant: *Judicium*, inquit, *Domini cum populo ſuo, & cum Iſraël dijudicabitur* (*a*). Tremenda verba ſunt hæc. Si nobis Dominus diceret: in judicium vobiſcum adſum venturus, ut diſcutiatur, quid ego pro vobis fecerim, & quid vos mihi retribueritis; quid vobis eſſet cogitandum? quò confugiendum? Magnæ humilitatis eſt, inquit Hieronymus, quòd ille, qui ex auctoritate judicare habet, dijudicari vult cum ſervo, in cujus figura per ſervum ſuum Job dixerat: *Si contempſi ſubire judicium cum ſervo meo* (*b*). Is, cujus iræ reſiſtere nemo poteſt, ſub quo curvantur qui portant orbem, cui Pater dedit omne judicium, cui omnis tradita poteſtas in Cœlo & in terra, nobiſcum vult certare judicio, nos judicio convenire, ne injuſtè nobiſcum agi, murmurare queamus; æqua enim eſt via Domini. Quàm hoc eſt terribile! Orabat ideo Propheta: *Non intres in judicium cum ſervo tuo, Domine, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens* (*c*). Subdit Michæas, Dominum loquentem indu-

 cens:

(*a*) *Cap. VI. v.* 2.
(*b*) *Cap. XXXI. v.* 13.
(*c*) *Pſalm. CXLII. v.* 2.

cens: *Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi, responde mihi: quia eduxi te de terra Ægypti, & de domo servientium liberavi te, & misi ante faciem tuam Moysen, & Aaron, & Mariam? Popule meus, memento, quæso, quid cogitaverit Balach Rex Moab, & quid responderit ei Baalaim* (in vulgata legitur *Balaam*) *filius Beor de Setim usque ad Galgalam, ut cognosceres justitias Domini* (*a*). Et vobiscum hodie sic loquitur Dominus: *Popule meus*, quem, relictâ Synagogâ, mihi in dilectissimum populum elegi, *quid feci tibi?* quid nempe in beneficiis non feci tibi? quid potui facere, & non feci? Nonne omnia opera nostra in nobis operatus est Dominus, & bonis omnibus per eum repleti sumus? Omnia, quæ sunt in Cœlo & in terra, ad usum nostrum creavit; Angelos etiam ipsos nobis ministros designavit; se ipsum denique, corpus suum totum, & sanguinem nobis donavit. Quid ultra requirimus? *Aut quid molestus fui tibi?* Quam ille nobis intulit injuriam, qui ut de illatis humano generi ulcisceretur injuriis, tam grave prælium adversùs Satanam suscepit, in quo èt victor pro nobis occubuit? *Eduxi te de terra Ægypti*; hoc est de peccatis, & desideriis seculi; *& de domo servitutis*, ubi in luto serviebas; *liberavi te*, cùm a Diaboli servitute, & carnis operibus ereptum, libertate donavi, ut si in posterum manserimus in sermone ejus, verè simus liberi futuri. Sed audiens, dilectissimi, Populus ille, talem esse Deo justitiam, compunctus est, & quærere cœpit, quomodo placare posset Dominum; unde Propheta subjungit: *Quid dignum offeram Domino? curvabo genu Deo excelso? numquid offeram ei holocaustomata, & vitulos anniculos* (*b*)? Adhuc videte Dei benignitatem; placari non poterat Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium: ipsemet Populum illum, & in illo nos omnes docet quid velit, cùm dicit: *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat a te: Utique facere judicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo* (*c*). Tria nobis injungit, quæ si exequamur, rectè ad nos ipsos, ad proximos nostros, & ad Deum erimus ordinati. Nobiscum judicium faciamus, nos ipsos dijudicemus, ne a Domino judicemur. Judicium, & justitiam vult in primis faciamus; judicium quidem inter eas, quibus constituti sumus partes, Corpus scilicet, & Animam; utriusque jura perquiramus, Animæ

(*a*) *Cap. VI. v. 3. & seq.*
(*b*) *Ibid. v. 6.*
(*c*) *Ibid. v. 8.*

Animæ ad Dei similitudinem creatæ dignitatem agnoſcamus, carnis itidem vilitatem; ac demum juſtitiam facientes, ſpiritui carnem, animæ corpus inſervire cogamus. Sed o tempora, o mores! Quanta nunc injuſtitia regnat in terris! Domina ſervire cogitur; ſerva caro tyrannidem exercet in dominam; cœleſtia terrenis ſubjiciuntur; æternis fluxa præferuntur; Dei voces negliguntur; ejus præcepta contemnuntur; dies ei ſacri violantur; ut minima pecuniæ fiat acceſſio, omnia jura pervertuntur; ebrietatibus & commeſſationibus plerique incumbunt, neque ſuî dignitatem recogitant, ſed beſtiarum more dumtaxat vitam ducunt, ut ſi cum iis hujuſmodi homines tacentes conferas, nullum prorſus extrinſecùs diſcrimen agnoſcas, ſed ſolo linguæ differant uſu. Quod exemplum pleriſque miſerrimi patres dant filiis ſuis? quàm eos pravis moribus imbuunt? *Cui væ*, clamat in Scriptura Dominus (*a*), *cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? non-ne his, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis?* Inde domorum ſubverſiones, patrimoniorum dilapidationes, jurgia, lites, omnia denique mala exoriuntur. Non eſt hoc, fratres, nobiſcum facere judicium, neque juſtitiam; non eſt hoc Dei venturum judicium effugere; ſed edendum eſt tantùm atque bibendum, ut vivatis, non autem belluarum more vivendum, ut edatis: inordinati affectus temperandi, & ſic rectè nobiſcum fiet judicium.

Requirit a nobis ſecundò Dominus, ut erga proximos noſtros ordinemur, *miſericordiam diligentes*, omnia iis caritatis opera impendamus, corde illos ac ſincerè diligamus, utpote ab eodem, a quo èt nos, Deo creatos, ejuſdem Chriſti ſanguine redemptos, ejuſdem Sanctæ Matris Eccleſiæ lacte nutritos, ad eamdem vocatos hæreditatem. Cum his ſervanda nobis eſt caritas, qua bonis eorum gaudeamus, triſtemur malis, rixas omnes, & contentiones ac ſimultates effugiamus. Hæc duo conſequetur tertium, quod a nobis exigit Dominus, ut *ſolicitè ambulemus cum Deo*, qua ſolicitudine patrem probus filius obſervat; ipſum namque & timet & amat, & reveretur & colit; ſic èt nos erga Deum ſolicitós expedit eſſe. Quod ſi fecerimus, quàm multa hinc nobis proficua colligemus; nam Sacerdotes omnes, uti Deum repræſentantes agnoſcemus, & obſervabimus; Divinam eorum in Animas noſtras poteſtatem admirabimur; Dei legem nos docentes audiemus;

(*a*) *Proverb. XXIII. v. 29. & 30.*

mus; ſpiritum denique (ut paucis omnia concludam) filiorum Dei nos habere oſtendemus. Omnes quidem Chriſtianos hæc cum Deo ſolicitudo decet, ſed a vobis potiſſimùm Aſconenſes requiritur, in quos præ ceteris omnibus populis tam extitit liberalis Dominus Deus, in quos peculiari quodam modo paternam ſuam jam oſtendit caritatem, cùm unius ex concivibus veſtris cor dignatus eſt tangere, atque inducere ad tam amplam hæreditatem jure legati relinquendam, qua hìc Seminarium ædificetur, eique ex ea redditus aſſignentur, quibus filii veſtri in literarum cognitione, & Chriſtianis moribus poſſint educari. Quàm inſigne eſt hoc beneficium! quàm ſingulare donum! Adeò magnum, ut auſim dicere, nil vobis utilius nunc potuiſſe accidere. Quot enim hinc filii veſtri, Dei ſervi prodibunt, qui èt vos poſtea Dei legem docebunt, & animas veſtras moderabuntur? Quot ab eis familiæ veſtræ, & univerſum hoc Oppidum, ac etiam finitimi emolumenta percipient? Vos ipſi vidiſtis, in qua hactenus Chriſtianus terrarum Orbis, ac veſtra hæc potiſſimùm, & vobis contigua regio extiterit calamitate. Hanc ſentiunt adhuc tot Civitates & loca, ob hujuſmodi puerorum neglectam educationem. Huic jam malo, ſumma veſtra cum utilitate, & honoris additione, providere dignatus eſt Dominus. Sed recognoſcite paternam caritatem, amori amorem rependite, ne in vos ingratos, qui fuerit in donando liberaliſſimus, in exigenda ratione ſit tantò ſeverior. Ad veſtrum ſanè ſpirituale ſolamen hoc dicam: Jam a multis annis ad nos pervènit ſtudium veſtrum, quod in bonis perquirendis Magiſtris ſemper adhibuiſtis ad erudiendam juventutem, & quàm in hoc fueritis ſoliciti, vèl a longè etiam poſiti omnes audierunt; unde èt multis ex locis, ipſo etiam Mediolano, filios ſuos nonnulli ad vos tranſmiſerunt, ut a vobis educarentur. Favit jam Dominus pio huic veſtro propoſito, ac propenſæ in bonum voluntati; ſed vos id opus amplectimini ex corde, animum ne abjicite, & jam aliquo, & non parvo veſtro cum impendio, expenſis ne parcite, ut opus hoc inſtituatur, futuras tantùm vobis ponite ob oculos maximas utilitates ac commoda; liberales eſtote in iis, quæ ad Dei promovendum honorem pertinent, ut fructum habeatis, & meritum. Sed, ùt in ceteris omnibus, èt in hoc ſolam Dei gloriam, atque animarum ſalutem, & piam liberorum educationem, veluti ſcopum ac finem vobis proponite. Agnoſcite beneficia, ne ſitis in-

ingrati; væ namque ingratis; ſubtrahet enim ab illis gratias ſuas largitor bonorum omnium Deus. Sic vivite, ut quotidie Sacratiſſimum Chriſti Corpus ſuſcipere poſſitis dignè. Quæcumque cogitatis, aut facitis, magno ſemper cum timore atque ſolicitudine operamini, ſive qui mercaturam exercetis, ſive qui agros colitis, ſive qui nautæ eſtis; omnes omnium generum homines ſemper attendite, num quæ facitis, Deo adverſentur, & ea fugite; an ejus ſint conſona voluntati, & ea amplectimini; paupertatem, quando ſic Deo placeat, hilares ſuſcipite; vèl ipſam etiam mortem potius ſubite, quàm ut vèl minimùm a Dei præſcripto diſcrepetis: *Quid enim prodeſt homini, ſi Mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur* (*a*)? Hæc in præſentiarum volui dixiſſe, multò plura & dicturus, & facturus, cùm & vos, & univerſam hanc Regionem, Deo dante, pleniùs viſitaturus accedam.

Precor Deum Optimum Maximum, filii, qui tantum in vos amorem oſtendit, ut pro immenſa ſua caritate det vobis Sanctiſſimum Spiritum ſuum, quo edocti ac ducti, in vos juſti judices ſitis; in proximos veſtros, ùt matres; Deum tamquam probi filii colatis, ut ipſe vos veluti filios in extremi judicii die cognoſcens, ad ſe vocet dicens: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum a conſtitutione Mundi* (*b*), ut ſeminum, quæ nunc flentes projicitis, tunc cum exultatione manipulos reportetis. Amen.



HO-

(*a*) *Matth. XVI. v. 26.*

(*b*) *Ibid. XXV. v. 34.*

HOMILIA XXX.

AD POPULUM CANOBII

DIŒCESIS MEDIOLANENSIS

Habita in Ecclesia Præpositurali (a) ante Supplicationem

Octavo SS. Corporis Christi die

ANNO MDLXXXIII. XVI. JUNII VESPERE.



Estificor coram Deo, & Jesu Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos, per adventum ipsius, & regnum ejus. Prædica verbum, insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina, scripsit Apostolus Paulus, dilectissimi filii, discipulo suo Timotheo Episcopo (b). Sed èt nobis omnibus Pastoribus & Episcopis hoc est præcipuum munus injunctum, ut nullam umquam omittamus occasionem in iis, quæ ad animarum nobis commissarum regimen, atque ad eas in viam salutis dirigendas pertinent; ubique Domini Evangelium prædicemus; clamemus ubique, & opportunè & importunè instemus; animas viam salutis intrare compellamus. Hinc nos, cùm hodie hìc tam frequentes & assiduos vos viderimus, ut processionem Sacratissimi Corporis Christi prosequamini, necessarium duximus, ad vos sermonem habere, cras etiam habituri, si ad Ecclesiam accesseritis. Erit hæc aliqualis, licèt non plena, loci hujus visitatio; idcirco & muneris nostri officio, & hujus jam jam faciendæ supplicationis, ac præsentis visitationis occasione allecti, operæ pretium fore putavimus, si intra hanc Sacratissimam Octavam constituti, breviter aliqua de tanto Sacramento vobiscum disseramus.

Latent

(a) Canobium, celebre Oppidum est ad oram Lacus Verbani, vigintiduomille passibus ab Arona distans. Fusè de illo agit Paulus Morigia in descriptione Verbani Lacus Cap. IX. illudq; etiam uberiùs illustravit Lazarus Augustinus Cotta in Commentariis ad Chorographicam Descriptionem Dominici Macanei, ubi de Canobio loquitur.

(b) *II. ad Timoth. IV. v. 1. & 2.*

Latent in hac sacra Solemnitate, quam Sancta Mater Ecclesia per hos dies celebrat, dilectissimi, magna mysteria; procurat namque omnibus, quibus potest, modis, & tam variis mediis omnes attrahere, veluti suavissimis quibusdam funibus, ad præcipuum Sanctissimi hujus Sacramenti cultum atque frequentiam. Et putatis vos, tot sacras per hos dies octo fieri cæremonias, tot luminaria accendi, per Urbium, & Oppidorum, ac locorum omnium vias tam honorificè sacratissimam Hostiam deferri, sine maximis causis? Minimè profectò: singularis enim est hic Dei favor, donum eximium, omnem superans captum, quòd se totum Christus Dei Filius nobis reliquerit in edulium; & qui in Cœlis regnat gloriosus ad dexteram Dei sedens, quem Cherubim & Seraphim, atque omnes Angelici Chori adorant pariter, ejusque visione beati efficiuntur, nobiscum tamen in terris permanere perpetuò non sit dedignatus. O quàm magnum beneficium; Deo nostro ad libitum nostrum frui posse, eum semper videre, eum alloqui! Si quis vestrûm apud Regem nostrum, Mediolani Ducem, tantùm auctoritate valeret & gratia, ut liber illi esset ad eum, quotiescumque vellet, aditus; illius semper Regiam domum atque abditum cubiculum ingredi posset, eumque alloqui, quanti hic a ceteris omnibus fieret, quàm ei omnes assurgerent, ac se beatos existimarent, si hujusmodi hominis gratiam consequerentur! Et tamen ipse Rex homo est, infra breve tempus moriturus; *mille* namque *anni tamquam dies hesterna* sunt, *quæ præteriit* (*a*); & nos tam parvi facimus, non Regem hominem, sed Regum Regem, qui Regna cuncta disponit, æternum & immortalem Dominum Deum posse in Altari Sancto existentem videre, alloqui, contemplari; sed èt in eum mirabili quodam modo transformari, atque deificari? An non satis superque fuerat minimum ex tam multis, quæ in nos nihil tale merentes (quis enim prior retribuit ei?) contulit, beneficium? Nonne multum fuerat, pro nobis Dei Filium servi formam accepisse, humanam carnem assumpsisse, annos triginta tres in terris versatum fuisse, mortem Crucis subiisse: ut etiam voluerit Cœlos conscendens, Sanctum nobis missurus Spiritum, totum se nobis relinquere in pignus, & cibum; pignus quidem æternæ gloriæ; cibum verò animarum nostrarum? Audite, quàm pulchrè eximium hoc donum nobis proponit Ecclesia dicens; *O Sacrum Convivium, in quo Christus sumitur*, notate singula verba, & ponderate mysteria; *recolitur memoria passionis ejus; mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur* (*b*). Admiratione hìc mihi opus est magis, quàm

(*a*) *Psal. LXXXIX. v.* 4. | (*b*) In Psallenda ad primas Vesperas Solemnitatis Corporis Christi.

quàm verbis; quæ namque vox aut lingua retexere poterit, quæ tu Fidelibus munera donas, Rex Christe in hoc sacro Convivio? Exclamare omnes cogimur cum Regio Propheta David: *Quid est homo, quòd memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum (a)? Quid*, *quid*, bone Deus! *est homo*, nisi ante creationem, nihil, in creatione, terræ congeries, ad tuî quidem similitudinem creatam animam sortitus, quam ipse tamen tantò effecit peccatis suis sordidiorem, quantò fuerat dignior? *Quid est homo*, nisi pauperrimum animal atque miserrimum, & mille subditum infirmitatibus? *Quòd memor es ejus;* & qua memoria? nempe tam magna, ut si oblivisci potest mater filii sui, tu numquam tamen ejus oblivisciaris; *aut quid est filius hominis, quoniam visitas eum?* & dum carnem assumis, & dum Spiritum Sanctum tuum ei largiris, & dum ad ostium ejus stas, & pulsas, & dum denique ab eo comederis; Caro namque tua, ejus verè est cibus, & Sanguis tuus verè est potus. O Christiani ad quantam hæc nos meditatio devotionem, ad quantum deberet amoris affectum excitare? Largitur tot ille nobis divitias, profundit thesauros suos omnes; qui enim se ipsum nobis dat, quomodo & non omnia secum nobis dabit? Et poterit homo Dei factoris, & creatoris, ac benefactoris sui oblivisci? Sed *adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tuî (b)* Domine. Ipse priùs meî ipsius obliviscar, quàm tuî; plus enim tu mihi, quàm ego ipse mihi, carus esse debes; ex me namque universa perditio mea, ex te verò tantùm auxilium meum; a te mihi omnia bona, meæ ipse sum faber calamitatis. Sed non hìc jam de peccatoribus iis, qui in profundum peccati venerunt, qui gloriantur in peccatis suis, & exultant, cùm malè fecerint, sermonem apud vos institui; deflendi enim sunt magis, quàm de iis sit loquendum. Verùm ad eos tantùm mea dirigitur oratio, qui nec calidi sunt, nec frigidi, sed tepidi, sed corde dissoluti; qui ad tempus quidem credunt, in tempore autem tentationis recedunt; qui & Deo, & hominibus placere cùm velint, omnibus tamdem displicent; qui se adeò secularibus negotiis immergunt, ut omne spiritualibus negotiis tempus subtrahant; qui rogati, cur non & lecto surgentes, & vespere antequam decumbant, orationibus vacent, conscientias suas examinent, pro acceptis beneficiis Deo gratias agant; cur non frequentiùs ad sacram Synaxim accedant; cur assidui Doctrinæ Christianæ non incumbant? statim habent in promptu *ad excusandas excusationes in peccatis (c)*: Mercator sum, o quantos secum affert exercendæ mercaturæ ratio labores! Vix cibum sumendi tempus sup-

(a) *Psal. VIII. v. 5.* | (b) *Psal. CXXXVI. v. 6.* | (c) *Psal. CXL. v. 4.*

ſuppetit; quas ego horas in his, quæ dixiſti, impendam? Alius agrum colit, campos conducit; arduum eſt opus, difficile negotium, & feſtis diebus multa ſemper occurrunt, quæ niſi fiant marceſceret fœnum, ſegetes conculcarentur, & grana erumperent, uvæ nimiùm maturæ fierent. Et non videtis o miſeri, quia & fœno, & tritico, & uvis major eſt Deus, qui hæc omnia vobis concedit, qui facilè a vobis neglectus, ſubtrahet omnia? Ergo anima noſtra, ob fœni plauſtrum aut tritici, æternis erit mancipanda cruciatibus, ardebit perpetuò? Sed hæc omnia negliguntur. Ah Chriſtiane, ſi amor amoris eſt ſtimulus, ſi amoris amor eſt pretium, ſi amorem amor requirit; & qualem in te oſtendit Chriſtus amorem! Potuit-ne quiſquam *majorem habere dilectionem, quàm ut animam ſuam poneret pro amicis ſuis* (*a*)? Ac pro te inimico ſuam poſuit Chriſtus: pro te immaculatus Agnus eſt immolatus: pro te Sanguinem totum ſuum effudit, & quidquid in Corpore ſuo remanſerat Sanguinis, profudit. Quantum ergo ei deberes èt tu ingrate? Vèl minimum tibi a quovis collatum beneficium, niſi beneficio commutes, exiſtimas dedecus; & pro tam multis, iiſque immenſis, nihil retribues? adeò eris negligens ſemper? Te ille adeò dilexit, ut delicias ſuas eſſe voluerit permanere cum filiis hominum (*b*); & tam nobilem, præpotentem, beneficum tu refugis amatorem excipere? Non ſic vos filii, non ſic; ſed confortate manus remiſſas, & ſoluta genua erigite: ne ulteriùs in duas partes claudicetis: greſſus veſtros facite pedibus veſtris; nil jam vos ampliùs frigidos, aut tepidos reddat: omnia negotio primo, ac potiſſimo negotio, cedant. Chriſtiani eſtis priùs, quàm mercatores; Chriſtianam in primis profeſſi eſtis religionem, quàm mercaturam aut apothecam. Et ne diffidite; nil enim facilius, quàm Chriſtianè vivere. At e contra *via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ* (*c*). Vultis videre lapides, imo potiùs tribulos & ſpinas? Furatur ille aliena, & clam ſurripit; ſcit tamen, niſi reſtituat, peccatum ſibi non dimittendum; patibulum, ſi deferatur, ſibi timet; ſerpentem in ſinu ſuo continet, quamdiu non reſtituit. Alter carnis operibus deditus, conſcientiam habet ſemper accuſantem, mordentem ſynderesim, ac dicentem: quid ſi dum nunc dormis repetat a te animam tuam Dominus? Annon quamdiu Deus erit, ardebis in inferno? numquid tu primus eſſes, qui ſanus decumbens, manè mortuus reperieris? Invidum aliena bona lacerant ſemper.

(*a*) *Joannis XV. v.* 13.
(*b*) *Proverb. VIII. v.* 31.
(*c*) *Eccleſiaſtici XXI. v.* 11.

per. Superbus vento plenus ac fumo, nonne moritur, nonne disrumpitur, quia non potest? Non est pax denique, aut gaudium impiis (a). Videte, qualibus lapidibus & spinis sint peccatorum viæ complanatæ; qui cùm nihil a se ipsis habeant, omnia tamen vel industriæ, vel Mundo, vel aliis, quàm Deo, accepta referunt: de quibus rectè Oseas Propheta (b): *Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum. Propter hoc ecce ego* (subdit Dominus) *sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceriâ, & semitas suas non inveniet; & sequetur amatores suos, & non apprehendet eos* (nec multorum dierum sermonibus verba hæc vobis explicari possent; ea tantùm recitasse sufficiat) *& quæret eos, & non inveniet, & dicet: Vadam, & revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis, quàm nunc. Et hæc nescivit, quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicavi ei, & aurum, quæ fecerunt Baal. Idcirco convertar, & sumam frumentum meum in tempore suo, & vinum meum in tempore suo, & liberabo lanam meam, & linum meum, quæ operiebant ignominiam ejus; & nunc revelabo stultitiam ejus in oculis amatorum ejus; & vir non eruet eam de manu mea, & cessare faciam omne gaudium ejus:* &c.

Hic, filii, est fructus tam immoderatæ solicitudinis, qua ut temporalia quæratis, omittitis æterna. At verò quàm suavis est spiritualis vita eam sectantibus! Ignorat hoc, qui non experitur. Quanta in domibus iis, quæ Sanctissimis Sacramentis frequenter sumendis incumbunt, quæ matutinis & vespertinis orationibus student, quæ sudoribus suis vivunt, pax, quanta concordia, atque laudatio! Ibi semper gratiarum actiones, benedictiones, gaudia, & exultationes. Perspicite, quàm multa bona præstet Dominus timentibus se. Videte, quàm ipse multa in Ecclesiastici libro enumeret, quæ, quia advesperascit, ex industria prætermitto. Illud unum tantùm silere non possum: quo potissimùm tempore majori omnes egebunt auxilio, omnibus auxiliis destituti, quando èt justi contremiscent; tunc *timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur* (c), quia tunc non torquebitur conscientiæ verme, cùm solent homines maximè timere; & quia tunc recepturus erit justitiæ suæ & pietatis mercedem. At e contra væ his, qui dereliquerint vias rectas, & diverterint in vias pravas; quid enim facient, cùm inspicere cœperit Dominus? districti nempe judicii die, quando Deus, qui

(a) *Isaiæ XLVIII. v.* 22.
(b) *Cap. II. v.* 5. *& seqq.*
(c) *Ecclesiastici I. v.* 13.

qui nunc videtur dissimulare facta hominum, & suorum non habere rationem, singulorum facta discutiet, unicuique juxta merita reddens, & quantam suorum habeat rationem declarans. Expectat eos ad pœnitentiam longanimis Dominus, & isti patientià ipsius abutentes, thesaurizant sibi vindictam in die iræ; ad eos quippe dicturus est Dominus: *Existimasti iniquè, quòd ero tui similis; arguam te, & statuam contra faciem tuam* (*a*). Parate vos filii ad inspectionis diem, ne tunc confundamini, cùm non modò quæ feceritis, sed ètqua intentione aut fine ea feceritis, sedulò discutiet, qui corda scrutatur & renes. Prosequamur jam omnes, filii, Christi Corpus Sacratissimum. Quot inter vos sunt, qui in hac Sanctissima Societate minimè sunt descripti! Et cui inservient, si Deo Regi inservire dedignantur? cui rei comparandæ studebunt, si tam insignes Indulgentiarum thesauros negligunt? Quantà reverentià atque honore prosequi deberent omnes Dei Filium, accensis luminibus animi religionem testantes! ad quod cùm vestrûm plurimos paratos animadverto, non possum non gaudere; sed cùm non omnes idem facere perspicio, doleo non parum. Cæcis, dum Christus in terris versaretur, visum, surdis auditum, infirmis valetudinem, mortuis vitam largiebatur, tot denique miracula corporali sua præsentia faciebat; quid putatis nunc, cùm in Cœlis regnat gloriosus, nec tamen a vobis abest in terris, facturus sit in animabus vestris, nisi per vos desit? Arca Dei, domum Obededom ingressa, tot ibi reliquit benedictiones (*b*). Quid, non lignea arca, sed Dei Filius faciet in vobis, eum dignè sumentibus? Tam multi infirmi Sanctorum hominum vestes tangentes, a quibuscumque detinebantur infirmitatibus, curabantur; & Sanctum Sanctorum non dico tangentes, sed comedentes, erit-ne quidquam, quod non consequamini? Eja igitur, filii, & filiæ in Domino amatissimæ, mentis oculos aperite & videte, quantà hìc in domo Dei vos Christo Regi astare oporteat reverentià, ac religione etiam exteriori, capitibus velatis, ne Angelos, & Angelorum Dominum offendatis; quàm corpore & mente compositas! Cibus est Eucharistia Sanctissima; & cur cibus, nisi ut comedatur? Qui ergo singulis tantùm mensibus hactenus sumpserunt, decimoquinto quoque die; tum singulis festis in posterum sumant, ut sic in via Domini progredientes, ùt gratià proficient, sic èt in Cœlis amplioribus gloriæ gradibus cumulentur. Quod vobis præstare dignetur, qui se vobis edendum relinquere non est dedignatus Christus Jesus in secula benedictus. Amen.

(*a*) *Psalm. XLIX. v. 21.* | (*b*) *II. Regum VI. v. 11.*

HOMILIA XXXI.

AD
POPULUM CANOBII

DIŒCESIS MEDIOLANENSIS

IN EVANGELIUM MATTHÆI CAP. XIX.

Habita in Ecclesia Præpositurali inter Missarum solemnia

Feria VI. Dominicæ II. post Pentecostem

ANNO MDLXXXIII. XVII. JUNII.



UPEREMUS valde, dilectissimi filii, vos hodie frequentiores, quàm sitis, Dei verbo audiendo videre; raræ sunt enim occasiones, quibus vobiscum esse possimus, cùm ampla satis & magna sit Diœcesis, cui divina miseratione præsumus, distentque inter se plurimùm Ecclesiæ, quibus tamen singulis debitores sumus pastoralia munera impendere, quæ dum apud alios exercemus, vobis adesse nequimus. At cùm nos adesse contingit, majori vos celeritate debuissetis accurrere, ex nostroque ministerio fructum percipere, ne infructuosum apud vos & inane permaneat, & ad nos redeat verbum Dei, nosque ad alios transire cogamur, licèt vobis oportuisset primùm Evangelizare, quos præ ceteris, utpote nobis peculiari quodam modo, ac fidei nostræ commissos, amore prosequimur (*a*). Sed cùm tantam puerorum atque infantium multitudinem hìc adesse conspicimus, duo sunt, quæ nos miro gaudio perfundunt; & quòd ii sint, quorum præcipuè Cœlorum Regnum in hodier-

(*a*) Suberat hoc Oppidum Dynastis Borromeæ Familiæ, ipsis in Feudum a Mediolani Duce Philippo Maria Vicecomite tributum anno MCCCCXLI, adeòque incolas illos respiciebat Sanctus Carolus tanquam duplici nexu sibi devinctos, jure nempe hæreditariæ Ditionis, & Pastoralis Officii curâ.

hodierno Evangelio esse perhibet Christus; & quòd de pueris acturi cùm simus, hodie (a) Viti pueri sanctissimi, & ejus educatorum Modesti atque Crescentiæ gloriosos triumphos nobis commemorandos Sancta Mater Ecclesia ob oculos ponit, quæ omnia amplissimum nobis campum aperiunt, super hodierni Evangelii lectione, summo vestro cum fructu atque utilitate, breviter tamen & per compendium disserendi. Tu Vite, puer senex, puer sanctissime, atque fortissime athleta, vosque ejus socii Modeste, & Crescentia, spiritum mihi puerilem, hoc est innocentiæ, vestris precibus impetrate, quo pueros hos, qui adsunt, & eorum parentes alloqui valeam, ipsique meo sermone in viros perfectos evadant.

Narrat Evangelista Matthæus (b), quòd Turbæ multæ videntes signa, quæ Dominus Jesus passim operabatur, non modò eum sequebantur, sed èt parvulos filios suos ei offerebant, ut manus eis imponeret; nam cùm maximas ab illo exeuntes virtutes conspicerent, & cæcis visum, mutis loquelam, infirmis sanitatem, mortuis vitam dari, Dæmones ex humanis corporibus pelli, vento & mari imperari, homines vocari, & statim accurrere viderent, vèl solà filiorum suorum benedictione ab eo obtentà, sibi maxima quæque pollicebantur. Et verè pius ac devotus erat hujusmodi Turbarum animi affectus, omnibus etiam Fidelibus perutilis ac necessarius, accedendi ad Christum, ad quem accedentes numquam confunduntur; est enim dives in omnes & liberalissimus, & dare potest & vult; si enim *nos cùm simus mali, dare novimus bona data filiis nostris; quantò magis Pater noster de Cœlo dabit spiritum bonum* accedentibus ad *se*, atque *petentibus* (c)? Felices verè & beatos illos patres, qui ad Christum filios suos adducebant instruendos, ac benedicendos! hoc quippe est patrum officium ac munus, ad Christum ducere filios, quos ab eodem Christo acceperunt. Sed heu miseros horum temporum patres, qui ad Dæmonem potiùs quàm ad Christum, ad Infernum quàm ad Cœlum, ad mortem quàm ad vitam ducunt, ac dirigunt filios suos & filias! Sunt quidem in temporalibus bonis eorum soboli procurandis diligentes, & nimiùm quandoque soliciti, ac si de ipsis curam nullam esse Deo, absque cujus voluntate nec capillus de eorum capitibus cadere potest, crederent; sed in veris, firmis, & mansuris, ac spirituali-

(a) Ambrosiana Ecclesia Sanctorum Viti, & Modesti festum celebrat die xv. Junii; sed cùm dies ille incidisset eo anno intra Octavas Solemnitatis Corporis Christi, translata sunt Divina Officia ad honorem ejusmodi Martyrum in feriam sextam, superiùs memoratam.

(b) *Cap. XIX. v.* 14. In Missa Sancti Viti Martyris Ecclesia Ambrosiana recitat Evangelium secundùm Marcum Cap. X., ubi hæc eadem puerorum oblatio describitur.

(c) *Luc. XI. v.* 13.

tualibus bonis procurandis, quantus torpor, quanta segnities ac negligentia! de quibus verè illud usurpari potest: quoniam *filii hujus seculi in generatione sua prudentiores sunt filiis lucis* (*a*). Sed vana, sed stulta, sed fallax prudentia hæc est; nam sæpe, dum divitias ac thesauros veluti bona filiis comparare student patres, spinas eis, mortem, ac interitum in hæreditatem relinquunt. Præcipua patrum cura esse deberet, ad Christum, ad Christi scholam, ad Ecclesiam, ad Doctrinæ Christianæ gymnasia ducere filios, quibus non minimum relinquerent patrimonium, si illos Deum timere docerent. Et verè si qui sunt hujusmodi patres, beati sunt, & bene erit illis; nam èt in filiis consolationem recipient. Quis enim est, obsecro, Matrimonii Sacramenti Sanctissimi contracti finis? Sunt sanè plures, inter quos unus ex præcipuis est, recta filiorum educatio, eorum ad Christum adductio; filii enim Sanctorum sunt Christiani nubentes, & non debent ita conjungi sicut gentes, quæ ignorant Deum, aut sicut animalia insipientia, quæ solo sensu ducuntur; sed ut genitos filios Deo consecrent, atque in illis glorificetur Dominus Deus. Debent Patres ita filios instituere, ut ad Ecclesiam frequenter accedant, devoti sint, modesti, nemini offendiculum præbeant; matres verò filias suas pudicitiam docere, modestiam quæ earum præcipuum est ornamentum, Ecclesiam velatas ingredi, orare frequenter, vespere saltem & mane ad Deum confugere, festos dies divinis tantùm obsequiis impendere, non autem tripudiis sive choreis; & hæ simul, & illi, liberos, cùm adoleverint, ad Sacratissimam Eucharistiam sumendam frequenter dirigere. Nam qui hæc præstant, hi Turbas felices imitantur; hi ad Christum filios ducunt. Sed qui apothecis tantùm vacant, qui cumulandis solùm per fas & nefas opibus, ac filiis suis quovis modo divitibus relinquendis invigilant; qui malè parta eis relinquunt, hi illos minimè diligunt, oderunt potiùs; maledictionem enim illis parant & mortem, cùm tradunt quæ injustè possideant, & quæ non restituta, ad æternæ damnationis supplicium filios cum Patribus trahent. Audite, quid ad hos patres Jacobus Apostolus dicat: *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra a tineis comesta sunt: aurum, & argentum vestrum æruginavit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras, sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus. Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat, & clamor eorum in*

(*a*) *Lucæ XVI. v.* 8.

in aures Domini Sabaoth introivit. Epulati estis super terram, & in luxuriis enutristis corda vestra &c. (*a*). Multi id solum attendunt, ut agros, & vineas, ac domos etiam pauperum sanguine redundantes filiis suis relinquant, de quibus Spiritus Sanctus ait: *Qui ædificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hyeme* (*b*); nam sicut hyberno tempore, ob frigus immensum & gelu, difficile est ædificare; lapides enim simul cohærere nequeunt, sed facilè dissolvuntur, ac corruit domus; sic malè parta, citò malè dilabantur necesse est. Sunt hujusmodi patres, ùt diximus, filiorum suorum hostes acerrimi, imo èt interfectores, utpote qui eis mortem propinant. Clamabunt ideo miseri hi filii, cùm ad judicandum Dominus venerit, contra hujusmodi patres, & dicent: Quos tu nobis, Deus, dederas patres, hos sceleftos inimicos habuimus; hi nos ad æternæ damnationis pœnas perduxerunt; hi in animas nostras sævierunt, quorum tantò major extitit sævities atque inhumanitas, quantò major esse debuerat amor. Vindica Domine sanguinem nostrum, & animas nostras, quas tu pretiosissimo sanguine tuo redemeras; hi verò tibi per vim ablatas, Dæmoni tradiderunt. Audiet has voces Dominus, & clamor hic transibit ad aures ejus, & væ vobis hujusmodi patribus! gravissimas enim de vobis sumet pœnas. Sunt, filii, malè partæ divitiæ, veluti ignis, qui propinqua sibi consumit; sic illæ non modò dilabuntur, sed èt justè ac legitimè partas, secum, ita justissimo Deo permittente, trahunt.

Nolebant Apostoli pueros Christo offerri, imo èt comminabantur eis, ac patres increpabant; & id quidem bono, ùt crediderimus, zelo ac fine, ne præceptori essent molesti, aut importuni. Quos cùm vidisset Dominus Jesus, indignè tulit, & ait illis: *Sinite parvulos & nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim Regnum Dei* (*c*). Quibus in verbis animadvertite, fratres, quàm Deo displiceat, parvulos ab eo retrahi, ut èt in Apostolos bono id fine facientes sit indignatus; tria enim sunt parentum, & hominum genera, quæ filios, & parvulos, hoc est simplices, ad Christum accedere prohibent. Quidam sunt, qui zelo, *sed non secundùm scientiam* (*d*), incensi, bona opera, carnis macerationes, vigilias, jejunia dissuadent, dicentes: non esse in se ipsum sæviendum, vitam sibi ante tempus non eripiendam, vacandum quandoque a jejuniis & abstinentiis, ut ad cetera fortiores existant; & hi quidem non malo animo, a Christo tamen plurimos

(*a*) *Cap. V. v. 1. & seqq.*
(*b*) *Ecclesiastici XXI. v. 9.*
(*c*) *Matth. XIX. v. 14.*
(*d*) *Ad Roman. X. v. 2.*

rimos retrahunt. Sed alii adhuc pejores existunt (& utinam non inter vos plurimi reperirentur!) qui pessimis suis exemplis, blasphemiis, crapulis, ebrietatibus, impudicitiis, Ecclesiæ fugâ, bonorum operum fastidio, hæc eadem filios suos, & sibi subditos docent, qui patrum, & Regum, ac Superiorum suorum exempla sequi consueverunt. Sic *filii Heli, filii Belial nescientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum; sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua, & mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, sive in cacabum; & omne, quod levabat fuscinula, tollebat Sacerdos sibi. Sic faciebant universo Israëli venientium in Silo. Etiam antequam adolerent adipem, veniebat puer Sacerdotis, & dicebat immolanti: da mihi carnem, ut coquam Sacerdoti; non enim accipiam a te carnem coctam, sed crudam* (*a*). *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis*; & cur, obsecro, tam grande? Audite Scripturam, vel potiùs Spiritum Sanctum: *Quia retrahebant homines a sacrificio Domini* (*b*). O quàm magnum est eorum peccatum coram Domino, qui pravis exemplis suis parvulos & simplices a Christo retrahunt! Sunt èt adhuc tertii, his omnibus longè pejores, qui ex condicto id verbis, & factis faciunt, zizania seminantes, ùt qui per hos dies dicere consueverunt: quid toties confiteri, aut communicare? Sufficit quotannis semel; hypocritarum hoc est, aut sanctitatem simulantium. Quid vetat mulieres ornatas, aut comptas prodire? Choreis & tripudiis se ipsos festis etiam diebus recreare? Quàm vile est, injuriam velle remittere! Alapam impingenti, vulnus inferendum est potiùs; pro vulnere, mors reddenda. O miseri hi tres omnes! sed primi quidem malè, secundi pejus, tertii pessimè parvulos & simplices a Christo retrahunt; quod mihi credite, indignè fert Christus. Et scitis quid sit, alicuì Christum indignari? Nihil hoc pejus excogitari potest; est hominem hunc miserrimum & infelicissimum fieri; est summo bono privari, & malis omnibus repleri. Nemo, faxit Deus, sit inter vos hujusmodi, sed certate omnes, atque mutuò contendite, alter alterum in pluribus ad Christum, & vestris, & propinquorum vestrorum filiis adducendis superare.

Audite namque, quàm ei rem gratam faciatis: *Sinite*, inquit, *parvulos venire ad me, & ne probibueritis eos; talium est enim Regnum Dei:* & verè parvulis ad parvulum Christum aditus meritò esse debet, nempe humilibus, ad humilem & mitem corde; Christus namque parvus fuit in Nativitate, quia humillimus natus, parvo loco, in diver-

(*a*) *I. Regum II. v. 12. & seqq.* | (*b*) *Ibid. v. 17.*

diverſorio, inter parva animalia, in parvo Oppido Bethlehem: *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in Principibus Juda* (*a*); parvâ patriâ Nazareth, parvus propter Patrem putativum: *Nonne hic eſt fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria* (*b*)? parvus propter diſcipulos, quos elegit piſcatores; parvus propter doctrinam humilitatis, quam prædicavit; parvus quamdiu vixit: *Vulpes* enim *foveas habuerunt, & volucres Cœli nidos; filius autem hominis non habuit, ubi caput ſuum reclinaret* (*c*); parvus in morte. Ad omnimodè igitur parvum, parvulos ſinamus accedere, nam ſimilibus ſimiles facilè junguntur; *talium eſt enim Regnum Cœlorum*, quia anguſtam & parvam Cœli januam, non magni, elati, & ſuperbi, ſed parvuli tantùm & humiles intrabunt; non enim puerorum ætas, ſed puerilis innocentiæ, humilitatis, & ſimplicitatis ſimilitudo Regnum cœleſte donabit. Sed breviter, quæſo, puerorum mores inſpiciamus aliquos, ut iis nos conformare poſſimus.

Pueri minimè ſunt avari; aurum & argentum, ac pretioſiſſima quæque minimo unius pomi pretio venderent. *Radix*, o filii, *malorum omnium eſt avaritia* (*d*). Quid non facit avarus? quid non molitur? quæ jura non pervertit, ut obulum lucretur? Deum negligit, idola ſibi conſtituit metallica fodinarum ramenta; *Idolorum enim ſervitus eſt avaritia* (*e*). Avarus, homicida eſt & proditor ſui, filiorum, & pauperum; ſuî quidem, quia venalem habet animam ſuam, unde in Eccleſiaſtico dicitur: *Avaro autem nihil eſt ſceleſtius. Quid ſuperbit terra, & cinis? Nihil eſt iniquius, quàm amare pecuniam; hic enim & animam ſuam venalem habet, quoniam in vita ſua projecit intima ſua* (*f*); filios verò ſuos ad animæ interfectionem, ùt diximus, adducit: pauperum demum quàm eſt crudelis homicida, dum eis neceſſaria ſubtrahit, dum frumenta abſcondit, donec majori pretio vendantur, dum eorum ſanguinem ebibit! Audiant hi, & expaveſcant Sanctiſſimum Patrem noſtrum Ambroſium dicentem: *Non paviſti, occidiſti*. Hi tempus, omnibus commune vendunt: Projicit avarus intima ſua, ſua viſcera effundit, araneo animali viliſſimo ſimilis, qui, ut ſubtiliſſimam telam conficiat, ſua met viſcera conſumit; at vèl minimo vento adveniente, abſumitur tela, & viſcera fruſtra conſumpſit. Avarus itidem, ut aurum cumulet, nequit cibum ſumere, jejunat quotidie, laceris veſtibus incedit, aquam bibit;

(*a*) *Matth. II. v. 6.*
(*b*) *Ibidem XIII. v. 55.*
(*c*) *Ibidem VIII. v. 20.*
(*d*) *I. ad Timoth. VI. v. 10.*
(*e*) *Ad Coloſſenſes III. v. 5.*
(*f*) *Eccleſiaſtici X. v. 9. & ſeq.*

bibit; cùm ceteri dormiunt, evigilat; ſemper anxius, ſemper ſolicitus, ſemper infelix, numquam bucellam panis, niſi cum amaritudine comedit. Et cur tot patitur? niſi ut divitiolas comparet, quæ ſtatim adveniente penuria, Fiſco rapiente, exortis inimicitiis, filiis malè conſumentibus, evolant ac elabuntur. Meminerint avari, *hominis* illius *divitis*, cujus *uberes fructus ager attulit, & cogitabat intra ſe dicens: Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam: Deſtruam horrea mea, & majora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te; quæ autem paraſti, cujus erunt? Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives* (*a*). Et verè ſtultus erat hic dives; cùm dixit: *illuc*, nempe in horrea, *congregabo bona mea*. Quid ſi horrea ignis invadat, fur intret? ecce quia bonis omnibus tuis eris ſpoliatus, felicitatis omnis expers, malis omnibus plenus. Perpendite, quæſo, verbum illud: *Hac nocte repetent animam tuam a te:* quando minus cogitabis, tunc morieris. Etiam Philiſtæi minimè cogitantes, crapulantes potiùs & bibentes, Samſone columnam excutiente, ſimul omnes perierunt (*b*). Quot ſunt, qui ſani cubitum vadunt, & manè mortui reperiuntur? Stulti, ſtulti, terram tantùm cogitantes, & de fine numquam recogitantes: & *quæ* animæ veſtræ morituri *paratis*, in vos crudeliſſimi, *cujus erunt?* Hæreditas veſtra ad alienos perveniet, eam ingrati poſſidebunt, qui nec vobis juſta perſolvent, qui nullis vos ſuffragiis juvabunt, nec obulum quidem pro eripiendis animabus veſtris ex Purgatorio igne, expendent; quin imo vos paſſim vituperabunt, indigniſſimos homines, viliſſimos auri ſervos, in vos ipſos crudeliſſimos, Dæmonis martyres, ignominioſos ac infames nuncupabunt; & hanc vobis pro relicta eis hæreditate gratiam retribuent. O ſtulti, o ſtulti, quanto pretio tanta mala comparatis, quanto ſudore, quantis periculis! Avaritia igitur in primis fugienda, filii, ut parvuli ſitis.

Sed èt pueri puri ſunt, ac mundi. Fuimus quidem omnes Baptiſmi Sacramento ſanctificati, ſed eam puritatem peccatis cùm amiſerimus, Sacroſanctâ Pœnitentiâ recuperare poſſumus: ſic

(*a*) *Lucæ XII. v.* 16. *& ſeqq.* | (*b*) *Judicum XVI. v.* 30.

ſic *beatos mundo corde* (*a*) Dominus dixit, quibus Dei viſio in præmium proponitur. Væ patribus illis, qui impuritatibus ſuis non modò caſti ipſi non ſunt, ſed èt innocentibus pueris perverſo exiſtunt exemplo, qui totos dies feſtos, commeſſationibus & ebrietatibus, in tabernis conſumunt, ac ad eas filios ſuos adducunt; unde poſtea blaſphemiæ, furta, domorum dilapidationes, ac mala omnia oriuntur; qui quod tempus audiendis concionibus, Doctrinæ Chriſtianæ aut diſcendæ, aut docendæ tradendum eſſet, id tripudiis, & ſtultis ſaltationibus impendunt. Stulti ſanè, qui mille periculis expoſiti, de ſalute ſua dubii, pro eo, quod perpetuò flere deberent, ridere & ſaltare præſumunt. At choreas, dicitis, Magiſtratus, dum divina recitantur Officia, ſolùm prohibuit; ſed perfectior Eccleſiaſticus Superior, animarum veſtrarum Prælatus ulteriùs progreditur, ad majora aſpirat, & totos feſtos dies id umquam exerceri prohibet: Cur enim putatis, ſervilia opera exercere vetitum eſſe non modò Miſſarum aut Veſperarum tempore, ſed èt toto die, niſi ut intelligatis, totos feſtos dies Divino eſſe cultui dicandos? hanc Chriſtianorum hominum eſſe recreationem, in Divinis verſari, ſalutem animæ operari? Hæc qui faciunt, puri ſunt, & ideo pueris ſimiles.

Sunt præterea ſinceri pueri & ſimplices, non mendaces, abſque malitia. Væ iis, fratres, qui duplici corde accedunt ad Dominum, qui bilingues ſunt, & duabus viis gradiuntur; deteſtatur enim hos Deus, & execratur. Impii ſunt, qui duas habent menſuras, alteram qua vendant, alteram verò qua emant; & utrâque animas ſuas perdunt. *Simplices*, ſimplices nos eſſe oportet, *ut columbas; prudentes* verò, *ſicut ſerpentes* (*b*), ut pueri ſimus.

Sed nec offenſi iram diu retinent pueri, imo ſtatim iis, a quibus injuriam acceperint, reconciliantur. *Homo homini reſervat iram*, inquit Scriptura, *& propitiationem petit a Deo* (*c*)? Videte, quàm puerorum moribus veſtri contrarii ſint mores! Quomodo igitur vobiſcum agetur, cùm dixerit Dominus: *Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cœlorum* (*d*)? Audite Apoſtolum, qui quanti hoc eſſet faciendum, probè noverat, diſtrictè omnibus præcipientem: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram* (*e*); & cur id? Certè crediderim, ne importuna noctu irrumpens mors,

 nos

(*a*) *Matth. V. v.* 8.
(*b*) *Matth. X. v.* 16.
(*c*) *Eccleſiaſtici XXVIII. v.* 3. *&* 5.
(*d*) *Matth. XVIII. v.* 3.
(*e*) *Ad Epheſios IV. v.* 26.

nos proximis nostris iratos inveniens, in tenebras mittat exteriores. Videte quàm sit necessarium, hac in re pueris similes fieri; cùm eorum, qui id non faciunt, sacrificia Dominus respicere nolit; sed jubeat, *si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversùm te; relinque ibi munus tuum, & vade priùs reconciliari fratri tuo* (*a*).

Cœpit demum Jesus amplecti parvulos illos, & eis manus imponere, ac benedicere. Quàm Deo sunt grati, animadvertite obsecro, qui se a teneris annis ejus cultui mancipant, qui ætatis ei suæ offerunt florem; non autem in senectutem pœnitentiam differunt, quæ vitæ est veluti fæx. Intuemini gloriosissimum hunc Christi athletam Vitum, cujus hodie gloriosum natalem celebramus, qui puer admodum, inscio patre, baptizari voluit, ac paternæ pietatis oblitus, Mundi rebus omnibus neglectis, in alienas se terras recepit, ubi pueriles, quos audistis, mores numquam exuit; sed pro Christi fide innumeris exantlatis laboribus, martyrio tamdem coronatus est, ac ad Cœlum victor & triumphans evolavit. O quàm fuit sapiens! o quam prudens! qui paucissimis annis, æternitatem sibi vitæ comparavit. O quàm sunt stulti, qui unius horæ, unius momenti voluptate, æternas sibi præparant pœnas! Et quid tota hæc vita est, nisi tamquam dies hesterna, quæ præteriit? quæ si & millies, quàm sit, longior existeret, cùm illa præteriisset, adhuc tamen etiam nihil esset. Imitamini pueri puerum Vitum; imitemur eum omnes hodie: displiceat ex corde, quod præcessit vitæ, non Deo, sed Mundo aut Dæmoni tribuisse. Quod reliquum est saltem, ejus sit totum, qui se totum dedit et nobis. Qui pueri jam se Deo dederunt, benedicti sint a Domino, benedicti itidem qui juvenes, & qui omnium ætatum homines. Vos filioli mei, *gaudium meum, & corona mea* (*b*), quos hìc tam frequentes adesse conspicio, persistite cœptis, pueri Viti insistite vestigiis, Doctrinæ Christianæ Scholis assidui estote; Spiritum Sanctum orate, mundos vos, & puros Deo servet, ut benedicti sitis a Domino, & hìc gratià abundetis, & in Cœlo glorià sempiternà; quod ut assequamini ille vobis benedicendo concedat, qui sine fine vivit & regnat in secula seculorum. Amen.

HO-

(*a*) *Matth. V. v.* 23. & 24.

(*b*) *Ad Philippenses IV. v.* 1.

HOMILIA XXXII.

IN INSTITUTIONE

SOCIETATIS SS. SACRAMENTI (a)

Habita in Metropolitana Mediolani inter Miſſarum Solemnia

Dominica III. poſt Pentecoſtem

ANNO MDLXXXIII. XIX. JUNII.



IN HOC *Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, ut & mortuorum, & vivorum dominetur*, verba ſunt Apoſtoli Pauli ad Romanos (*b*), in hodierna Miſſæ lectione recitata; hic enim fuit finis, hæc cauſa omnium Chriſti Domini noſtri operum, & myſteriorum. Ob id e Cœlis deſcendit in terras; ob id homo fieri voluit, naſci, inter nos verſari, plurima pati, mori, reſurgere, in Cœlos aſcendere, Sanctiſſimum Spiritum mittere, ut ſe vivorum, & mortuorum ſupremum Regem, & Dominum eſſe oſtenderet. Quem etiam ſibi finem proponit ſacroſancta ejus Sponſa, & Mater noſtra Catholica Eccleſia, dum diverſis per annum ſolemnitatibus, diverſimodè etiam ea nobis myſteria ob oculos ponit. Noſtræ quoque ſunt partes, dilectiſſimi filii, iis correſpondendo myſteriis, ad eumdem nos finem accommodare. Et quoniam inter illa myſteria, quæ hactenus recoluimus, ultimum fuit Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti inſtitutio, qua nobis Chriſtus Deus ineffabilem ſuum amorem patefecit, ac caritatis ſuæ immenſæ viſcera aperuit; æquum eſt etiam, ut, quando amori debetur amor,

(*a*) Quæ Sanctus Carolus præſcripſerit ad hujus Societatis rectam diſciplinam, & munera exercenda, legi poſſunt in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis Parte V, fol. 896. Deſignatus autem fuit tertius Dominicus dies cujuslibet menſis peragendæ ſupplicationi SS. Corporis Chriſti in Metropolitano Templo Mediolanenſi, ob inſtitutam eo die hanc Societatem.

(*b*) *Cap. XIV. v. 9.*

amor, animas vestras ad hujusmodi amoris retributionem conemur impellere.

Opportunè igitur hodie (qui dies, quoniam Sanctis Protasio & Gervasio Martyribus, Civitatis hujus Patronis, est sacer atque solemnis, ideo èt libentiùs huic Christianæ Religionis propagationi est a nobis dicatus, ut eorum peculiari patrocinio, quicumque fuerint in hac societate, juventur) instituta est in Majori hoc Templo, ejusdem Eucharistiæ Sacratissimæ Sanctissima Sodalitas, in cujus tanti doni gratiarum actionem & Sacra ipsi, quibus vos adestis, peragimus; & brevi hodierno sermone, duo huc pertinentia prosequemur. Alterum est, quanta sit eorum dignitas atque excellentia, utilitas ac jucunditas; qui in hac Sacrosancta Societate descripti sunt, aut describentur; alterum verò, quales ipsos deinceps vita & moribus esse oporteat; quæ dum dico, attendite.

Magnus profectò erat animi affectus devotæ illius Sponsæ, Ecclesiam Sanctam designantis, qua Sponso suo Deo uniri peroptabat: *Quis mihi*, inquiens, *det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deosculer te, & jam me nemo despiciat* (*a*)? Cupiebat Sancta Mater Ecclesia, Christum Dominum sibi unitum per Humanitatis nostræ assumptionem videre, ut nemo eam in posterum despicere præsumeret. Quòd si tanto unionem hujusmodi illa affectu expetebat, quantò deberet ardentiùs pia quælibet anima cupere Christo Sponso suo uniri Sanctissimâ hac Sacramenti sumptione, quod ideo nobis est datum, ut Deo uniamur omnino, ac in ipso transformati, quasi divini efficiamur? unde èt nemo eam deinceps auderet contemnere. Sed jam te, bone Christe, videmus; jam te nobis unitum, nobiscum permanentem intuemur, licèt oculis non pateas, nisi sub visibilibus panis & vini speciebus: Jam te, quandocumque malumus, perfruimur; jam te pascimur; jam tu noster es ad libitum nostrum cibus: quis ergo ultra tam dignos homines despiciat? quis tam nobiles creaturas contemnat? An Pater æternus negligat, quos ejus Filius tantì dignatus est facere, ut ab eis etiam comedi voluerit? An ipsemet Filius, qui tanto nos amore dilexit, ut & ejus vita, & mors, & resurrectio, & ascensio, & hujus Sanctissimi Sacramenti institutio, amoris erga nos sint effectus, & signa? An Spiritus Sanctus, amoris Spiritus, amorem hunc non magnificiat, qui ejus etiam causâ extitit in nos liberalis;

(*a*) *Cant. Cantic. VIII. v. 1.*

ralis, multiplicia ſua nobis dona communicans? An Angeli, nos Angelico pane ſatiatos non reverebuntur? Quis ergo nos ultra deſpiciet? Et ipſis Dæmonibus terribiles erimus. O qualis honor & dignitas, quantus fructus & utilitas ex hujus ſacri Panis ſumptione proveniens! quanta hujus cœleſtis Menſæ admiratio! *Regina Saba* (*a*), *cùm audiſſet famam Salomonis*, ad eum acceſſit; *quæ poſtquam vidit ſapientiam* ejus, *& domum, quam ædificaverat, necnon & cibaria menſæ ejus, & habitacula ſervorum, & officia miniſtrorum ejus, & veſtimenta eorum; pincernas quoque, & veſtes eorum, & victimas, quas immolabat in domo Domini, non erat præ ſtupore ultra in ea ſpiritus. Dixitque ad Regem: Verus eſt ſermo, quem audieram in terra mea de virtutibus, & ſapientia tua. Non credebam narrantibus, donec ipſa veniſſem, & vidiſſent oculi mei, & probaſſem, vix medietatem ſapientiæ tuæ mihi fuiſſe narratam: viciſti famam virtutibus tuis. Beati viri tui, & beati ſervi tui, qui aſſiſtunt coram te omni tempore, & audiunt ſapientiam tuam.* Sed quantò magis admirari debetis vos, dilectiſſimi fratres, Sacratiſſimam hanc Menſam, in qua nihil aliud comeditur, quàm Chriſti Dei Caro & Corpus; nihil aliud bibitur, quàm ejuſdem pretioſiſſimus Sanguis! Quàm meritò nuncupandi & exiſtimandi ſunt beati Chriſti ſervi, in ejus familiarium numerum adſcripti, in Sancta hac ejus Societate deſcripti, & eò feliciores ac beatiores, quò munera ſortientur, quæ ab eis majorem Chriſto propinquitatem requirant, ſive in geſtandis luminibus, ſive in aliis quibuſvis peragendis! Vos beatos, fratres, & ſorores, qua beatitudine mortalem vitam degentibus perfrui licet, quæ ad æternam eſt beatitudinem via cum ejus firma ſpe! Et non modò beatos, ſed nobiliſſimos etiam, atque ceterorum hominum præſtantiſſimos jure vocaverimus; nam licèt aliæ plurimæ inſtitutæ ſint in Eccleſia Dei Societates, diverſis Sanctis Viris, & Mulieribus dicatæ; veſtra tamen, quam eſtis ingreſſi, tantò ceteris omnibus præſtat, quantò Chriſtus Sanctorum Sanctus, & ſanctitatis omnis auctor & fons, illorum Patronis, ſervis ſuis præeminet. Quod igitur eſt ſervus ad Dominum; hoc illæ ad veſtram eſſe conſpiciuntur.

Si veſtrûm quempiam Rex aliquis ſibi ſervum eſſe vellet ac familiarem, eique tale in domo ſua deſignaret officium, quod perpetuam Regis præſentiam requireret, quàm hunc ceteri omnes conſervi ſuſpicerent & venerarentur! O Chriſtiani: Regi, homini morituro, in pulverem redigendo, a vermibus devorando, & aliquando

(*a*) *II. Paralipom. IX. nu.* 1. 3. *& ſeqq.*

do etiam in barathrum detrudendo, adeò magnum existimamus, obsequium præstare: ecquid esse existimabimus, Regi sæculorum immortali, & invisibili Deo Christo, Dei Filio servire, cui servire, regnare est; ejus familiarem esse, atque ei (ùt vos facitis) semper assistere? Quanto ergo digni vos estis honore, quos tanta illustrare dignatur nobilitate Rex ipsemet Christus!

Sed affert etiam vobis plurimos, eosque maximos fructus, hæc ipsa Salvatoris nostri præsentia atque propinquitas. Quamdiu ipse inter nos fuit in forma servi, humanis subditus infirmitatibus, tot ab illo virtutes exibant, tot corporali sua præsentia operabatur miracula, tot cæcis visum, surdis auditum, languidis firmitatem, mortuis vitam largiebatur. Videte, quomodo Matthæum vocabat, & ille relicto statim Telonio, accurrebat ad illum: quomodo discipulos alios pauperrimos, qui relictis tamen retibus & navi, eum sequebantur: quomodo Petrum tantùm aspiciens, licèt jurantem & negantem, ad lacrymas amarissimas impulit: quomodo Zacchæi domum ingressus sanctificavit: quàm denique alia multa ab illo prodibant insignia, quæ in ejus Humanitate operabatur Divinitas. Ecquid putatis, hunc ipsummet Christum, non jam ampliùs servum & miserum, sed Regem gloriosum, in Cœlis triumphantem, inter nos etiam & nobiscum existentem, sacratissimâ suâ præsentiâ ac perpetua visione effecturum, concessurum, operaturum? Innumera, innumera, fratres, quæ innuisse sit satis, temporis cùm premamur angustiis: id solum in primæ hujus considerationis fine subdamus; beatos verè vos, & omnes esse, quicumque in hac sancta Societate descripti fuerint; a vobis, & de vobis optimè verba illa dici, quæ hodie canit Ecclesia in Sanctorum Protasii & Gervasii solemnitate (cujus tamen officium in diem crastinum, ut huic sacro Mysterio locus esset, transtulimus) nempe: *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum, habitare fratres in unum* (*a*). O *quàm bonum* est, summo bono servire, ei adesse, per quem bona cuncta sunt bona, quæ eò meliora existunt, quò ei propinquiora! O *quàm bonum*, largitori bonorum omnium famulari, qui adeò bonus est, ut quæcumque petierimus bona, nobis largiri paratus sit! Sed o *quàm* etiam id *jucundum* est, in caritatis unione cohabitare fratres, qua nihil dulcius, & quæ hujus Sanctissimi Sacramenti frequenti sumptione comparatur potissimùm; unde èt Communionis Sacramentum appellatur! Quid utilius aut jucundius hac Societate Sanctissima esse potest, cujus finis & scopus nihil est aliud, quàm Christi

(*a*) *Psal. CXXXII. v. 1.*

Christi Domini nostri Corpori & Sanguini honores omnes procurare; quàm ei frequenter uniri; quàm id, & cùm defertur ad ægros, aut per Civitatis vias, aut cùm in Ecclesia asservatur & luminibus, & aliis id genus obsequiis prosequi studere? At quoniam gratissimus est Deus, quem non retribuet honorem iis, qui sic eum honorare contendunt? quam non dabit spiritûs jucunditatem, eum toto spiritu amantibus? *Gustate*, gustate, fratres, *& videte*, quàm bonus, & *suavis* vobis erit *Dominus* (*a*), modò tamen in unum coacti, in hac Sanctissima Societate ita habitetis, ùt habitare vos decet, ac ita vivatis, qualem a vobis instituti vestri ratio postulat vitam, quam breviter, ut ad secundum propositum caput accedamus, attingemus.

Præcipuum vestrum munus, qui estis descripti, est omnem Sanctissimo huic Sacramento, quatenus potestis, honorem exhibere: exhibetur autem maximus, panem hunc Sanctissimum frequenter comedendo; ideo singulis tertiis mensium Dominicis saltem panem hunc manducabitis, quod èt hodie facere incipietis. Sed ne longiùs res protrahatur, ac ne sacra Mysteria interrumpantur, in duobus Altaribus sacris, huic proximis, in altero quidem viris, in altero verò mulieribus ministrabitur a Sacerdotibus Sacra Synaxis, dum nos eam Ecclesiasticis tantùm Ministris porrigemus.

Sed èt aliud etiam vestrum est munus, nempe, ut vos tantum a Deo vobis præstitum beneficium cognoscere ostendatis, in recognitionis signum aliquid offerre; ideo èt Sacerdotes accedent, oblationes a vobis recepturi, quas nec dare cogimini, nec earum vobis quantitas ulla præfigitur, sed voluntarium debet esse, quod dabitis; *hilarem enim datorem diligit Deus* (*b*). Quidquid autem obtuleritis, id totum in Sanctissimi Sacramenti hujus honorem distribuetur, in procurandis luminibus multis, & candelis ac facibus, quibus honorificentiùs & digniùs, ac pro Majestatis suæ amplitudine & in Ecclesia conservetur, & ad infirmos, cùm necesse fuerit, deferatur: nam licèt bonorum nostrorum nullatenus egeat Dominus; in hoc tamen sibi admodum complacet, ut minusculis hisce donis, animi nostri erga illum religionem & pietatem patefaciamus.

Sed ut ad magis peculiaria descendamus: cùm Schola sit Christi, hæc sanctissima Societas; cùm sit æterni Regis familia, qualisnam erit horum Christi Scholarium, Dei Servorum habitus & Insignia? Solent Reges, ac Principes & Nobiles Viri, quamdam vestium formam servis suis præscribere, qua induti, licèt aliàs minimè cogniti,

(*a*) *Psal. XXXIII. v. 9.*

(*b*) *II. ad Corinth. IX. v. 7.*

ti, Regis tamen illius servi esse dignoscantur. Sed multò magis hoc Regum Rex, & Dominantium Dominus Deus requirit: tenemur quippe Christiani omnes, sed vos potissimùm, talem vitam extrinsecus ducere, qua veluti veste quadam amicti, Christi servi & discipuli esse cognoscamur: profiteri nos oportet, & confiteri publicè, verbis & factis Christi Fidem ac regulam; qui enim illum confitebitur, beatus erit (*a*); qui verò eum erubuerit confiteri, erubescet èt ipse hunc eumdem coram Patre suo. Sunt qui sæpe communicare erubescunt; alios pudet, veteres quasdam pravas societates relinquere, & spiritualem vitam ducere, dicentes: quid, si me hujusmodi facientem viderit, Mundus dicet? quid homines loquentur? O miseri! væ vobis, qui tales estis, qui sic a Mundo pendetis, qui ita quid Mundus dicat attenditis! Et quis, quæso, Mundus iste est, quem adeò observatis? An Cœlum, terra, elementa muta, Sol, Luna, astra omnia? Sed hæc nihil loquuntur. An Angelici Chori, & qui in Cœlo sunt Sancti? Sed hi vos potius bene agentes collaudabunt, quibus majus est *gaudium super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonagintanovem justis* (*b*). An homines probi, & servi Dei, qui peregrinantur in terris? Sed hi potiùs super vos hæc facere omittentes amarissimè flebunt. Quis ergo hic Mundus est, cui ita servitis, ut tamdem videamus? Scelesti homines, inimici Dei, mundani, luxuriosi, avari, superbi, flagitiis omnibus & sceleribus coinquinati; hi Mundus sunt, hi domini vestri, ab his vos pendetis omnino; horum voces oracula sunt vobis, hi vestri sunt Dii. O miserrimi homines, quicumque horum vocibus a bene agendo, a frequenter communicando, a Christum Dominum confitendo, retardamini! Non sic vos filii; sed dicat unusquisque vestrùm: jam statuo hodie, Christe Deus, ubi de nominis tui gloria, ubi de rebus ad honorem tuum spectantibus agetur, & Mundum, & quotquot in eo sunt, corpus hoc meum & vitam, omnia denique ùt stercora arbitrari, ut te solum lucrifaciam (*c*). Sed quæ tamdem agentes, Christi vos discipulos, ac hujus Societatis confratres esse ostendetis? qualis erit hæc vestis? quod Regis vestri insigne? Audite Christum, antequam moreretur, id Apostolos suos, & nos omnes docentem, cùm dixit: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* (*d*); si quæ hodierno Evangelio præcipit Dominus facienda, quæve vitanda, adimplere studueritis, ubi sic loquitur: *Estote ergo misericordes, sicut èt Pater vester misericors est*

(*a*) *Matth. X. v. 32. & seq.*
(*b*) *Lucæ XV. v. 7.*
(*c*) *Ad Philippens. III. v. 8.*
(*d*) *Joannis XIII. v. 35.*

est (a). O quantum, filii, Domino debemus, qui & Creator, & Conservator, & Redemptor, & Pater, & Magister noster esse dignatus est! Unde non immeritò Joël Propheta ob id exultare nos, & gratias agere jubet, cum ait: *Et filii Sion exultate in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ* (b). Munus autem hoc Salvator noster abundantissimè præstitit, ùt per Prophetam etiam dixit: *Annunciavi justitiam tuam in Ecclesia magna. Ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti* (c). Cùm verò tripartita sit justitia, ùt quæ cuique suum reddere proponat, Deo scilicet, nobis, & proximo; en quia tertiam hodie justitiæ partem insinuat: *Estote igitur misericordes*, hoc est, alienis malis compatimini ex corde; tantò enim quisque perfectior est, quantò perfectiùs dolores sentit alienos; *sicut èt Pater vester misericors est* (d), *qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos* (e); nam sicut æquè Sol omnes illuminat, æquè imbres irrorant; sic èt vos æquè, citra ullam personarum acceptionem, omnibus misericordes esse debetis, absque ulla spe præmii ab iis recipiendi, sed a Deo tantùm, qui *mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabit in sinum vestrum* (f). Ut enim emptor super hanc mensuram nihil habet, quod desiderare possit; ita misericordiæ præmium adeò erit magnum, ut majus expeti nequeat. Sunt hujus misericordiæ fructus innumeri, quos, quia de iis opportunior se aliàs offeret occasio fusiùs agendi, nunc lubens omitto; hunc tamen unum minimè reticendum censeo: Christi Domini ore promissum misericordibus, quòd nempe *misericordiam consequentur* (g) & quidem in die justitiæ, in die magni Judicii, cùm Dominus ad inspiciendum venerit. O quantum hoc præmium; quòd tantò est majus, quantò èt maximè omnes egemus, cùm peccaverimus omnes, & peccatis delendis congruum valde sit Misericordia remedium! *Eleemosyna* enim *resistit peccatis, sicut aqua extinguit ignem* (h). Sed nec proximis nostris ullo pacto, aut opere, aut verbo, aut quod plus est, solo cogitatu nocendum esse; hæc ipsa misericordia docet, cùm sequitur: *nolite judicare, & non judicabimini*; qui enim vos estis, qui fratres vestros judicetis? & *nolite condemnare, & non condemnabimini* (i). Quot sunt miseris hisce temporibus, qui alienis factis semper disquirendis & judicandis, propriis omissis, intenti sunt; qui & quæ rectè a ceteris fiunt aut dicuntur, ipsi perperam interpretantur; qui non solùm de æqualibus suis, sed, quod longè est pejus, de Superioribus etiam judicium ferunt, ac ipsi pedes cùm

(a) *Lucæ VI. v.* 36.
(b) *Joël. II. v.* 23.
(c) *Psal. XXXIX. v.* 10.
(d) *Lucæ VI. v.* 36.
(e) *Matth. V. v.* 45.
(f) *Luc. VI. v.* 38.
(g) *Matth. V. v.* 7.
(h) *Ecclesiastici III. v.* 33.
(i) *Lucæ VI. v.* 37.

ſint hujus magni corporis, quod eſt Eccleſia, capita judicare præſumunt; oves Paſtorem arguere audent? Sed tantæ profectò temeritatis pœnas daturi; *eâdem quippe menſurâ, quâ menſi fuerint, remetietur eis* (*a*). Non ſic vos, filii; ſed aliena errata, feſtucas, veſtra verò, trabes eſſe exiſtimate, ne vobis a Domino dicatur: *Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo, & tunc perſpicies, ut educas feſtucam de oculo fratris tui* (*b*).

Verùm non ſatis eſt, filii, proximos diligere, iiſque miſericordiæ opera impendere, dare quæ poſtulant, dimittere quæ in nos committunt, non judicare quæ faciunt, non condemnare eos, niſi etiam in his omnibus intentionis oculus ſimplex fuerit, ut totum ipſum corpus lucidum ſit (*c*): Quidquid enim proximo ſit, id totum, ut rectè fiat, Dei intuitu ſemper fieri debet. Sic filii parentibus obſequi tamquam Domino jubentur; ſic ſervos Dominis ſuis obedire Apoſtolus præcipit (*d*), veluti Domino; ſic pauperibus, veluti Domino, dandam eſſe eleemoſynam Chriſtus oſtendit, cùm dixit: *Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis* (*e*).

In omnibus ergo ſemper Deus eſt cognoſcendus, Dei veneranda ſimilitudo, ad cujus imaginem omnes ſunt creati; quam qui ſemper intuiti fuerint, nemini nocebunt, ne Deum, cujus illi ſimilitudinem referunt, lædant; omnibus proderunt, ut Deo, ad cujus ſunt imaginem creati, gratificentur. Sed ſi in omnibus iis, quæ gratiâ hominis fiunt, Deus ſemper ob oculos, & Dei ſimilitudo verſari debet; & quonam fine aut obſequio in iis, quæ Deo ipſimet facitis in hac Sanctiſſima Societate, uti vos expedit? quomodo ei ſervire vos decet? Dicam-ne veluti Regi potentiſſimo? veluti Imperatori invictiſſimo? Sed nihil dicam; ſunt enim hæc opera manuum ejus; ipſe fecit ea, non ea ipſum. Quo igitur ei modo, cùm Deus ſit, ſerviendum? Hìc obmuteſco, filii, ad infinitum namque nulla eſt finiti ſimilitudo, ſive proportio; hìc taceo, neque aliud quiſquam loqui valet, niſi fortè in illas ſimul voces Apoſtoli Thomæ, Chriſti vulnera & plagas tangentis, cùm Deo ſervimus, cùm ejus Sanctiſſimum Corpus ſumimus, cùm ei aſtamus, cùm illud deducimus cum luminibus, aut alio quovis modo; prorumpamus dicentes: *Dominus meus, & Deus meus: Deus meus, & Do-*

(*a*) *Luc. VI. v.* 38.
(*b*) *Ibid. v.* 42.
(*c*) *Ibid. XI. v.* 34.
(*d*) *Ad Epheſ. VI. v.* 1. *&* 5.
(*e*) *Matth. XXV. v.* 40.

Dominus meus (*a*). Sic ei sunt hæc omnia præstanda, ùt Deo nostro, qui describi aut definiri nequit; ùt Domino nostro, corporum & animarum nostrarum Creatori, & Domino; & sic ei rectè inserviemus, cùm propter ipsum tantùm, & non propter præmium, aut aliud quidpiam serviemus, & proximos nostros in ipso, & propter ipsum diligemus.

Caritas ergo & dilectio proximorum, Christi, qui est summa caritas, est Insigne; est vestra futura vestis, quam proximo vestro non verbis tantùm effictam, sed verè & sincerè operibus comprobetis, eleemosynis, misericordia, iis denique, quæ hodierno Evangelio illis præstanda Dominus docuit, a quibus etiam abstinendum sit, aperiens. Neque verò se ipsum quispiam fallat, dicens, quia caritatem habet, & diligit proximum suum; *Deus enim non irridetur* (*b*); sed ex effectibus & caritatis proprietatibus, an caritatem habeat, ostendat: *Caritas enim patiens est, benigna est. Caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate; congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet* (*c*). Hæc qui non habet, caritatem non habet; Christi discipulus non est; in Sanctissimi Sacramenti Societate indignè est descriptus. *Abjicite ergo opera tenebrarum, & induimini arma lucis: sicut in die honestè ambulate, non in commessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione: sed induimini Dominum Jesum Christum* (*d*), & ipse vobis erit vestis. O quanta est hujus vestis ab indumentis vestris diversitas!

Christus spinis totus & verberibus, clavis & sanguine indutus est; vos autem, mulieres præsertim vanæ, mille generum vestibus ornatissimæ, superfluis expensis, contortis crinibus, ac aliis hujusmodi, quam cum Christo habebitis similitudinem, aut quomodo ei convenietis? Vestes alias induite, illas nempe virtutes, quas in Cathedra Crucis docuit Magister vester & Dominus, humilitatem, mansuetudinem, æterno Patri obedientiam, inimicorum dilectionem, pro quibus ėt oravit, in adversis tolerantiam atque patientiam, ut (*e*) *semper mortificationem Jesu in corpore vestro hic circumferentes, & vita Jesu manifestetur in corporibus vestris* mortalibus per gratiam, & in Cœlo per gloriam, ad quam nos omnes Dei bonitas perducat. Amen.

HO-

(*a*) *Joannis XX. v. 28.*
(*b*) *Ad Galat. VI. v. 7.*
(*c*) *I. ad Corinth. XIII. v. 4. & seqq.*
(*d*) *Ad Rom. XIII. v. 12. & seqq.*
(*e*) *II. ad Corinth. IV. v. 10.*

HOMILIA XXXIII.

DE SANCTIS

PROTASIO ET GERVASIO

Habita in Basilica Sancti Ambrosii Mediolani

Feria II. Dominicæ III. post Pentecostem

ANNO MDLXXXIII. XX. JUNII.



ONOS Medicos Patriæ nostræ habentes gaudete, fratres, Beatum Protasium, & Gervasium Martyres Domini, & Ambrosium, qui suis sanctis intercessionibus a malis omnibus liberaverunt nos, sic hodie Sanctum Officium Ecclesia aggreditur (*a*). O si quis posset videre, a quot malis & calamitatibus, a quàm multis periculis & corporalibus, & spiritualibus Mediolanensis hæc Civitas a Deo fuit horum Sanctorum patrociniis liberata, quàm multum ipsam illis debere intelligeret! Fuit heri eorum Festum, sed Dominico Officio præpediti, in hodiernum diem eorum transtulimus memoriam, quos tantò majori nos religione atque obsequio venerari ac colere tenemur, quantò major est cumulus suorum erga nos meritorum, & quantò specialior nostri protectio. Nam, cùm omnium Sanctorum Festa sint a nobis meritò celebranda, horum certè Parentum nostrorum, quorum sanguine Mediolanense solum nobilitatur, quorum miraculis illustratur, quorum exemplis ad Christum convertitur, quorum assiduis precibus ab innumeris malis eripitur, & plurimis donis honestatur, peculiari quodam animi affectu Natalis dies est recolendus. Quò circa de eorum Martyrio ac meritis; tum de viis, qui-

(*a*) Verba superiùs exposita leguntur in Missæ *Ingressa*, ritu Ambrosiano. Officium SS. Martyrum fuit in hunc diem translatum, ob Dominicam, in quam hoc anno illorum Festum inciderat.

quibus ad tantam gloriæ ſublimitatem fuerunt evecti, dum vos attenditis, nos, Deo dante, tractabimus.

Fuerunt Protaſius & Gervaſius, Vitalis & Valeriæ Martyrum filii, qui ſub Neronis perſecutione, pro Chriſti nomine ſanguinem effuderunt; hi virtutum, ſanctitatis, & integritatis parentum ſuorum imitatores egregii, iis mortuis, domum ſuam ac facultates omnes pauperibus diſtribuerunt, ut nudum Chriſtum, nudi faciliùs ſequerentur. Ab Aſtaſio Mediolani Præfecto in carcerem conjecti fuere, & a Nazario, qui poſt èt ipſe Martyr extitit, viſitati. Sed inſtigantibus Idolorum Sacerdotibus Præfectum ad bellum profecturum, ac ſuggerentibus, eum victoriam minimè conſecuturum, niſi cogeret fratres Protaſium & Gervaſium, relicta Chriſti Fide, Idolis ſacrificare; Iis verò in caſſum ſæpe tentatis, demum ille Gervaſium tamdiu cædi juſſit, donec inter verbera expiraret; Protaſium verò fuſtibus contuſum, capite plecti. O felix Mediolanenſis Civitas, quam primùm hi fortiſſimi Athletæ, prope naſcentis Eccleſiæ primordia, ſanguine ſuo illuſtrarunt! Eorum corpora Philippus clam ſuſtulerat, & in ædibus ſuis abſconderat; quæ tamen, Pauli Apoſtoli monitu, Beatiſſimus Pater noſter Ambroſius reperta, honorifico & publico loco ſepelienda curavit (*a*). *O quàm bonus Iſraël Deus his, qui recto ſunt corde* (*b*)! Quàm eſt Sanctiſſimus Dominus in reddendo præmio liberalis! quàm magna pro parvis (*non* enim (*c*) *condignæ ſunt paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*) præmia retribuit! ut qui hæc conſiderent, meritò exclamare cogantur: *Nimis honorificati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt Principatus eorum* (*d*). Non modò tantùm horum ſervorum Chriſtus, dum viverent, curam habuit, eos in tribulationibus confortando ad perſecutiones ferendas; ad effundendum ſanguinem, & mortem ſubeundam vires addendo; ſed etiam poſt mortem, non tantùm animas cœleſtis Regni cohæredes eſſe voluit, verùm èt eorum corpora ac cineres debitis honoribus defraudari minimè permiſit, nec abſcondita eſſe voluit, imo plurimis miraculis & ſignis, quæ per eos ipſe operari dignabatur, qui-

(*a*) Deſumpta hæc ſunt ex Epiſtola Sancti Ambroſii ad Fratres Italiæ, quæ inter apocryphas ab eruditis Viris in præſentia rejicitur. Vide Bollandi Sectatores ad diem XIX. Junii, & Diſſertationem meam Apologeticam pro vindicanda Mediolano SS. Corporum Protaſii & Gervaſii poſſeſſione, editam anno MDCCVIII., & iterum vulgatam cum Appendice anno MDCCXIX.

(*b*) *Pſal. LXXII. v.* 1.

(*c*) *Ad Roman. VIII. v.* 18.

(*d*) *Pſalm. CXXXVIII. v.* 17.

quibus & Ambrosius (*a*), & Augustinus (*b*), Ecclesiæ Sanctæ columnæ, interfuerunt, & revelationibus Antistiti nostro Sanctissimo factis, mortalibus omnibus manifestavit. Verè gloriosus est Dominus in Sanctis suis, & mirabilis in operibus suis. Nos verò hos thesauros, & quàm plurima alia Sanctorum Corpora, quæ signa sunt & pignora certissima Divinæ in nos caritatis, ac hujus Civitatis præsidia firmissima, possidemus; & ob id multa Deo, ac Sanctis ipsis debemus: Illi quidem ad orationem & gloriam, utpote sanctitatis omnis auctori, & gratiarum actionem, qui nos his thesauris ditaverit; istis verò omnes, quos possumus, tribuere honores, preces & vota offerre, eorum solemnitates celebrare, gratias itidem agere de innumeris periculis & malis, a quibus, licèt occultis, eorum meritis, divinæ placuit Majestati nos eripere. Hoc èt temporibus suis monebat Antistes Ambrosius, etiam cùm eorum Corpora ubinam essent, ignorabatur. Eorum mortuorum umbra tunc innumeris cæcis visum, & mille generum morbis detentis, sanitatem restituebat, vel sudariola super eorum cineres projecta, beneficia maxima mortalibus conferebant. Jam verò nostris hisce temporibus, numquid eorum in hanc Patriam refriguit caritas, qui ibi regnant, ubi nec fides, nec spes, sed sola remanet caritas? Quàm multos fortasse vestrùm, o filii, proximis annis sæva pestis inter nos sæviens extinxisset? quàm magnâ annonæ penuriâ, qua aliæ plurimæ Civitates laborarunt, fuissemus oppressi? quàm multa alia mala in nos pervenissent, nisi hujusmodi habuissemus protectores & advocatos, qui, veluti Moyses, Deo acceptissimi, inter eum, & nos stetissent, ac iræ suæ sagittas precibus suis avertissent a nobis? O filii, o filii, quantum mali confert nobis ignorantia, eò quòd quæ erga nos fiunt, non videamus! Sed nòs, qui fideles sumus, iis magis credere debemus, quæ Fidei, quàm quæ corporis oculis videmus; nam cùm certò sciamus, summam esse horum Sanctorum in nos caritatem; posse etiam apud Deum ipsos plurimum; ipsum etiam Deum, nostrî amantissimum existere; ex his omnibus necessariò inferre debemus, cùm innumeris simus malis atque periculis expositi, & illos pro nobis, quos diligunt, orare

(*a*) De iis, quæ acciderunt in inventione, ac translatione SS. Corporum Protasii & Gervasii, certiorem fecit sororem suam Marcellinam Sanctus Ambrosius Epistolâ ad ipsam datâ, quæ jacet sub numero XXII. in postrema Parisiensi editione ejusdem Operum.

(*b*) Miraculorum, quæ in translatione ejusmodi Corporum edita sunt, testem se profitetur Sanctus Augustinus Libro IX. Confessionum Cap. VII.

re perpetuò, & a Deo, qui nos amat, exaudiri; eorum precibus averti a nobis mala, & munera concedi, dummodo piè ad ipsos confugiamus. Sed jam satis, ùt arbitror, patet, quantum iis & honorem debeamus & amorem.

Nunc, quæso, vias ac media inspiciamus, quibus ipsi ad tantam pervenerint gloriam, ut èt nos per eas incedentes, eòdem perveniamus. Hodierni lectio Evangelii, dilectissimi fratres, duo hæc potissimùm præstat; nam primo loco Sanctorum gloriam innuit, secundo verò media ad eam comparandam insinuat; primum quidem, ubi dicitur: *Nihil opertum est, quod non reveletur, neque absconditum, quod non sciatur; quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur, & quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis* (a). Quæ quidem duplici sensu intellecta, duplicem in nobis excitare possunt & timoris, & spei ac gaudii affectum; utroque autem ad bene agendum inducimur. Nam primò accipi possunt, prout terrent homines pravos, qui se occultè peccare posse confidunt, ac absconditè ab eo, cui corda patent & renes; quoniam èt apud homines eorum tecta sunt peccata. Hi quidem in pœnam, non modò inferni ignem, sed èt publicam apud homines confusionem accipient, cùm extremo Judicii die, (& etiam ante, prout quandoque Dei permittit justitia) quæ abscondita & occulta fuerunt, revelabuntur; quando uniuscujusque crimina cunctis perspecta erunt; quando liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, unde Mundus judicetur; quando qui nunc Sancti existimantur, tunc impii apparebunt. O qualis tunc erit confusio! Sed qualis etiam quandoque, ùt diximus, sic permittente Deo, quamdiu vivimus, contingit! Eam autem effugient, qui ita vixerint, ut quidquid faciant, cogitent, aut dicant, id totum coram omnibus & palàm facere, dicere, aut cogitare parati sint. Sed alter sensus, qui amorem & spem in nobis producit, præsenti solemnitati congruit magis, cùm sic Christus Sanctos suos, & quemlibet nostrùm alloqui videatur: Eja, filii, nolite laboribus cedere, neque vigiliis fatigari; legem meam percurrite, mandata mea adimplete, & felices eritis. Ardua quidem videbitur via, sed ad Patriam ducet amplissimam. Eritis quidem Mundo exosi & ignobiles, irridebunt vos multi, eritis sicut peripsemata Mundi hujus, & purgamenta; latitabitis in cellulis, in antris, in eremis, & pu- tabi-

(a) *Lucæ XII. v. 2. & 3.* | (b) *Matth. X. v. 26.*

tabitis, quia nemo vestrum umquam sit nomen agniturus: sed hilares estote, quia quos nunc Mundus non cognoscit, & Reges & Principes venerari contendent, maximæque gratiæ loco habebunt, si vestros cineres osculari potuerint. Per universum terræ Orbem Sancta Mater Ecclesia natales dies vestros celebrabit; ad monumenta vestra ex omnibus Mundi regionibus, omnium generum homines accurrent, ut vos, qui mihi in humilitate & simplicitate inserviistis, omnes debitis prosequantur honoribus; *nihil enim est opertum, quod non revelabitur*, neque *absconditæ* erunt virtutes vestræ, *quæ non sciantur* (*a*): & quæ in tenebris, in corpore vestro pro me tulistis, ac fecistis, Mundo innotescent: & ecce quàm pulchrè primo Evangelii loco Protasii & Gervasii Ducum fortissimorum gloriam innuit Dominus, quorum corporibus atque cineribus tantum tribuit honoris & gloriæ! Sed audite, quomodo suavibus quibusdam veluti stimulis media ad hujusmodi comparandam gloriam insinuet, quæ si quis mente penetret, quàm ea opportuna & efficacia esse comperiet!

Ac primus quidem stimulus, seu medium illic innuitur, ubi Dominus dicit: *Dico autem vobis Amicis meis*; quàm dulcè amici nomen adhibeat, qui pro nobis animam suam posuit, qua majorem nemo umquam caritatem habuit: *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant* (*b*), ne vos Tyrannorum sævitia terreat, aut tormenta, quorum potestas fragilia corpora non transgreditur; nec ea lædit, nisi quatenus, & quando mihi, qui vobis Amicus sum & Pater, placuerit. *Ostendam autem vobis, quem timeatis*. O amantissimum Magistrum, nobis toties in Sacris Scripturis promissum! Et quid doces Christe? Sapientiæ initium, Dei timorem doces. O doctrinam nobilissimam, & omnium maximè necessariam! *Ostendam*, inquit cœlestis Magister, *quem timeatis; timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete* (*c*). *Beatus vir*, filii, *qui timet Dominum*, quia *in mandatis ejus volet nimis* (*d*); nam *qui Deum timet, mandata ejus servat: hoc est enim omnis homo* (*e*). Time Deum Rex, qui te Regem constituit, & licèt aliis præfecerit, sibi tamen subditum esse voluit. Time Deum Pontifex, time Episcope, time Sacerdos, qui tot fidei tuæ

(*a*) *Matth. X. v. 26.*
(*b*) *Lucæ XII. v. 4.*
(*c*) *Ibid. v. 5.*
(*d*) *Psal. CXI. v. 1.*
(*e*) *Ecclesiastes XII. v. 13.*

tuæ animas commisit, pro iis omnibus a te rationem expetiturus. Time Deum, qui Magistratum geris, & justitiam omnibus ministrabis. Time Deum mercator, & contractus illicitos fugies, dies festos non violabis. Time Deum dives, cujus es œconomus. Time Deum pauper, qui tuam in paupertate patientiam probat. Timete Deum homines & mulieres, mortis & vitæ dominum, cui de omnibus strictissimam estis rationem reddituri. *Timete Dominum omnes Sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum* (*a*). Dissimulat quidem hic Dominus multa; videt, & tacet; blasphemantes audit, nec corrigit; ad pœnitentiam expectat, nec punit; vocat, & revocat: & vos ejus misericordia & longanimitate abutentes, iram vobis thesaurizatis in die Judicii & vindictæ. Sed numquid defecit ejus fortitudo, atque justitia? *Existimastis iniqui, quòd erit similis vestri? Arguet vos, & statuet contra facies vestras* (*b*). Dies veniet, cùm qui nunc dormire videtur, inspicere incipiet, & omnia cordis vestri latibula aperiet, omnes duplicitates deteget. Et quò miseri a facie ejus fugietis? *Si* enim *ascenderitis in Cœlum, illic ipse est; si descenderitis in Infernum, adest. Si sumpseritis pennas vestras diluculò, & habitaveritis in extremis maris; etenim illuc manus sua deducet vos* (*c*). Deum igitur omnes timeant, & primum erit acquirendæ gloriæ medium, prima ad cœlestem Jerusalem via.

Secundum verò motivum ac medium illic ostenditur, ubi dicitur: *Nonne quinque passeres veneunt dipondio, & unus ex illis non est in oblivione coram Deo* (*d*)? ac si diceret: *Ne soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini: nonne anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum? Respicite volatilia Cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea; & Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Et de vestimento quid soliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quantò magis vos modicæ fidei? Nolite ergo soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quò operiemur? Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis* (*e*). Nonne in usum vestrum Deus omnia creavit? ipsos etiam Angelos

(*a*) *Psalm. XXXIII. v.* 10.
(*b*) *Psalm. XLIX. v.* 21.
(*c*) *Psalm. CXXXVIII. v.* 8. *& seqq.*
(*d*) *Lucæ XII. v.* 6.
(*e*) *Matth. VI. v.* 25. *& seqq.*

in vestrî ministerium deputavit; & filiis vestris timetis, ne desit? De filiabus collocandis anxii estis: ob id tot contractus illicitos exercetis; festos dies violare, ad effugiendam paupertatem vobis licere putatis. Quin potius, cur non firmissima in Deum spe & fiducia nitimini, quem Patrem vestrum quotidie, ab ipso met ita edocti, appellatis; quem omnia posse non ignoratis, cujus immensus in vos amor vobis est notus? *Quærite ergo primùm Regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis* (*a*), nisi per vos steterit, nisi obicem divinæ gratiæ posueritis: *Numquam* enim *vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem* (*b*). *Sed èt capilli capitis vestri omnes numerati sunt* (*c*). Nam licèt primò dixerim vobis, non eos esse timendos, qui in corpora vestra sævire solùm possunt, non autem in animas; addo tamen nunc etiam, quia capillus non cadet de capite vestro absque Patris vestri voluntate atque consensu; idque quàm sit verum, videte in tot Sanctis Martyribus meis, quorum multi nec ignes, nec bestias, nec ferreas rotas, nec verbera, nec gladios extimuerunt, quando id mihi placitum fuit. Solicitudinem igitur inordinatam cavere nos jubet secundo loco Christus.

Tertium demum medium insinuat, cùm ait: *Dico autem vobis. Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, èt Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei* (*d*); imo èt alibi addidit: *Confitebor èt ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis est* (*e*). O quantum hæc Christi confessio attulit Protasio & Gervasio decoris, honoris, & gloriæ, cùm ipsis jam ex hac lacrymarum valle egressis, ad Divinum Tribunal adductis, insurrexit coram Patre Christus, & dixit: Hi sunt, quos retinens Mundus inhorruit, ipsum nam sterili flore peraridum, sprevere penitus, meque secuti sunt, Pater æterne, cœlitus. Hi pro me furias, atque ferocia calcarunt hominum, sævaque verbera; cessit his lacerans fortiter ungula, nec carpsit penetralia. Cæsi sunt gladiis more bidentium, non murmur sonuit, non querimonia; sed corde tacito, mens bene conscia, servavit patientiam (*f*). Hi pro me distributo pauperibus patrimonio, domesticos servos libertate donarunt. Hi sunt, quos fratres sorte nascendi, magnifica præstitisti passione germanos, ut simul essent venerandæ genitricis, & florentissima proles

(*a*) *Matth. VI. v.* 33.
(*b*) *Psalm. XXXVI. v.* 25.
(*c*) *Lucæ XII. v.* 7.
(*d*) *Ibid. v.* 8.
(*e*) *Matth. X. v.* 32.
(*f*) Unde hunc Hymnum decerpserit Sanctus Carolus, ignoramus.

les Ecclesiæ. Hi sunt, qui vexillo cœlesti signati, victricia arma sumpserunt, & a mundanis nexibus absoluti, nequissimi hostis, vitiorum aciem prosternentes, liberi & expediti me secuti sunt. O quàm gloriosa est hujusmodi Christi Domini confessio! cui cœlestis Pater annuens, assurgentes Angeli omnes, gloria & honore Protasium & Gervasium coronarunt, ac inter fulgentissimos Martyres collocarunt. Confitebitur èt nos, fratres dilectissimi, eàdem ratione ipse met Dominus noster, si èt nos ipsum confessi fuerimus; si superbi superbiam, avaritiam avari, luxuriam lascivi, vitia omnia peccatores abjecerimus; si Protasii & Gervasii vestigiis inhærentes, Deum in primis timuerimus, solicitudinem omnem inanem deposuerimus; & quando re ipsa martyres nobis esse non liceat, *spiritu* tamen *facta carnis mortificaverimus* (a). Fortissimi Athletæ Dei, Patriæ nostræ filii, quæ vos aluit, & Patres, quam vos regenerastis, & Protectores ac Patroni, quorum intercessionibus a tot sumus malis liberati, aspicite nos, obsecro, de solio sancto vestro, in quo cum Christo regnatis. Mementote, quia èt vos homines fuistis, ùt nos; ne despiciatis infirmitates nostras; clamet sanguis vester pro nobis ad Dominum, non autem ùt justi Abel sanguis vindictam, sed misericordiam nobis expostulet; ut nos exempla vestra sectantes, coronarum vestrarum cohæredes tamdem, ac socii esse possimus, illo nobis donante, qui èt vobis adeò fuit in munere liberalis, Christo Domino, cui sit honor & gloria in secula seculorum. Amen.



HO-

(a) *Ad Roman. VIII. v. 13.*

HOMILIA XXXIV.

AD CANONICOS METROPOLITANÆ ET COLLEGIATARUM

Habita in domeſtico Sacello Mediolani *Feria III. Dominicæ III. poſt Pentecoſtem*

ANNO MDLXXXIII. XXI. JUNII.



ONVENISTIS hodie huc, dilectiſſimi fratres, Superioris ac Prælati veſtri decreto, quem uti Dominum loquentem debetis audire ob id accerſiti, ut de iis, quæ ad Dei honorem promovendum, ac animarum veſtrarum ſalutem procurandam ſpectant, ſimul omnes agamus. Sed magna nobis in hac Congregatione peſtis Eccleſiaſtici Ordinis valde vitanda eſt, quæ ſicuti in cetera hujus Ordinis hominum opera, ſic èt in has Congregationes, niſi attendamus diligenter, ſolet irrepere. Ea autem eſt, cùm quæ fiunt, veluti ex uſu ac more fiunt; nec eorum finis aut fructus inſpicitur, ſed tantùm, quia fieri conſueverunt, nullo alio attento, fiunt. O quàm eſt hæc bonorum magna pernicies, quæ non modò eorum nos fructibus privat omnino, ſed èt fructuum loco miſerandam quamdam, ac deteſtandam in nobis gignit cordis indurationem, qua peccatis aſſueti, cùm in eis callum obduxerimus, ea eſſe peccata neſcimus quodammodo; & iis infirmis ſimiles efficimur, qui cùm ſe infirmos eſſe non ſentiant, vi morbi ingraveſcente moriuntur, cùm medicamenta adhibere neglexerint: Sic èt nos malè viventes, aut etiam non malè, temerè tamen ſacra myſteria ac Miſſas celebrantes, nullum ex iis alium percipimus fructum, niſi quòd difficillimi ad converſionem reddimur, ac ad Dei monita percipienda duriores. Precor, dilectiſſimi, Dominum Deum, ut peſtem hanc a noſtris cœtibus

bus

bus procul eſſe concedat; ſed vobis omnibus cor tribuat, quo omnium operum veſtrorum, hujus præſertim Conventus ſcopum præ oculis ſemper habeatis; cur ad vos Prælatus, & Archiepiſcopus veſter loquatur, intelligatis; quo demum fine, ut prudentes ſitis, huc acceſſeritis, conſideretis.

Multi ſunt, dilectiſſimi fratres, harum Congregationum fructus, iique ampliſſimi; ſed inter eos non minimus eſſe videtur, quædam veluti diſciplinæ Eccleſiaſticæ vivificatio: ſumus enim omnes ita a natura proni ad malum, ut facillimè in id relabamur, & nonniſi magna cum difficultate in bono perſiſtamus; imo etiam neutrum horum, abſque præcipua Dei gratia, conſequi poſſimus. Sed ẻt ſi quando, Deo concedente, a peccato recedimus, & rectam vitæ rationem aliquam inſtituimus, niſi ſæpius multis modis adjuvemur, a bono ſtatim deflectentes, in malum nobis quodammodo connaturale recidimus: ſicut enim aqua, quæ ex ſuî natura frigida eſt, licèt igni appoſita caleſiat, ſi tamen ligna ſubtrahantur, vel non etiam continuò addantur, ad priſtinam ſtatim frigiditatem, naturæ ſuæ propriam redit; ſic ẻt nos, fratres, frigidi ſumus, naturæ peccato; caritatis aliquando igne caleſimus, ſed niſi continuò ligna addantur, remedia adhibeantur, ecce quia ſtatim refrigeſcit caritas, & abundat iniquitas. Maximum profectò deplorandæ calamitatis ac miſeriæ noſtræ indicium, quòd, niſi ſemper nobis Dominus adſit, morti ſubjicimur atque peccato. Ligna ergo, fratres, caritatis igni addenda ſunt, ut diu ejus in nobis calor perſiſtat.

Sunt hujuſmodi Congregationes atque Conventus ligna, ob id inſtituta potiſſimùm, ut magis inflammetur caritas, corda Sacerdotum huc ſimul convenientium caleſiant magis, ac in bono perſiſtendi, & ad meliora progrediendi vires aſſumant. Quàm magnum lignum eſſe exiſtimatis, cùm ſtatus veſtri dignitas ac excellentia vobis proponitur, ut ejus nobilitatem conſiderantes, vitam gradùs ſublimitati minimè abſimilem ducere ſtudeatis? Eſt veſtra, o cariſſimi, qui in Metropolitana, & Collegiatis Eccleſiis Deo laudes perſolvitis, vocatio, cœli quædam imago, Angelorum ſemper hymnos Deo canentium expreſſa ſimilitudo. Quantus eſt in Eccleſia Dei decor & ſplendor, hæc dignitatum & perſonarum varietas, hæc Canonicarum Horarum diſtinctio, Miniſtrorum multitudo, veſtium diverſitas? *Aſtitit* profectò *Regina a dextris* Dei *in veſtitu deaurato*, *circumdata varietate* (*a*); eſt enim Militans hæc Eccleſia Triumphanti ſubordinata,

(*a*) *Pſalm. XLIV. v.* 10.

nata, ac terrestris Jerusalem, illius cœlestis forma, in qua sicuti diversi sunt Angelorum chori, Sanctorum cœtus, multæ mansiones, unus tamen Agnus Christus Jesus; sic et in terrestri, varii sunt Religiosorum Ordines, Ecclesiasticorum hominum status, Monasteria multa, & Ecclesiæ; unus tamen, qui ab omnibus colitur Deus.

Regina Saba, cùm audisset famam Salomonis, venit, ut tentaret eum in ænigmatibus in Jerusalem cum magnis opibus, & Camelis, qui portabant aromata, & auri plurimum, gemmasque pretiosas. Cùmque venisset ad Salomonem, locuta est ei quæcumque erant in corde suo. Et exposuit ei Salomon omnia, quæ proposuerat; nec quidquam fuit, quod non perspicuum ei fecerit. Quæ postquam vidit, sapientiam scilicet Salomonis, & domum, quam ædificaverat, necnon & cibaria mensæ ejus, & habitacula servorum, & officia ministrorum ejus, & vestimenta eorum, pincernas quoque, & vestes eorum, & victimas, quas immolabat in domo Domini, non erat præ stupore ultra in ea spiritus. Dixitque ad Regem: Verus est sermo, quem audieram in terra mea de virtutibus, & sapientia tua. Non credebam narrantibus, donec ipsa venissem, & vidissent oculi mei, & probassem, vix medietatem sapientiæ tuæ mihi fuisse narratam: vicisti famam virtutibus tuis. Beati viri tui, & beati servi tui, qui assistunt coram te omni tempore, & audiunt sapientiam tuam (a).

Sed ponamus, fratres, Reginam hanc sapientiæ studiosissimam, Philosopham prudentissimam ad hæc usque tempora pervenisse, & Dei Ecclesiam cum *Salomonis domo* conferre. Profectò si tunc præ stupore in ea spiritus non erat, nunc certè arbitror, penitùs interituram: tanta est hujus supra illam excellentia; in illa namque Salomon imperabat, hìc regnat Christus. Videte vos, quæ sit Salomonis cum Christo comparatio. *Domus* illa materialis, lapidibus pretiosis affabrè compacta, in sui omnes attrahebat admirationem; at spiritualis hæc domus, ex Fidelibus, veluti lapidibus constat, quorum Animæ singulæ, singula sunt Spiritus Sancti Templa, creaturis omnibus post Angelos nobiliores. Illic *cibaria* mensæ Salomonis admirabatur Saba; hìc taceo, fratres, quia exprimere nequeo, sed nec excogitare cibi magnitudinem, dignitatem, suavitatem, jucunditatem, fructum. Bone Deus! O quales hìc videret carnes, quales panes, quales calices! Christi ipsiusmet carnem, Angelorum panem, calicem pretiosissimi Christi Sanguinis. Quæ verò *habitacula servorum, & officia Ministrorum* sunt in Ecclesia, tot Sacerdotum, Diaconorum, Hypodiaconorum, Acolytorum, Exorcistarum, Lectorum, Ostiariorum, & aliorum mille Religiosorum hominum? Et quales hìc videret pin-

(a) *II. Paral. IX. v. 1. & seqq.*

pincernas, & vestes eorum, qui Sanctissima Sacramenta fidelibus populis ministrant? Quales demum *victimas?* Non certè Ovium, Agnorum, Vitulorum, Bovum, Hircorum millia, sed unicum Agnum, illis omnibus infinitè prævalentem, Christum Jesum, quem quotidie in Altari sacro, Domino offerimus. Certè si viros illos, ac servos Salomonis beatos esse affirmavit, multo satiùs exclamare cogeretur: *Beati*, Domine Jesu Christe, *viri tui, & beati servi tui, qui assistunt coram te omni tempore;* & verè *beati Viri tui*, soli enim sunt Viri, qui tui sunt; nam Vir, cùm a viribus sive virtutibus nomen acceperit, unde, quæso, vires, & virtutum copia, nisi a te Domine, qui es Deus fortis, & Dominus virtutum? Beati igitur Ecclesiastici homines, qui non modò sibi fortes existunt, sed aliis etiam vires conferendi atque gratiam, qua virtutibus ornentur, a te potestatem & munus acceperunt. *Beati servi tui*. Sunt quidem omnes homines, præsertim verò Christiani, servi tui; opera enim sunt manuum tuarum, quibus tu & esse, & vivere, & quidquid habent & possunt, largiris; sed hi Ecclesiæ Ministri tibi cariores sunt servi, utpote quos a seculi curis, & a Mundo in tuî servitium segregasti, quos delegisti, ut tibi laudes persolvant, ut Sacramenta tua ceteris ministrent, ut verbi tui semina in Fidelium cordibus jaciant, ut rectam vivendi rationem ceteros doceant, ut Mundi sint lux, terræ sal, per quos insulsa hominum pectora sint condienda, ut *candelabra* sint *supra montem posita, ut sic eorum lux coram hominibus luceat, ut videant* eorum *opera bona, & glorificent Cælestem Patrem* (*a*). Sed advertite, fratres, cùm vos Christi servos appellat Regina, non sat esse, si vos suos Christus esse velit, qui *vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* (*b*), ac suî ministerium segregaverit, nisi èt vos toti sui esse velitis; qui vos enim sine vobis fecit, non vult vos sine vobis salvare. Neque verò vestrî tantùm parte contentus est Dominus, sed aut totos vos vult, aut penitus respuit; nam quomodo potest quis duobus Dominis deservire? Mementote fratres, quid quotidie psallentes dicatis, nempe: *Portio mea es tu Domine* (*c*); non ergo Mundus, aut Caro, aut aliud quidpiam, portio vestra esse poterit. Videte quid cùm ad Ordinum primordia fuistis assumpti, de Domino professi singuli fueritis, dicentes: *Dominus pars hæreditatis meæ* (*d*). Sed quot id ore dixerunt, factis verò minimè comprobarunt; imo potius verum esse negarunt? Examinet se igitur quilibet vestrûm, an Dei sit totus; nam si totus Dei fuerit, nihil suî reliquum erit, quod alteri possit impartiri. Solum Christum in suis omni-

(*a*) *Matth. V. v. 15. & seq.* | (*b*) *I. ad Timoth. II. v. 4.* | (*c*) *Psal. CXLI. v. 6.* | (*d*) *Psal. XV. v. 5.*

omnibus quæret: præter ipſum autem nihil, non famam, non gloriam, non commoda propria, non divitias, non lucra, non aliud quidpiam. Putatiſne fratres, illos Dei eſſe ſervos, ac ſuos, qui ſive Miſſas dicant, ſive Sacramenta miniſtrent, ſive mortuorum corpora curent ſepelienda, ac pro eorum animabus vota Deo offerant, vel Sacra faciant, lucrum ſemper atque pecuniam perquirunt; qui accedentibus fidelibus, ac ut pro ipſis Divinam opem implorent, aut Miſſam celebrent, rogantibus, antequam quidquam reſpondeant: ecquod mihi pro labore præmium reddetur, quidve lucrabor, ſciſcitantur? O indigniſſimos Sacerdotes, ſi qui tales inter vos exiſtunt, quos exiſtere non credo, & quod avertat Deus! Annon hi *Filiis Eli*, *filiis Belial* (*a*) ſimiles ſunt, qui dum populus immolaſſet victimas, *dum coquerentur carnes*, puerum mittebant, qui *habebat fuſcinulam tridentem in manu ſua*, & *mittebat eam in lebetem*, *vel in caldariam*, *aut in ollam*, *ſive in cacabum*; & *omne*, *quod levabat fuſcinula*, *tollebat Sacerdos ſibi*. *Etiam antequam adolerent adipem*, *veniebat puer Sacerdotis*, & *dicebat immolanti*: *Da mihi carnem*, *ut coquam Sacerdoti*. *Dicebatque illi immolans*, *incendatur primùm juxta morem hodie adeps*, & *tolle tibi quantumcumque deſiderat anima tua*. *Qui reſpondens ajebat ei*: *Nequaquam*; *nunc enim dabis*, *alioquin tollam vi*. *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino*, *quia retrahebant homines a ſacrificio Domini*. O fratres, eſt quidem in omnibus *radix malorum omnium* avaritia (*b*); ſed avaro Sacerdote quid ſceleſtius, quid turpius, quid deteſtabilius, quid pernicioſius umquam excogitari poteſt? Adversùs hunc, omnia in extremo judicii magno die clamabunt. Clamabit Chriſtus: Peſſimi proditores & latrones, qui Corpus meum vendebatis, & Sacramenta mea venalia faciebatis, quæ vobis non debentur pœnæ? Clamabit Mater Eccleſia: Hi mihi dati fuerant, ut ceteros inſtruerent, & deſtruxerunt. Clamabunt boni Sacerdotes: Hi Ordinis noſtri dedecus fuerunt, ac nobis omnibus ignominiæ notam maximam inuſſerunt. Clamabunt Fideles: Hi immoderatis ſuis deſideriis, multos noſtrûm pauperes a bonis operibus diſtraxerunt. Clamabunt Hæretici: Hi occaſionem nobis præbuerunt Deum blaſphemandi, & ejus Sanctam Eccleſiam maledictis laceſſendi. Clamabunt mortui: Horum avaritià, parentes noſtri, nos debitis ſuffragiis privarunt. Clamabit Judas: Ego ſemel Chriſtum triginta tribus denariis vendidi, hi toties Chriſtum duobus aut tribus obulis vendiderunt. O miſeri, quid inter tot clamores facient? quid inter tot horribiles voces? quid in tanta confuſione? Sed hæc omnia effugient, qui Chri-

ſti

(*a*) *I. Reg. II. v. 12.* & *ſeqq.*

(*b*) *I. ad Timoth. VI. v. 10.*

sti servi fuerint, non Mundi, non divitiarum, de quibus Saba jure dicere possit: *Beati servi tui*.

Verùm advertite, quòd non de omnibus dixerit, sed se restringens addiderit: hi, *qui stant semper coram te*; nam non satis est aliquando Deo inservire, sed semper in Ecclesia versari debetis, fratres, cùm in ea, non pro vobis tantùm, sed pro omni sitis populo constituti, pro Regibus, pro Magistratibus, qui jus reddunt, pro Mercatoribus, pro iis denique, qui Mundi negotiis impediti, Deo semper actu deservire in Ecclesia nequeunt. Pro iis omnibus vos semper Deo assistere vult Spiritus Sanctus; sit recreatio vestra Chorus, sit manè vestrum Chorus negotium, sit a prandio; in Ecclesia versari præcipuum vobis esse debet; reliqua, si quæ vobis sint agenda, accessoriè tantùm, & ùt minus præcipua, ac ad vos minus spectantia peragite. Neque verò astare Salomoni sat erat, sed servos ejus beatos vocabat Regina, qui *sapientiam ejus audiebant*. Qui audiunt, attenti sint necesse est. Cùm verò in Ecclesiis vobis sit continuò, & in Choro cum Deo colloquendum, attentos vos esse convenit in primis, tum iis, quæ vobis a Domino dicuntur, tum iis etiam, quæ vos eum laudantes aut precantes dicitis. Non præcidenda verba, non inanibus fabulis aut sermonibus sunt interrumpenda, sed corde meditandum est quod voce profertur; nam si cor non orat, in vanum lingua laborat, ne de vobis Dominus dicere possit: *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè est a me* (*a*). Ego quidem fateor, si quem alloquerer me minimè auscultantem, tacere satius esse existimarem; si quem etiam audirem, qui se ipsum non intelligeret, nec quid diceret, sciret, illudi me potius ab hujusmodi homine crederem; cùm èt ipse tamen homo sim, & humani a me nihil alienum putem. At Deum, in cujus conspectu *cœli columnæ contremiscunt* (*b*), nobis loquentem non audire, aut eum ita alloqui, ut nec te ipse intelligas, qualis hæc est impudentia? quanta temeritas, ita cum illo agere, quem tot circumstant & adorant Angelorum millia? Sed vultis, o fratres, signum vobis certissimum ostendam, quo cognoscere possitis, an Dei sapientiam audiatis, & ei assistentes, servi sui sitis, ac beati? Si Chorus & Ecclesia, Paradisus vobis est & jucunditas, id vos scitote esse consecutos. At e contra si infernus vobis videbitur, & unde summam lætitiam capere debuissetis, inde tristitiam ceperitis, tunc licèt in Ecclesia corpore sitis, longè tamen ab ea animo estis; nam qui in bonis tristatur, ea apertè odit; qui verò non tristatur quidem,

(*a*) *Matth. XV. v. 8.*
(*b*) *Job XXVI. v. 11.*

dem, ſed defatigari aliquantulum videtur, hic nondum guſtavit perfectè, quid ſit Dominus: diligentibus verò Deum, nihil jucundius, quàm ei ſemper inſervire, cum eo ſemper loqui, eum videre, eum audire. De his duobus Iſaias loquitur, cùm ait: *Deficient pueri, & laborabunt, & juvenes in infirmitate cadent. Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas, ſicut Aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient* (a).

Audio quandoque nonnullos in Dei operibus negligentes, qui dicunt: Numquid non eſt aliquando ab orationibus ceſſandum? Reſpirare etiam oportet, & recreationi tempus aliquod tradere. Sed hos, mihi credite, deteſtatur Dominus; quod ut perſpiciatis, conſiderate filios Iſraël, & id intelligetis. Tædere cœpit populum itineris, ac laboris, locutuſque contra Dominum, & Moyſen, ait: *Cur eduxiſti nos de Ægypto, ut moreremur in ſolitudine? Deeſt panis, non ſunt aquæ; anima noſtra jam nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo* (b). Manna, quod ſapores omnes continebat, cibum ipſi *leviſſimum* appellabant, ac ſuper eo *nauſeabant*. Sed audite Dei juſtitiam: *Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, ad quorum plagas, & mortes plurimorum, venerunt ad Moyſen, atque dixerunt: Peccavimus, quia locuti ſumus contra Dominum, & te; ora, ut tollat a nobis ſerpentes* (c). Sit manna noſtrum, dilectiſſimi, oratio; ſit cibus noſter, voluntatem Dei facere; recreatio noſtra, Deo laudes decantare, & ſapores hìc omnes ac guſtus inveniemus; minima namque ſuavitatis ſpiritualis gutta, Mundi omnes ſapores ſuperat, & omnes ſeculi conſolationes. Hinc divina Officia, Canonicas Horas, qua par eſt attentione & diligentia recitabimus, neque in iis tam multa, ùt nonnulli faciunt, mortalia peccata committemus. Cùm Sacrorum Canonum verba, ubi de Canonicis Horis recitandis agitur, perpendo, nòn poſſum quidem non terreri maximè; ſic enim dicitur: *Præcipimus diſtrictè, in virtute Sanctæ Obedientiæ, ut divinum Officium, quantum Deus dederit, devotè & ſtudiosè perſolvatur* (d). Qui eſtis Theologi ſcitis, quam verba illa habeant vim; *Præcipimus, & diſtrictè, & in virtute Sanctæ Obedientiæ*. Et certè quantum in nobis eſt, curamus quidem, ut in his omnis adhibeatur diligentia, unde Punctatores, & Præfectos tam multos conſtituimus; ſed in re tanti momenti, ùt

(a) *Iſaiæ XL. v.* 30. & 31.
(b) *Numer. XXI. v.* 5.
(c) *Ibid. v. 6. & ſeq.*
(d) Verba hæc ſunt Gregorii IX. Summi Pontificis in Cap. *Dolentes de Celebratione Miſſarum*. Quomodo autem intelligenda ea ſint, egregiè diſputat, & docet (inter ceteros) Sylvaſter in Summa, Verbo *Horæ Canonicæ*.

ut sunt divina Officia, & Sancta Sacrificia, in quibus sibi Deus tantopere complacet, nulla potest tanta solicitudo adhiberi, quin etiam major adhuc requiratur. Et nisi super his soliciti admodum sint Sacerdotes, timenda est magna animarum pernicies; nam non modò intrinsecùs, Deo astantes oportet esse compositos, sed extrinsecùs etiam & in habitu, & voce, ac cæremoniis, ut his exterioribus, quæ interiorum sunt signa, populus ad Dei laudes alliciatur: *Amictus* nempe *corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo* (*a*). Licèt enim præcipua sit interior cura, ejus tamen index est exterior, cùm *ex visu cognoscatur vir, & ab occursu faciei sensatus* (*b*); præterquamquod & corpore, & anima Deo inservire tenemur, a quo & corpus, & animam accepimus; & exteriores quidem hi defectus sunt maximè fugiendi, cùm si frequententur, in habitum facilè inducant; & quosdam aliquando inveniamus, qui nec si velint, distinctè proferre possint, eò quòd festinationi sint adeò assueti. Multi sacras Ecclesiæ cæremonias pleniùs & decentiùs adimplerent, nisi cum Deo, a quo bona omnia acceperunt, avarissimi existerent, ac quartam horæ partem sibi lucrari vellent, qua quomodo utantur, Deus ipse scit. Neque verò se quisquam vestrûm excuset, quòd quæ tenetur, facere nequeat; nemini enim necessaria denegat Deus, & in ipso Ordinis Sacramento gratiam omnibus confert, munera sua exequendi.

Sed scitis, cur fortè tam multi ex Choro utilitates aut nullas, aut minimas capiant? Credo quidem, quia illuc ad Dei colloquium, absque ulla prorsus præparatione conveniunt, unde ipsum quodammodo tentantes accedunt. Sed finem, dilectissimi fratres, huic sermoni imponamus, quem utinam, non ex usu ac perfunctoriè, sed cum animarum vestrarum fructu audieritis! Recogitate status vestri dignitatem, & muneris excellentiam. Socios, vos esse Angelorum in laudando Deo mementote. Quo circa, ùt estis ipsis similes in munere, studete etiam quantum potestis, esse attentione & reverentia minimè dissimiles, ut in Cœlo etiam eorum esse socii mereamini; quod concedat nobis omnibus Deus omnipotens, cui est laus & gloria in secula seculorum. Amen.

HO-

(*a*) *Ecclesiastici XIX. v. 27.* | (*b*) *Ibid. v. 26.*

HOMILIA XXXV.

AD OBLATOS SANCTI AMBROSII

Habita in domeftico Sacello domus Collegiatæ S. Sepulchri Mediolani

In principio Congregationis poft Sacra peracta

Feria IV. Dominicæ III. poft Pentecoftem

ANNO MDLXXXIII. XXII. JUNII.



NOLITE *timere, pufillus grex, quia complacuit Patri veftro dare vobis Regnum* (*a*). Salvator nofter Dominus Jefus, dilectiffimi fratres, cùm vellet difcipulos fuos Apoftolos, per quos totus Mundus ad Fidem erat convertendus, difponere, ac quibufdam veluti armis accingere, quibus innumeras, quas pafsuri erant, perfecutiones & cruciatus, libenti animo ferrent, eofque paulatim ab omni temporalium rerum affectu curaret avertere, ut fic difpofiti, Sancti Spiritus dona, non multò poft, in plenitudine gratiæ effent accepturi, verbis, quibus initio ufi fumus, illos confolabatur. Opportunè fanè nos verba ad vos facturi, iis fermonem hunc noftrum & inchoandum duximus, & eorum meditatione complendum. Conveniftis huc, fratres, licèt non omnes, major tamen veftrùm pars, ut in Spiritus Sancti nomine, juxta quod veftræ Conftitutiones præfcribunt (*b*), congregati, de iis, quæ ad nobiliffimam hanc veftram Congregationem confervandam & propagandam pertinent, agatis; officia & publica, & privata, quibus Domino vifum fuerit diftribuatis. Ego verò ad vos mihi cariffimos verba facturus, nullum aptius thema

(*a*) *Lucæ XII. v.* 32.

(*b*) Biennio ante, anno nempe MDLXXXI., juffu Sancti Caroli typis commiffæ funt *Inftitutiones* ad Oblatos Sancti Ambrofii pertinentes, in Libros quatuor diftributæ, præfixâ eifdem Epiftolâ, quam Sanctus Archiepifcopus & Pater, ad hofce fuos in Christo genitos filios confcripfit.

thema considerandum mihi proponere potui, quàm supradicta verba. *Nolite* igitur *timere pusillus grex;* nolite de Domino diffidere, quòd pauci numero sitis, & debiles viribus; nec enim numerus parvus, aut virium infirmitas hujus Societatis progressum impediet; sed qui eam Spiritus Domini inchoavit, progredi faciet, & ad finem usque perducet. Si quis, cùm Christus esset in Mundo, duodecim rudes & illiteratos Apostolos contemplans, ex quibus nonnulli pauperes piscatores erant, dixisset: His ducibus Christus Imperator Mundum universum est expugnaturus, ac suæ potestati subjugaturus: *in omnem terram exibit sonus istorum, & in fines Orbis terræ verba eorum* (*a*): hi Imperatores & Reges superabunt: hi Christi Ecclesiam suo sanguine confirmabunt; quis id credere potuisset? Præstitit tamen id Dominus, & infirma Mundi elegit, ut confunderet fortia, quod vas electionis Paulus ad Corinthios scribens, admirabatur, cùm dicebat: *Non-ne stultam fecit Deus sapientiam hujus Mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognovit Mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam prædicationis, salvos facere credentes* (*b*). Et infra: *Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei fortius est hominibus. Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi Sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt Mundi elegit Deus, ut confundat Sapientes; & infirma Mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia Mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus* (*c*). Nolite igitur timere, fratres, quia magnam nimiùm Deo injuriam inferunt, qui diffidunt. Numquid ei, qui ex nihilo cuncta creavit, cujus *verbo Cœli firmati sunt* (*d*), qui *potest de lapidibus suscitare filios Abrahæ* (*e*), esse potest aliquid difficile? & qui omnia potest, summè bonus, ac in nos liberalis, qui se ipsum in nostrì tradidit redemptionem, qui pro nobis totum effudit sanguinem suum, nonne èt omnia, quæ ad ejus propagandum honorem, & animarum salutem curandam pertinent, (qui vestræ Congregationis est finis, ac scopus,) concedet; ac vobis id summo studio quærentibus non cooperabitur èt ipse? Magnum est diffidentiæ crimen. Populus Israël cùm Promissionis Terram se umquam ingressurum desperaret, ac murmurarent omnes dicentes: *Utinam mortui essemus in Ægypto, & in hac vasta solitudine utinam pereamus, & non inducat nos Dominus in Terram istam, ne cadamus gladio, & uxores, ac liberi nostri ducantur captivi* (*f*), videte quantum in se Dei iracundiam pro-

(*a*) *Psal. XVIII. v. 5.*
(*b*) *I. ad Cor. I. v. 20. & seq.*
(*c*) *Ibid. v. 25. & seqq.*
(*d*) *Psal. XXXII. v. 6.*
(*e*) *Matth. III. v. 9.*
(*f*) *Numer. XIV. v. 3.*

provocarint, ut vix orante Moyse ad Dominum, obtinuerint hujus delicti veniam; cum ea tamen conditione, quòd eorum, qui diffidentes murmuraverant, nemo Terram illam promissam videret, dicente Domino ad Moysen, & ad Aaron: *Usquequo multitudo hæc pessima murmurat contra me? Querelas filiorum Israël audivi. Dic ergo eis: Vivo ego (ait Dominus); sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis. In solitudine hac jacebunt cadavera vestra. Omnes, qui numerati estis a viginti annis, & supra, & murmurastis contra me, non intrabitis terram, super quam levavi manum meam, ut habitare vos facerem, præter Caleb filium Jephone, & Josue filium Nun. Parvulos autem vestros, de quibus dixistis, quòd prædæ hostibus forent, introducam, ut videant Terram, quæ vobis displicuit* (a).

Quis speravit umquam in Domino, fratres, & confusus est; aut quis invocavit eum, & non est exauditus? Non numeri parvitas, non virium infirmitas, ullum Omnipotenti afferre possunt impedimentum. Sed magno etiam vobis erit adjumento, si verè & ex corde cognoveritis, quòd *pusillus grex* sitis. Hæc vestræ infirmitatis cognitio, firmissimum erit hujus spiritualis fabricæ fundamentum. Beatissimam Catharinam Senensem cùm Dominus vellet gratiæ suæ donis cumulare, hac veluti præparatione disposuit, ad eam dicens: Si cognoveritis quid sim ego, quæ sis tu, beata eris; ego enim sum, qui sum, tu es, quæ non es. Sic èt Pater Sanctus Augustinus orare Dominum sæpe, & diu consueverat his verbis: *Domine, noverim te, & noverim me.* Felices nos, fratres, si nos aliquando cum Deo comparaverimus, ac cognoverimus, quia ipse est Deus, nos homunciones vilissimi; ipse est, qui est, nos sumus, qui non sumus; ex nobis enim nihil sumus, sed quidquid sumus, a Deo habemus, ut simus. Si verò èt ad non esse nostrum, peccatum addamus, quod pejus est non ente, & vilius nihilo, o quàm humiliabimur sub potenti manu Domini! Noscamus ergo, quòd *pusillus grex* sumus, quòd debiles & infirmi, nec ob id tamen animum deponamus, aut diffidamus de Dei gratia, nam èt David pusillum, in Regem elegit (b), & Moysen ex deserto assumptum populo suo præfecit (c); unde ait èt Christus Dominus: *Confiteor tibi Pater, Domine Cæli, & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis* (d). Et verè pusillis delectatur Dominus Jesus, qui èt humilitatis extitit magister & exemplo, & verbo; exemplo quidem, cùm *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ùt homo*

(a) *Numer. XIV. v. 27. & seqq.*
(b) *I. Reg. XVI. v. 12.*
(c) *Exodi III. v. 10.*
(d) *Matth. XI. v. 25.*

mo (*a*); verbo autem, cùm dixit: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde* (*b*), & *qui se humiliat exaltabitur* (*c*), & plurimis aliis in locis: pusillorum namque ac debilium viribus infirmis, veluti instrumento utitur ad res maximas conficiendas, quò magis ejus eluceat potentia, & quòd ejus dextera hæc fecerit, omnes cognoscant. Videte, quàm id perspicuè ostenderit Dominus in Sacra Scriptura; simul etiam manifestans, timidos ac formidolosos, quos paulò ante attigimus, Divinis rebus exequendis esse ineptos. Id potissimum patefaciet illa Gedeonis historia, adversùs Madianitas pugnaturi (Judicum septimo capite) his verbis descripta: *Erant autem castra Madian in valle ad Septentrionalem plagam collis excelsi. Dixitque Dominus ad Gedeon: Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manus ejus, ne glorietur contra me Israël, & dicat: Meis viribus liberatus sum. Loquere ad populum, & cunctis audientibus prædica: Qui formidolosus, & timidus est, revertatur. Recesseruntque de Monte Galaad, & reversi sunt de populo vigintiduo millia virorum, & tantùm decem millia remanserunt. Dixitque Dominus ad Gedeon: Adhuc populus multus est; duc eos ad aquas, & ibi probabo illos, & de quo dixero tibi, ut tecum vadat, ipse pergat; quem ire prohibuero, revertatur. Cùmque descendisset populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon: Qui linguâ lambuerint aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum; qui autem curvatis genibus biberint, in altera parte erunt. Fuit itaque numerus eorum, qui manu ad os projiciente, lambuerant aquas, trecenti viri; omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat. Et ait Dominus ad Gedeon: In trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua Madian; omnis autem reliqua multitudo revertatur in locum suum.* Trecentis igitur viris cæsa sunt centum viginti millia bellatorum, & educentium gladium. Et verè id minimè videri debet mirum, si ab eo id fiat, qui èt solo oculi nutu, omnia in nihilum redigere potuerat. Sed èt id vobis paucis, &, ùt diximus, infirmis gaudio maximo esse debet, ac vos in spem erigere, mira per vos Dominum in amplissima hac Diœcesi operaturum. Solet namque Deus, cùm se aliqui ei ex corde offerunt ac dedunt, multò plura per ipsos, quàm credidissent, operari, quod pulchrè Josiæ Regis historia declarat (*d*), qui a principio animum adjecit ad Templum instaurandum, quod desertum prorsus fuerat, ac nemus potiùs videbatur, duorum malorum Regum culpâ Ammon, & Manassis, qui Israëliticum Populum Deo dilectum, divinæ legis aliàs studiosissimum eò adduxerant, ut nullum legis volumen Jerosolymis

(*a*) *Ad Philippens. II. v. 7.*
(*b*) *Matth. XI. v. 29.*
(*c*) *Lucæ XIV. v. 11.*
(*d*) *IV. Regum XXII.*

mis extaret. Itaque, ubi primùm Regni ſedem accepit, conceptum votum implere cupiens, Helciàm Pontificem miſit, qui eleemoſynas ob id a populo oblatas, ex capſulis ſumeret, in quarum una librum legis etiam invênit, quo Rex, qui materiale tantùm Templum cogitaverat, ad ſpirituale etiam inſtaurandum, animum adjecit; & non modò Templum reædificavit, ſed èt Dei cultum reſtituit, Religionem introduxit, ac populum reformavit. Sic èt nos, fratres, ſi infirmitatem noſtram agnoſcentes in Dominum ſpes noſtras jecerimus, dum opus unum bonum aggredi ſtudebimus, plura etiam ſimul, Deo dante, perficiemus.

Quò verò magis vos Dominus conſoletur, ſubdit: *Quia complacuit Patri veſtro dare vobis Regnum* (*a*). Sed ſana ratione ſunt hæc intelligenda nobis; nec mirum eſt, ſi de hoc non modicum dubitem; nam èt Chriſto Domino ſæpius Apoſtolis ſuis de hoc Regno loquente, multi ex illis id, non ùt decebat, intelligebant, ſed de temporali aliquo Regno, aut Mundi gloria, ea dici exiſtimabant: unde èt accedens Mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis ad Chriſtum, poſtulabat dicens: *Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in Regno tuo* (*b*). Sed videte quàm illi erraverint; de Regno namque per Matrem interrogantibus diſcipulis, Dominus reſpondit: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Illi de gloria interrogant; hic Paſſionis, & tribulationum calicem offert, & rectè; duplex enim eſt Chriſti Regnum, quod fidelibus etiam ſuis proponit, nec ad ſecundum, niſi per primum, quemquam tranſire poſſe credendum eſt; nam èt *Chriſtum oportuit pati* (ecce primum Regnum), *& ita intrare in gloriam ſuam* (*c*) (ecce ſecundum). De primo quidem Regno in paſſione ſua Cruci fuerat inſcriptum: *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum* (*d*). Videte quale Regnum; Rex malignorum, inimicorum, blaſphemantium, falſa in Regem teſtimonia producentium, eum morti adjudicari poſtulantium. De ſecundo verò, Pilato idem Rex dixit: *Regnum meum non eſt de hoc Mundo* (*e*); & in poſtrema Cœna: *Vado parare vobis locum* (*f*), & alibi: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt* (*g*). Audite utriuſque brevem quamdam deſcriptionem. Utriuſque Regni Rex eſt Chriſtus; ſed in primo thronus eſt Crux acerbiſſima; diadema, pungentes ſpinæ; ſceptrum, arundo; purpurea

(*a*) *Lucæ XII. v. 32.*
(*b*) *Matth. XX. v. 21.*
(*c*) *Luc. XXIV. v. 26.*
(*d*) *Joannis XIX. v. 19.*
(*e*) *Ibid. XVIII. v. 36.*
(*f*) *Ibid. XIV. v. 2.*
(*g*) *Ibidem.*

rea vestis, sanguis e toto corpore defluens; ornamenta, verbera plagæ & sputa; in manibus & pedibus, clavi; in ore, sitis fel & acetum; in oculis livor; nulla in toto corpore sanitas. In secundo verò Regno thronus est Patris dextera; scabellum, Cœlum; diadema, majestas; sceptrum, vivorum & mortuorum omne judicium; Ministri, Angelorum & Sanctorum numerus infinitus; urbs, beata Jerusalem: sed per tribulationes transitur ad gloriam.

Complacuit igitur quidem Patri, parare vobis æternum & cœleste Regnum; sed modò regnetis, quamdiu in via estis, in primo: nam qui Societati huic se addidisset, ut primos apud Archiepiscopum locos consequeretur, ut præcipui a ceteris sibi tribuerentur honores; quòd sub peculiari esset futurus Archiepiscopi vel Prælati protectione; quòd quietam, a Mundo segregatus, vitam esset ducturus; quòd commodiùs Deo inserviturus, & in his tantùm gloriaretur, ac redditibus auctis tantùm gauderet: is sanè illis similis esset, quibus primas Regni sedes postulantibus, de calice Dominus respondit. Sed scitis in quibus vobis sit hìc gloriandum? quis inter vos sit dignior habendus? Is, qui plures & majores in salute animarum procuranda superaverit difficultates; qui plura passus fuerit; qui humilior extiterit; qui Prælato suo magis cooperatus fuerit; qui se Christo, & Sanctis magis in tolerantia conformaverit. Audite Apostolum Paulum se his verbis gloriantem: *Quoniam multi gloriantur secundùm carnem, èt ego gloriabor* (a); & infra: *Hebræi sunt, èt ego; Israëlitæ sunt, èt ego; semen Abrahæ sunt, èt ego; Ministri Christi sunt, èt ego (ut minus sapiens dico) plus ego; in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Judæis quinquies quadragenas, unâ minus accepi. Ter virgis cæsus sum; semel lapidatus sum; ter naufragium feci, nocte, & die in profundo maris fui; in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis ex Gentibus, periculis in Civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus; in labore, & ærumna, in vigiliis multis, in fame, & siti, in jejuniis multis, in frigore, & nuditate; præter illa, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror* (b)? Et infra: *Libenter igitur gloriabor in ifirmitatibus meis* (c). In his èt vos, dilectissimi fratres, qui Sanctissimi Patris nostri Ambrosii Oblati estis, gloriari oportet; sed in illa præsertim, in qua èt gloriabatur Apostolus Paulus *instantiâ quotidianâ*, & *solicitudine* hujus Ecclesiæ, harum animarum Christi sanguine redemptarum, quod adeò nobile negotium, ac merca-

(a) *II. ad Corinth. XI. v. 18.* | (b) *Ibid. v. 22. & seqq.* | (c) *Ibid. XII. v. 9.*

turæ genus est, ut sanguinem suum Dei Filius cum animabus commutaturus accesserit. Est quidem Prælati & Archiepiscopi vestri munus, animas omnes fidei suæ commissas, cordi semper insculptas habere, de earum semper salute angi; sed èt vestrum quoque est, qui ei quantum potestis conformari debetis. Hanc verò solicitudinem videte quàm pulchrè in Aaron vestibus Dominus in Exodo expresserit, cùm sic jussit: *Facient vestimenta sancta fratri tuo Aaron, & filiis ejus, ut Sacerdotio fungantur mihi. Facient autem superhumerale de auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta, opere polymito. Sumesque duos lapides onychinos, & sculpes in eis nomina filiorum Israël; sex nomina in lapide uno, & sex reliqua in altero, juxta ordinem nativitatis eorum. Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino, super utrumque humerum, ob recordationem. Rationale quoque judicii facies opere polymito. Quadrangulum erit, & duplex; ponesque in eo quatuor ordines lapidum, in primo versu erit lapis Sardius, & Topazius, & Smaragdus; in secundo Carbunculus, Sapphirus, & Iaspis; in tertio Ligurius, Achates, & Amethystus; in quarto Chrysolitus, Onychinus, & Berillus. Inclusi auro erunt per ordines suos, habebuntque nomina filiorum Israël. Duodecim nominibus cælabuntur singuli lapides, nominibus singulorum per duodecim Tribus* (*a*). Et infra: *Portabitque Aaron nomina filiorum Israël in rationali judicii super pectus suum, quando ingredietur Sanctuarium, memoriale coram Domino in æternum* (*b*). Notate verba, fratres, signate mysteria. Lapidibus pretiosis, iisque durissimis insculpi volebat nomina filiorum Israël, ac Superhumerali, & Rationali inscribi, quibus vestibus Aaron ad Dominum accedens indueretur: Hæc autem nihil aliud significant, quàm salutis animarum zelum, qui in Prælatis, & vobis eorum præcipuis coadjutoribus requiritur, quatenus numquam ex vestro excidant corde. Nec sine mysterio in pectore pretiosis lapillis insculpta esse volebat filiorum Israël nomina Dominus, & in Superhumerali; in illo quidem, ut hominum animæ quàm sint pretiosæ dignoscatur, utpote pretiosis lapidibus describendæ; in Superhumerali verò, ut nossent Sacerdotes, & animarum Pastores, ferendas esse subditorum imperfectiones, ac iis compatiendum; caritas namque compatitur, nemini verò succenset.

Intuemini, quæso, Beatissimam illam Catharinam Senensem, cujus etiam supra meminimus, quanto studio animas Deo lucrari contendebat, ut èt Pontifex Summus quatuor ei Sacerdotes concesserit, qui audiendis confessionibus vacarent eorum, quos ipsa ad Deum con-

(*a*) *Exodi XXVIII. v. 4. & seqq.* | (*b*) *Ibidem v. 29.*

convertebat, a quo èt ipsa munus hoc & donum acceperat, ut animarum illarum pœnitentium candorem ac splendorem visibiliter cerneret. Hæc tanto erat peccatum conversionis flagrans desiderio, ut quadam die in ecstasim rapta ac pene mortua, cùm Cœlestem gloriam, Inferni cruciatus, & Purgatorii pœnas vidisset (prout èt ipsa Confessario suo postea narravit), & post quatuor horas ad se rediisset, iterum in ecstasi posita, in hunc sensum Deum alloquens fuerit a multis audita: Mi Domine, quonam modo ferre potero, ut qui ad imaginem tuam formati sunt in æternum pereant? An non in majorem gloriæ tuæ cumulum cederet, ut, salva caritate, ego sola perirem, corporisque mei objectione aditum ad Inferos obstruerem, omniaque gehennæ tormenta perferrem, quàm ut tot animarum millia a beatitudinis tuæ consortio excluderentur? Cui tamen Dominus respondit, nullo modo fieri posse, ut caritati locus apud Inferos esset; tantam enim caritatis vim atque potentiam esse subjunxit, ut magis ipsa gehennæ flammas extingueret, quàm ab eis ipsa lædi posset. Et verè id observatione dignum videtur, quòd Sancti ferè omnes postquam in ecstasim rapti & gloriam, & pœnas viderunt, statim hunc animarum zelum verbis expresserunt; sic èt Apostolus Paulus *optabat anathema esse pro fratribus suis* (*a*), & flens clamabat aliàs: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror* (*b*)? Et ante hos omnes mitissimus Moyses: *Obsecro, peccavit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi Deos aureos; aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti* (*c*). Nam qui cœlestis illius gloriæ magnitudinem conspiceret, & pœnarum atrocitatem, mihi credite, nescio an vivere posset, videns animas ob levissimas voluptates, ob nihil, se ipsas illà privare, & harum reas efficere.

Eja igitur, fratres mei in Domino amatissimi, nolite jam de cetero timere, sed infirmitatem vestram agnoscentes, eam Domino offerendam Patri vestro Ambrosio Sanctissimo ostendite; ejus imitandi studio, animarum saluti procurandæ incumbite, Christi Regnum intrate, in infirmitatibus gloriamini; ut laborum tamdem fructum referentes, ad gloriosum & cœleste Regnum transcatis. Amen.

HO-

(*a*) *Ad Roman. IX. v.* 3.
(*b*) *II. ad Corinth. XI. v.* 29.
(*c*) *Exodi XXXII. v.* 31. & 32.

HOMILIA XXXVI.

DE
S. JOANNE BAPTISTA
Habita in Metropolitana Mediolani
Feria VI. Dominicæ III. post Pentecostem

ANNO MDLXXXIII. XXIV. JUNII.



PIRITU Sancto replebitur puer ex utero Matris suæ, & multi in Nativitate ejus gaudebunt; erit enim magnus coram Domino. His verbis, dilectissimi filii, hodiernum Sancta Mater Ecclesia aggreditur Sacrificium (*a*), in tanta tanti Viri Nativitatis solemnitate; in cujus ipso primo intuitu, non parva admiratione digna se res nobis offert, unde videlicet tanta hujus festivitatis ab aliis ceterorum Sanctorum exoriatur differentia; quorum quidem festivitates, licèt eorum dicantur Natales, ab hoc tamen Natali Joannis plurimum dissident. In ceteris namque dies, quibus ex hujus Mundi calamitatibus morte liberati, in cœlestem patriam evolarunt, Natales nuncupantur; Joannis Baptistæ verò Natalis, quem colimus, dies est, quo Mundi miserias ingressus est, quo ad hanc lacrymarum vallem accessit. Cujus tamen Joannis unà cum eadem Matre nostra Catholica Ecclesia decollationis etiam, ac mortis diem celebramus, sed non tanta profectò, qua hodiernam, solemnitate. Et certè quis non id jure miretur, ejus nos ad infirmitates humanas, ad miserias, ad corporis castigationes, ad pœnitentias Ingressum tam solemniter colere; non sic autem, ex his omnibus Egressum, atque liberationem? Magnas necesse est hujus tantæ differentiæ causas subesse, maxima hìc latère mysteria; & cùm nihil temerè aut casu agere censenda sit Christi Sponsa, a Sancto semper Spiritu edocta Ecclesia, singularem opus est, filii, fuisse Nativitate, ac vitæ sanctitate Joannem, eum-

(*a*) Desumpta sunt hæc verba ex Lucæ Evangelio Cap. I. v. 14. & 15.

eumque ceteris omnibus Sanctis longè superiorem. De his ergo duobus breviter hodierno die apud vos verba faciemus, quibus videlicet prærogativis Nativitas ejus, quibus etiam ejus vita præfulgeat. Tu Joannes Christi Præcursor, æterni Verbi vox, qui èt Zachariæ Patris linguam nascens solvisti, impetra ab eo, qui te & officio, & laudibus adeò super ceteros extulit, *voci meæ vocem virtutis* (a), qua, sicut tu voce tua multorum corda ad pœnitentiam convertisti, sic ego Auditorum meorum corda convertam ad Christum.

Potuissemus quidem propositæ per nos difficultati, verbis etiam adductis Ecclesiæ abundè satisfacere, quòd nempe ejus ita præ ceteris celebretur nativitas: *Spiritu Sancto replebitur ex utero Matris suæ, multi in nativitate ejus gaudebunt, & erit magnus coram Domino*. Sed quò faciliùs & res innotescat simul, & Sancti hujus præstantia aperiatur, pleniùs & distinctiùs easdem causas perquiramus. Ac primùm quidem: si noctis tenebris paulatim recedentibus, & exoriente Lucifero, qui solem proxime antecedit, res hæ omnes inferiores, vires quodammodo novas recipere, exultare & lætari, flores aperiri, herbæ pullulare, prata ridere, fructus maturescere, animalia quæque gestire manifestè videntur: quid mirum, si quo die Joannes, Lucifer stella, Christum Justitiæ Solem proximè antecedens, Mundo apparuit, totus Mundus præcipuo quodam ac inusitato modo gaudere videatur? Erat Christus venturus, ut humanum genus redimeret, ut Cœli januas aperiret, Angelorum sedes repleret, pauperibus evangelizaret, Cœlorum Regnum proponeret, ad id consequendum viam præmonstraret, lux esset Mundi, ovium Pastor, infirmorum Medicus, languentium fortitudo, esurientium cibus, pauperum consolator, mortuorum vivificator, veritatis Magister, & ut innumera alia hominibus bona conferret, ac innumeris eos malis eriperet: Horum omnium principium, prænunciator, & doctor, missus est Joannes in Mundum; & ideo meritò *in Nativitate ejus multi gaudebunt*. Gavisa sunt Prophetarum & Patriarcharum millia, quibus Messiæ desiderati adventum prænunciavit & prævènit; gavisi sunt Angelici Chori, quia suarum sedium instauratorem hic proximè præcedit; gavisi sunt Gentiles, Christi Legislatoris sui propinquitatem animadvertentes; gavisa est Ecclesia, Sponsi sui ortum mox se visuram, firmissimè nunciari intelligens. Et non modò adveniens Joannis Nativitas gaudium attulit Mundo, sed èt multos ante annos perspecta, Prophetas ipsos exultatione replevit; hinc David Propheta (b) *paravi*, canebat,

(a) *Psalm. LXVII. v.* 34.
(b) *Psalm. CXXXI. v.* 17.

bat, *lucernam Christo meo*, & quam lucernam, nisi hunc, de quo dixit per Joannem Evangelistam, Christus, quòd erat *lucerna ardens & lucens* (a), caritatis quidem fervore ardens, vitæ autem puritate prælucens? Hunc prædixit in Malachia Dominus(b), cùm ait: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Testamenti, quem vos vultis*. Isaias quoque hujus prædicens Adventum: *Consolamini*, inquit, *consolamini, Popule meus, dicit Deus vester. Loquimini ad cor Jerusalem, & advocate eam; quoniam completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius: suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons, & collis humiliabitur, & erunt prava in directa, & aspera in vias planas* (c). Joannes vox est Verbi, Christi Præcursor, Solis aurora. O quanta ejus in Nativitate sublimitas, quòd per tot ante secula a sacris Prophetis prævisus fuerit, & prænunciatus! Sed ad propinquiora adhuc accedamus.

Ejus Nativitas ab Angelo nunciata fuit; & quidem non ab uno ex infimi ordinis Angelis, sed a Gabriele Archangelo, qui paulò post etiam Christi Filii Dei prædixit ac prænunciavit Adventum: nam *cùm Sacerdotio fungeretur Zacharias, sorte exiit, ut incensum poneret, ingressus in Templum Domini. Apparuit autem illi Angelus Domini, stans a dextris Altaris incensi*, cui et dixit: *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua; & uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem; & erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in Nativitate ejus gaudebunt; erit enim magnus coram Domino* (d); & post plura dixit Zachariæ dubitanti Angelus: *Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi evangelizare* (e). O quàm admirabilis fuit Joannis Nativitas, quæ ob sui novitatem Zachariam in dubium adduxit; ubi naturæ ordo pervertitur; ubi senectus redditur fœcunda, Matris sterilitas tollitur! Sed èt majora elucent dignitatis hujus indicia; cùm Zacharias Pater, in credendo difficilis, mutus statim efficitur, divinitus puero Joannis nomen imponitur, cujus nominis confirmatione statim Pater loquelæ recipit usum. Sunt quidem hæc maxima, & quæ nulli Sanctorum simul omnia umquam contigerunt; sed omnium potissimum est, quòd ceteri omnes Sanctorum, Jesu Christo, ejusque Matre demptis, in peccato sunt nati; Joannes verò in utero est sanctificatus. Ideo Sanctorum Nativitas minimè

(a) *Joann. V. v. 35.*
(b) *Malachiæ III. v. 1.*
(c) *Isaias XL. v. 1. & seqq.*
(d) *Luc. I. v. 8. & seqq.*
(e) *Ibid. v. 19.*

mè celebratur, quòd peccatores ſint nati, ſed mors, quòd a peccandi periculis ſint liberati; nam ubi primùm Dei Mater ad Eliſabeth eſt ingreſſa, Spiritu Sancto ſtatim, in primo ejus occurſu, repletus eſt Joannes, prophetavit Eliſabeth. *Ubi* Angelum de Eliſabeth loquentem *audivit Maria* Sanctiſſimus Pater noſter ſcribit (*a*) Ambroſius, *non quaſi incredula de oraculo, nec quaſi incerta de nuncio, nec quaſi dubitans de exemplo; ſed quaſi læta pro voto, religioſa pro officio, feſtina pro gaudio, in montana perrexit. Quò enim jam Deo plena, niſi ad ſuperiora cum feſtinatione contenderet? Neſcit tarda molimina Sancti Spiritus gratia. Diſcite è vos, Sanctæ Mulieres, ſedulitatem, quam prægnantibus debeatis exhibere Cognatis. Mariam, quæ ante ſola in intimis penetralibus verſabatur, non a publico virginitatis pudor, non ab ſtudio aſperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardavit. In montana Virgo cum feſtinatione, Virgo officii memor, injuriæ immemor, affectu vigente, non ſexu, relictâ perrexit domo. Diſcite, Virgines, non circumcurſare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miſcere ſermones. Maria in domo ſera, feſtina in publico, manſit apud Cognatam ſuam tribus menſibus. Etenim quæ propter officium venerat, inhærebat officio. Manſit etiam menſibus tribus, non quod domus eam delectaret aliena, ſed quia frequentiùs videri in publico diſplicebat. Didiciſtis, Virgines, pudorem Mariæ, diſcite humilitatem. Venit propinqua ad proximam, junior ad ſeniorem; nec ſolùm venit, ſed etiam prior ſalutavit; decet enim, ut quantò caſtior Virgo, tantò humilior ſit.* Neque verò ſola familiaritatis eſt cauſa, fratres, quòd diu Virgo Dei Mater apud Eliſabeth permanſit; ſed etiam tanti Vatis utilitas. Nam ſi primo ingreſſu tantus profectus extitit, ut ad ſalutationem Mariæ exultaret Infans in utero, repleretur Spiritu Sancto Mater Infantis, quantum putamus, tanti temporis ſpatio, Sanctæ Mariæ addidiſſe præſentiam? Manſit autem Maria cum illa menſibus tribus; ungebatur itaque, & quaſi bonus athleta exercebatur in utero Matris Propheta; ampliſſimo enim ejus virtus certamini parabatur. Quis ergo jam ampliùs habeat unde miretur, cur tam ſolemniter hujus Sanctiſſimi Præcurſoris Nativitas celebretur, quam è Turcæ ipſi, & Saraceni non parum venerantur (*b*)? Sed iis eſt potiſſimùm gaudii & exultationis cauſa,

(*a*) In Expoſitione ſuper Evang. Lucæ Lib. II. n. 19. Edit. Pariſienſis anni MDCLXXXVI.

(*b*) De Turcarum veneratione erga Sanctum Præcurſorem Chriſti Joannem Baptiſtam, præclarum teſtimonium extat in narratione inſerta Actis Sanctorum Bollandi ad diem XXIV. Junii Cap. V., ubi deſcribitur Legatio Bajazetis Turcarum Imperatoris, expedita anno MCCCCLXXXIV. ad Rhodios Equites, quibus dono mittebat dexteram manum Sancti Joannis, a patre ſuo Mahomete receptam, atque inter regias gazas aſſervatam, capta Conſtantinopoli; Legatus enim, Rhodiorum Magiſtrum alloquens, inquit: *Accipe, Inclytiſſime Magiſter, ſacram Præ-*

qui in quonam ante ejus Nativitatem ſtatu Mundus exiſteret cogitant; quàm eſſet deformatus, quàm miſer, quàm illius, quem Joannes præceſſit, indigeret adventu. Non tanto autem honore, ejus Decollationis, quanto Nativitatis dies celebratur a nobis, quòd, ùt Sanctus innuit Gregorius Romanus Pontifex (*a*), eo ſit tempore mortuus Joannes, quo Cœli nondum januæ fuerant reſeratæ Chriſti morte, ejus ad Cœlos Aſcenſione poſtmodum aperiendæ; unde èt in Limbo eum aliquot dies permanere oportuerit. Cujus igitur adventum in orbem terrarum, ac carnalem Nativitatem tot Deus voluit illuſtrare prædictionibus, quis eum omnibus, quibus poſſit, non proſequatur honoribus?

Sed eximias etiam vitæ ipſius prærogativas, obſecro fratres, attendamus, quibus èt nos ad rectè inſtituendam vitæ noſtræ rationem inſtruamur. Fuit aliàs tantus huic ſancto in Eccleſia exhibitus honor, ut ad ejus Nativitatem Quadraginta dierum jejunio, fideles Populi prǽpararentur; poſt verò, multò pauciorum dierum (*b*): aliàs etiam, quemadmodum in Natali Domini plures Sacerdotibus licet Miſſas celebrare, in Joannis Natali permittebatur (*c*). Equidem tot eſſent de ejus excellentiis dicenda, ut dies me potius deficeret & tempus, quàm dicendi materia. Sed quoniam a prandio Reverendiſſimus Novarienſis Antiſtes Comprovincialis noſter, veſter etiam & noſter Concivis (*d*), pro ſua in vos caritate de ejuſdem Sancti laudibus eſt ſermonem habiturus, juxta priſcorum Patrum Inſtitutum, qui advenientibus in Diœceſes ſuas extraneis Epiſcopis, præ-

Præcurſoris Manum, quem & Mahometæa lex Prophetam non negat, & Virum integerrimum non inficiamur, &c. Balthaſſar Fidelis, Archipresbyter Baſilicæ Modoetienſis, in Libello, quem *de Prærogativis Beati Joannis Baptiſtæ* conſcripſit, ediditque Mediolani anno MDXIV. Cap. XXVI. loquens de Præcurſoris Chriſti Nativitate, ſubdit: *Quam èt Saraceni multa exultatione feſtivam agunt.* Id autem multò etiam ante ſcriptum reliquerat in Rationali Divinor. Officior. Gulielmus Durandus Libr. VII. Cap. XIV.

(*a*) *Homil. VI. in Evangelia.*

(*b*) Gulielmus Durandus proximè relatus, in *Rationali Divinorum Officiorum* Libr. I. Cap. IX. hæc habet: „ Inſtituerat Eccleſia priùs duas „ Quadrageſimas, præter majorem; unam ante „ Natale Domini, quæ communiter vocatur „ Sancti Martini; aliam, ſcilicet quadraginta „ dierum, ante Feſtum Beati Joannis Baptiſtæ, „ in quibus vacandum erat orationibus, eleemoſynis, & jejuniis. Sed propter hominum „ fragilitatem, illæ duæ ad unam ſunt redactæ, „ & iterum illa diviſa eſt in tres hebdomadas „ Adventus, & tres ante Nativitatem Sancti „ Joannis, in quibus eſt jejunandum. „ Idem repetit Libr. VII. Cap. XIV.

(*c*) De antiquo hoc more celebrandi tres Miſſas in Sancti Joannis Baptiſtæ Natali die, fidem faciunt Ordo Romanus, vulgatus Alcuinus, & Amalarius. Scultingus ab Edmundo Martene relatus Libr. IV. de Antiq. Eccleſiæ Ritibus Cap. XXXII. teſtatur, ſuperiori ſeculo adhuc duas in Feſto Sancti Joannis celebratas fuiſſe Miſſas, primam in aurora, quaſi in fine noctis, & initio diei, quia Joannes fuit finis Legis, & aurora Solis Juſtitiæ; alteram in die, juxta conſuetudinem aliarum Solemnitatum.

(*d*) Novarienſem Eccleſiam eo anno adminiſtrabat *Franciſcus Boſſius*, Ægidii Senatoris Mediolanenſis filius, de quo Ughellus ſcribit, translatum eum fuiſſe a Peruſina ad Novarienſem Sedem; hoc ipſum Sancto Carolo Borromeo apud Pont. Max. Gregorium XIII. procurante, quippe qui optimis Præſulibus, ac ſibi ſimillimis Suffraganeis impenſiùs delectaretur.

prædicationis eis munus committebant; idcirco nos, multa omittentes, paucis orationem expediemus. Videntes illorum temporum homines tot miraculis insignem, tot prædictionibus illustrem Joannis Nativitatem, admirantes dicebant ad invicem: *Quis putas, puer iste erit* (*a*)? Sed vitam, obsecro, inspiciant, & quis futurus esset, videbunt. Quinque vix annos natus (*b*), relictis parentibus, Mundi rebus omnibus contemptis, antra deserti petiit, ubi tanta asperitate victûs, vestium rigore, tanta solitudine perpetuò vitam duxit, ut dictus fuerit ab Angelo, Christum præcessurus *in Spiritu, & virtute Eliæ* Sanctissimi (*c*). Quòd si Eliam, ùt olim fuit, & ùt ante extremam judicii diem venturus est, consideremus, utroque modo verissimum esse comperiemus; nam primo quidem modo, similis fuit utriusque vitæ asperitas & genus: Ambo in eremo, ambo zonis pelliceis amicti: ille a corvis, & paupercula muliere pascebatur; hic locustis, & sylvestri melle vescebatur: ille Jordanis alveum divisit; hic Jordanem ad salutare nobis Christi lavacrum convertit. Uterque fervens fuit justitiæ zelator: ille Achab, & Jezabel reprehendit; hic Herodem, & Herodiadem criminis liberè arguebat: illum mulieris impietas vertit in fugam; huic mulieris libido caput abscidit. Videte quàm per omnia Eliæ similis fuerit. Sed èt venturo Eliæ est quoque simillimus; nam sicut Elias ante secundum Christi est venturus adventum, ita hic ejusdem primum prævênit. Ille, ut infideles ad Christi Domini Fidem convertat, accedet; hic ut pœnitentiam omnibus prædicaret, fuit missus in Mundum. Quanta vitæ Joannis extitit solitudo, quàm exacta Mundi omnia impedimenta effûgit, quibus tam multis a Deo distrahimur miseri. Noveras tu Joannes Sanctissime Mundi miserias, ejus mille fallendi artes te non latuerant, fugâ tibi idcirco consuluisti. Fueras profectò in Matris utero sanctificatus, nec mortale umquam peccatum admiseras: & te nihilominus ita severè tractabas, corpus tuum jejuniis ac pœnitentiis affligebas, ut miseros nos doceres, semper pavidos esse, in timore semper persistere, & illorum temeritatem argueres, qui pœnitentias irrident, qui ad Sacerdotes & Monachos tantùm pertinere jejunia dictitant, ac corporis macerationes; quasi ipsorum peccatis pœnæ vel nullæ, vel minimæ debeantur.

(*a*) *Lucæ I. v. 66.*

(*b*) Balthassar Fidelis in Libro superiùs indicato Cap. XII. loquens de Sancti Joannis in desertum recessu, ait, *aliquos asseruisse, eum quinquennem fuisse; aliquos verò septennem, quando deserta petivit.* Daniel verò Papebrochius in Actis Sanctorum Bollandi ad diem XXIV. Junii, verosimilius censet, fuisse decennem.

(*c*) *Lucæ I. v. 17.*

At cur tot te afflictionibus castigasti? Ob id nempe, ut ad tuum rite præparareris munus exequendum, testificandi videlicet Dominum Jesum Christum, ejus prædicandi mysteria. O Reverendissime Pastor, o Reverendi Sacerdotes videte, qualiter nos ad id præparari deberemus, quorum idem, ac Joannis, est munus, Christum videlicet prædicandi, ad pœnitentiam homines adducendi. Quamdiu vitam duxit, jejunavit Joannes, in deserto permansit, hominum colloquia effugit, se ipsum afflixit, ut ad prædicationem præpararetur; idem præstitit Christus, cui nihil horum opus erat, trigintatribus annis, quibus vixit; ultimo tantùm triennio prædicavit, ac, ùt Lucas scripsit (*a*), cœpit facere primùm, quæ postmodum docuit. Quàm grande nostrum est munus, quibus Verbi sui prædicationem, Evangelii annunciationem, Sacramentorum distributionem Dominus injunxit! Sed perpendite èt vos, populi, quanti sit a vobis Sacerdotum munus faciendum, quo ipsi in honore habendi, quæ eis præstanda fides, quàm eorum monitis obtemperandum. *Fuit* Joannes *homo missus a Deo* (*b*). O nobilem legationem, ad quam non a quopiam Rege aut primario homine, sed *a Deo* ad Mundum universum hic Legatus est missus, cujus vitam & prædicationem iidem ipsi Evangelistæ, qui èt Christi, descripserunt. Neque verò ejus Sanctitati ulla ex parte detrahitur, quòd, quamdiu vixit, non cæcis visum, nec surdis auditum, nec languidis sanitatem, nec mortuis vitam dedisse, aut miraculum aliud quodpiam fecisse perhibeatur, cùm his veluti signis opus non habuerit, quibus mira ejus sanctitas, & innocentia, sole ipso clarior, Mundo patefieret; sed sua ipsum vita collaudaverit. Imo verò hinc maximè ejus vitæ sublimitas patet, quòd prædicaturo Joanne mysteria, Mundo aliàs inaudita, non signis opus fuerit, aut miraculis, ad audientium fidem ei comparandam; sed id vitæ ipsius sanctitas abundè præstiterit, cùm & Populi eum existimarent Christum, aut Prophetam esse, & Herodes ipse, veluti Sanctissimum hominem metueret, quamvis nulla signa vidissent. Quid plura? Videte, qualem meruit habere laudatorem: Equidem a probatis, & nobilibus viris laudari, plurimum esse semper existimarunt homines; at a Dei Filio laudari, & iis laudibus, quibus majores ullæ reperiri nequeant, o quàm est hoc magnum, quàm insignis probitatis testimonium! Audite de Joanne ad turbas Christum dicentem: *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam. Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in*

(*a*) *Act. Apost. I. v. 1.* | (*b*) *Joannis I. v. 6.*

in domibus Regum sunt. Sed quid existis videre? Prophetam? ecce dico vobis, èt plusquam Prophetam (*a*). Putabant illius temporis homines, ejus vitæ integritatem admirati, ipsum esse Christum, aut Eliam, aut aliquem ex Prophetis; & tamen negavit ipse semper constantissimè dicens: *Non sum. Ego vox clamantis in deserto* (*b*). O constantissimum Virum nec prosperitatibus elatum, imo se magis demittentem, ac confitentem, quia *non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus* (*c*); nec adversitatibus fractum, sed Regis vultum minimè timentem, eum, liberè increpantem, pro veritate vitam exponentem & caput! Videte, quàm liberè Pharisæos arguebat, *genimina* eos *viperarum* (*d*) appellans; quàm suaviter omnes erudiebat, quàm fortiter Mundum, & Mundi omnes aversabatur delicias! I nunc Christiane, qui deliciis affluens cœlum ingredi cogitas, & tuam cum Joannis conferas vitam. Ille quinquennis desertum petiit; tu filios tuos, vix rationis usu præditos, Mundo immergis. Ille omnibus modis se ipsum afflixit; tu delicatulus vèl minimos refugis labores. Ille pro veritate mortem non expavit; te a Christi confessione minima quæque retrahunt. Tam contrarià incedis vià, & ad eamdem cogitas Patriam pervenire? Intuere èt ipsum, cujus extitit Præcursor, Christum; confer Præcursoris vitam cum sua, & quàm ei fuerit similis, animadvertes. Sub his ergo tu Ducibus militans, contrariam omnino vitam ducens, proposita eos sequentibus præmia sperabis?

Sed fuit etiam plusquam Propheta Joannes; ceteri namque Vatum Christum a longè tantùm prædixerunt; hic verò & prædixit, & indice prodidit, cùm dicere meruit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi* (*e*). Huic Prophetæ omnes, huic Patriarchæ, huic quotquot eum præcesserunt justi, cedunt; *inter natos* enim *Mulierum* isto *major*, ipsomet Deo perhibente (*f*), *non surrexit*. Imo etiam in Prophetiæ munere, ac aliis multis quarumdam gratiarum prærogativis, quibus præ ceteris fuit insignitus, ad eum Apostolorum nullus accessit; nam non modò ex Patre Propheta (sicut ceteri) est genitus, sed ex Matre etiam, Prophetiæ dono insigni. Et quidem si a parentum nobilitate, aut sanctitate laudi sit locus, quis Joanne dignior laude; cujus parentes Prophetæ, de Tribu Aaron, *ambo justi*, & Deum timentes, ac *sine querela incedentes* coram Domino (*g*)? Quæ verò illustrior Propheta, nobilior aut jucundior prædicatio illà Joannis, qui quem prophetavit, digito ostendit, & primus omnium prædi-

(*a*) *Matt. XI. v. 7. & seqq.*
(*b*) *Jo. I. v. 20. & 23.*
(*c*) *Lucæ III. v. 16.*
(*d*) *Ibidem v. 7.*
(*e*) *Joannes I. v. 29.*
(*f*) *Matth. XI. v. 11.*
(*g*) *Luc. I. v. 6.*

prædicavit, appropinquasse Regnum Cœlorum; tempus advenisse, quo Cœli januæ pœnitentiam agentibus aperirentur (a)? O Sanctissimum Joannem, cujus laudes recensere humanis linguis, est potiùs obscurare! Satis sit, laudatum te a Deo vivo fuisse, a Prophetis prænunciatum, a Gabriele promissum, ab Evangelistis sacris toties commendatum. Sileant inter nos qualescumque laudationes nostræ, ac imitatione te laudare studeamus, quæ vera est festivitatis tuæ celebrandæ ratio. Eja igitur, amatissimi fratres, Joannem Sanctissimum imitamini; & felices vos atque beatos! Non quòd miracula faciatis, non quòd mortuos suscitetis suadeo, quæ nec ipse fecit; ejus imitamini seculi fugam, & humanarum conversationum; & quando re ipsa in desertis non digitis, sed terrenis adhuc negotiis implicitos esse vos opus est, segregamini saltem aliquando a seculi curis. Ingredimini cor vestrum, & clauso ostio cordis vestri, cum Deo colloquimini. Imitamini ejus pœnitentiam ac carnis afflictionem, & quæ ceteros docere præsumitis, ipsi priùs opere explete; in bono constantes estote; ab ineunte ætate filios vestros Dei cultui mancipate; Dei in omnibus gloriam summo studio quærite, pro cujus honore & Mundum, & omnia, quæ in eo sunt, vos ipsos quoque & vitam contemnite. Mementote, quia *momentaneum* hoc *tribulationis*, *æternum* in vobis *gloriæ pondus operabitur* (b). Patiemini hìc modicum, sed in perpetuum regnabitis; *angusta* quidem est *porta*, *& arcta* pœnitentiæ *via*; sed *ducit ad vitam* (c). Cupimus id, dicitis fratres amatissimi, sed infirmi sumus ac imbecilles, nihil a nobis possumus, neque ii sumus, qui ad Deum accedere audeamus. En vobis potentissimum Advocatum & Patronum, qui inter vos stabit, & Christum, vestras ei porriget supplicationes. Est ei carissimus; auctoritate apud eum plurimùm valet; ejus illi fides perspecta est; annuet ejus sanctissimis precibus.

Joannes Baptista Præcursor Christi Sanctissime voces nostras audi, pro nobis intercede ad Dominum Deum tuum, qui te sibi Præcursorem elegit, qui tot te privilegiis cumulavit. De Mundo quidem adhuc sumus, cujus tu adeò inimicus extitisti; Mundo alligati sumus; sed solve tu vincula, precibus tuis, ut iis expediti, quod docuisti addiscamus, quod fecisti opere impleamus. Gavisi sunt multi in Nativitate tua carnali, eam èt nos celebramus exultantes; sed gaudeamus, obsecro, te nunc in Cœlis existente, ut gaudium nostrum perfectum sit, & nemo tollat a nobis; atque hìc ad modicum flentes, tecum sine fine exultemus. Amen.

HO-

(a) *Matth. III. v. 2.* | (b) *II. ad Corinth. IV. v. 17.* | (c) *Matth. VII. v. 14.*

HOMILIA XXXVII.

Habita ad Populum Olginati (a) Diœcesis Mediolanensis

Dominica IV. post Pentecostem

IN EVANGELIUM LUCÆ CAP. XVI. DE EPULONE ET LAZARO

ANNO MDLXXXIII. XXVI. JUNII.



NIHIL est, dilectissimi filii, quod æquè possit hominis omnes actiones dirigere, & ipsum ad salutis terminum conducere, ac sedula meditatio finis rerum omnium. Hæc veræ prudentiæ regula est firmissima, ut quidquid agimus, prudenter agamus, & finem respiciamus: ejus verò finis contemplatio plurimùm confert, quo homo ad irreparabilem, & incommutabilem reducitur statum vel cœlestis gloriæ, vel æternæ pœnæ, de quo dictum est, quia *si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit* (b); quod morte omnibus contingit, unde ejus meminisse monemur, & novissimarum rerum omnium, ne in æternum peccemus (c). Quoniam autem ad salutem homines dirigere, proprium est Prælatorum officium, idque, cùm sibi subditas Ecclesias visitant, potissimùm efficere student; ideo dum ad vos sermonem habemus, hoc unum maximè spectare debemus. Opportunum sanè huic rei est hodiernum Evangelium, ac utilissimæ, quæ in eo recensetur, historiæ frequens consideratio: quam qui sæpe animo revolveret, quantam inde utilitatem perciperet! Cavere velim vos omnes, ne de vobis Spiritus Sanctus dixerit: *Quia vocavi, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum,*

(a) *Olginatum* Pagus est in Diœcesi Mediolanensi ad flumen Abduam, quinq; circiter millibus passuum a Leuco distans, Præpositurâ decoratus.

(b) *Ecclesiastes XI. v. 3.*

(c) *Ecclesiastici VII. v. 40.*

meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo; & subsannabo, cùm vobis id, quod timebatis, advenerit: cùm irruerit repentina calamitas, & interitus, quasi tempestas, ingruerit; quando venerit super vos tribulatio, & angustia; tunc invocabunt me, & non exaudiam (*a*). Quod sanè ad literam accidit Diviti, de quo in Evangelio, qui invocans exauditus minimè fuit. Faxit Deus Optimus Maximus, ut hæc historia animo vestro numquam excidat, quam cùm breviter de eâ nonnulla dicentes, ad usum vestrum reducimus, vos diligenter attendite.

Proponit Salvator noster, dilectissimi, cujusdam hominis historiam, qui cùm dives admodum esset, *induebatur purpurâ, & bysso, & epulabatur quotidie splendidè. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus ulceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa Divitis, & nemo illi dabat: sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus. Factum est autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ* (*b*), Dives verò in Inferno sepultus est, qui inde Abraham videns & Lazarum, supplex petebat, Lazarum mitti, qui extremam digiti partem aquis intingens, linguæ ipsius mitigaret ardorem; aut saltem ad proprios fratres, qui adhuc vivebant, dirigi, ut eos a malis operibus retraheret, tormentorum gehennæ prædicatione: Sed neutrum Dives infelix consequi potuit.

Ac prima quidem Evangelii verba considerantibus, tria se se offerunt, malorum omnium & calamitatum principia; Avaritia nempe, radix omnium malorum, cùm dicitur: *Homo quidam erat dives*, non quòd divitiæ solæ sint tales, sed quòd immoderatâ ac inordinatâ earum appetentiâ nihil sit iniquius. Secundò superbia & ambitio, verbis illis signantur, quòd *induebatur purpurâ & bysso*. Tertiò demum carnis voluptas, cùm *epularetur quotidie splendidè*. De quibus tribus dixit Joannes: *Omne, quod est in Mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ* (*c*). His tribus veluti viis, innumeros mortales in barathri præcipitium pertrahit Mundus. Nam ut de iis obiter aliquid tantùm attingamus; Vesana divitiarum cupiditas morbus est insanabilis; fornax, quæ numquam extinguitur; tyrannis per orbem terrarum longè diffusa. Divitiæ ingratæ sunt, fugitivæ, homicidæ crudeles & implacabiles; præcipitium undequaque præruptum;

(*a*) *Proverb. I. v. 24. & seqq.*
(*b*) *Lucæ XVI. v. 19. & seqq.*
(*c*) *I. Joannis II. v. 16.*

ruptum; ſcopulus, in quo aſſiduò fluctus impingunt; mare immenſis ventis agitatum; Dominæ acerbè imperantes, quovis Tyranno ſæviores; Inimicæ inſidioſæ, hoſtes implacabiles; quæque numquam eorum, a quibus poſſidentur, ſitim extinguunt: Sicut enim beſtia aliqua ſæva ſit, leonum, pardorum, & urſorum more, dum includitur coërceturque in vinculis, animum erigit, acuit iras; eàdem ratione dum includuntur, & defodiuntur divitiæ, acriùs rugiunt quàm leones, perturbantque omnia. Quòd ſi eas e tenebris eduxeritis, & in egenorum manibus diſſeminetis, ex feris beſtiis fiunt oves, pro ſcopulis fiunt portus, pro naufragio tranquillitas. Quandoquidem èt hoc in navigiis videre licet: ſi quando onus eſt juſto gravius, cymbam demergit; at cùm eſt moderatum, proſpero fertur curſu: ſic cùm, ultra quàm uſus poſtulat, pecunias congeritis, exigui venti procella, & quivis rerum inexpectatarum incurſus demergit cymbam. Et quid, obſecro filii, avaris hominibus infelicius? Nam ſicut qui metallorum operi traditi ſunt, nullum inde emolumentum, nullas opes conſequuntur; ſed periculo magno atque detrimento ſuo aliis laborant, nihil prorſus de ſudore, de labore, & morte, quam plerumque obeunt, ad fructum ſuum inde convertentes: ſic etiam qui divitias, quas aliis inviti relicturi ſunt, quærunt. Imo èt primis multò miſeriores ſunt, quoniam illis mors doloris finem, his verò, quos gehenna expectat, perpetuæ afflictionis ac pœnæ affert initium. Quàm pulchrè avari quidam inſatiabiles, canibus ſimiles eſſe perhibentur, qui projecta a domino fruſta panis, aut carnis aperto ore captantes, quidquid excipiunt, protinus integrum devorant, & ſemper ad ſpem futuri inhiant! avari enim homines his, quæ poſſident, numquam contenti, alienis etiam per vim occupandis ſunt ſemper intenti. Miſeri ac infelices, & ignari rerum æſtimatores cenſendi; qui cœleſtia terrenis commutant; animas ſuas infiniti valoris ac pretii, Chriſti redemptas ſanguine, minimo argento diſtrahunt; ſummis denique ſe abdicant bonis, ac maximo pretio ſibi comparant mala.

Alterum verò malorum omnium principium ſuperbia eſt, qua quis, quibuſcumque poteſt rationibus, ceteris ſtudet anteferri. Hæc non immeritò, filii, capitalium omnium, & lethalium vitiorum caput eſt & origo. Medicus quando ægritudinem diſcutit, ſi cùret, quod per aliquam cauſam factum eſt, ipſam

ipſam verò cauſam, per quam factum eſt, non curet, ad tempus videtur mederi; causâ namque inſurgente redit èt morbus; ut verbi cauſa: Humor in corpore ſcabiem, vel ulcera gignit, fit magna febris, & non parvus dolor. Exhibentur quædam medicamenta, quæ ſcabiem compeſcant, & fervorem illum ulceris ſedent: & adhibentur, & proficiunt. Vides hominem, qui fuit ulceroſus, & ſcabioſus, ſanatum; ſed quia humor ille non ejectus eſt, paulò poſt ad ulcus redit. Cognoſcens hoc Medicus, purgat humorem, detrahit cauſam, & nulla erunt ulcera. Unde ergo abundat iniquitas? Per ſuperbiam. Curate, filii, ſuperbiam, & nulla erit iniquitas. Ut hæc morborum omnium cauſa curaretur, ideſt ſuperbia, quàm multa Dei Filius fecit, & pertulit! quàm ſe demiſit, *formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ùt homo* (*a*)! Sed quoniam non hìc de ſuperbia agendi eſt locus, hoc uno multa, quæ ſponte prætermitto, concludite: ſuperbiam execrabiles homines Deo, hominibus, & creaturis omnibus efficere, dicente Scriptura: *Odibilis coram Deo eſt, & hominibus ſuperbia* (*b*); *ſuperbis Deum reſiſtere* (*c*), & adverſari. Si quis potentiſſimum Regem adversùm ſe arma ſumere intelligeret, cui nullatenus reſiſtere valeret, quid faceret miſer? O miſeri ſuperbi, o miſerrimi! Contra Deum ſumitis bellum, eum habetis hoſtem & adverſarium, cujus iræ non eſt qui reſiſtere poſſit. Superbia vos ſtultos reddit & inſanos: Non igitur mirum, quòd adversùs Deum arma ſumatis, quòd fœditatem veſtram non agnoſcatis, cùm pravis Angelis ſuis fœdiores, quos, cùm eſſent pulcherrimi, ſola ſuperbia execrabiles reddidit.

Tertium denique perverſum principium eſt carnis voluptas, quæ lautis cibis, commeſſationibus, & ebrietatibus, maximè enutritur, iis denique, quibus Evangelicus hic hodiernus Dives ſtudebat, de quo dicitur, quòd *epulabatur quotidie ſplendidè*. Et certè quemadmodum Hydra apud Poëtas, ſic èt ebrietas ac gula multis capitibus armatur; hinc enim fornicatio, ira, mollities; hinc turpes amores oriuntur; hæc mater eſt vitiorum; hac ſuperatâ, quaſi capite obtruncato, alia ſepulta erunt. Audite de hac, filii, Dominum dicentem, & horribilia adducentem: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius, & filiarum ejus; & manum egeno, & pauperi non porri-*

(*a*) *Ad Philipp. II. v. 7.*
(*b*) *Eccleſiaſtici X. v. 7.*
(*c*) *Jacobi IV. v. 6.*

porrigebant. Et elevatæ sunt, & fecerunt abominationes coram me, & abstuli eas, sicut vidisti (a).

Epulabatur ergo Dives hic *quotidie splendidè*: colebat hic splendidè corpus; & proh dolor! quàm multi sordidè animam tractant! Quàm sunt in caducis rebus procurandis multi soliciti, ac diligentes in comparandis agris, domibus fabricandis, fodiendis vineis, campis colendis! quæ tamen tanto studio comparare nil aliud est, quàm perforato dolio aquam ingerere, quàm pugnis aërem cædere, cùm uniuscujusque artis finis quidam sit, secularis verò hujus studii nullus omnino possit adduci, cùm nihil hæc omnia, nisi *vanitas* sint, & *vanitas vanitatum* (b), ut is ipse perhibuit, qui quicquid desiderari possit, acceperat, & cui veluti experto fides procul dubio est adhibenda. In rebus verò ad animam spectantibus tractandis, quanta incuria, in spiritualibus quanta mentis hebetudo, quanta in divinis oblivio! Utinam, filii, sic in divinis splendidi essetis, ùt erat Dives ille miserrimus in epulis, & conviviis! Non jaceret informis profectò Ecclesia vestra, tot ab hinc annis fabricari cœpta, & numquam ad finem perducta, nec de vobis diceretur: *Hi homines cœperunt ædificare, & non potuerunt consummare* (c); non toties essetis ad eam prosequendam a nobis admonendi, & tam multis ac variis modis compellendi, si vobiscum ita sæpe & inter vos loqueremini: Hæc domus Dei est, cœlestis Regis habitatio, hæc Nutrix nostra, in qua spiritualis vitæ sumimus alimenta, in qua Sanctissima nobis conferuntur Sacramenta; erimusque semper in hujusmodi angustiis, ut major pars nostrùm extra Ecclesiam consistere cogatur? Cur non etiam cibos nobis aliquâ ex parte subtrahamus, ut Dei domum exornemus, ut Matrem nostram amplificemus? Si quantum a temporalibus differant æterna, quàm sint corporeis superiora cœlestia, quàm Anima corpori præstet perpenderent homines; o qualis videretur morum mutatio; quàm demissè privata, splendidè verò divina tractarentur! Argento & auro Sacra includerentur, sericis ac pretiosis vestibus Altaria operirentur; nos verò humiles & abjecti domi degeremus; corpora nostra veluti lutea vasa tractaremus, ac citò moritura, in cineres resolvenda, a vermibus devoranda. Deo profectò omnis exhiberetur honor, cujus cùm sint omnia, a quo cùm acceperimus omnia,

(a) Ezech. XVI. v. 49. & 50.
(b) Ecclesiastis I. v. 2.
(c) Lucæ XIV. v. 30.

omnia, cur etiam laborum ac ſudorum noſtrorum partem ei non elargiamur? Cur immenſum hoc ejuſdem beneficium, & amoris ſignum non agnoſcimus, quòd cùm bonorum noſtrorum minimè egeat, noſtris tamen non dedignetur muneribus coli; ſua a nobis repetere cupiat, & ei offerri ac exhiberi gaudeat? Nec tamen ignoro, inter vos eſſe, qui ob id ſe excuſent, quòd aliæ hìc adſint Eccleſiæ Monachorum, & Religioſorum (*a*), ad quas, ut divinis interſint, convenire poſſint. Sed quid vobis cum illis? Eæ quidem a vobis colendæ ſunt etiam, & exornandæ, ſed ante illas Parochialis in primis Eccleſiæ Matricis veſtræ eſt neceſſitatibus ſubveniendum; huic namque plus quàm ceteris debetis: perfecta autem caritas ordine, veluti animâ, informatur. Si de aquis ad agros veſtros irrigandos conducendis ageretur, non dubito quidem, quin omnes accurrerent, nemo expenſis parceret, & victui etiam neceſſaria ſubtraheret. Ubi de animabus veſtris cœleſti rore perfundendis, ſalutari medicina curandis, vivifico cibo paſcendis & augendis agitur; ah filii, hìc, hìc liberales eſtote, hìc prodigi, hìc fœnus cum Deo exercete, hìc negotiamini, in hunc uſum pecunias & reditus veſtros convertite, centuplum & millecuplum recepturi; ut Eccleſiam conſtruatis, ad quam opportunè omnes convenire, in qua Dei verbum audire, & Sacris intereſſe poſſitis. Cur, quæſo, putatis a Sacris Canonibus præcipi, & in primis a Sacroſancto Tridentino Concilio, Animarum Paſtores Epiſcopos excitari ad monendos populos, ut feſtis ſaltem diebus ad proprias Parochiales Eccleſias conveniant; niſi quia proprius eæ ſint ſingulorum locus (*b*)? Unde feſtorum dierum inobſervantia? unde vigiliarum jejunia minimè ſervata? unde matrimoniorum, quæ infra hebdomadam ſunt celebranda, & officiorum, quæ pro mortuorum animabus ſunt recitanda, ignorantia? Niſi quia, propriis Eccleſiis relictis, ad alienas Populi magis conveniunt, & ob id etiam Matricum ſuarum cultum & ornatum penitus negligunt; iis profectò ſimiles, qui alienas

(*a*) Duo etiam nunc extant in Pago Olginati Religioſorum Cœnobia, alterum Ordinis Servorum Beatæ Virginis Mariæ, alterum Carmelitarum Mantuanæ Congregationis.

(*b*) Sæpius in Conciliis ſuis Provincialibus Sanctus Carolus de hac re Decreta edidit, præſertim in VI., ubi *de Parocho, & Paræciis* agens, hæc inquit: „ Canonum ratio, & diſciplina Ec„ cleſiaſtica id maximè poſtulat, ut ad Eccle„ ſiam Parochialem Fideles quàm frequentiſſi„ mè conveniant: id, quod ab Epiſcopis accu„ ratè eos moneri Œcumenica Synodus Tri„ dentina piè ſalutariterque decrevit &c. „ Ibidem inſeruit formulam Literarum monitionis *de conveniendo ad Parochialem Eccleſiam*, Latino ſermone conceptam, quam in Italicam linguam de verbo ad verbum transferri, & e ſuggeſtu Fidelibus enunciari ſancivit.

nas Matres præferunt suis, & quos extraneum magis, quàm propriæ Genitricis lac oblectat. Splendidè igitur agite cum Deo, filii, ùt Dives ille agebat cum corpore; cùm splendidè quotidie epularetur.

Sed huic dissimilis prorsus, imo verò contrarius erat mendicus quidam, nomine Lazarus; ille enim Dives erat; hic non modò pauper, verùm etiam mendicus. Ille bysso, & purpura induebatur; hic plagis & ulceribus totus operiebatur. Ille splendidè quotidie epulabatur; hic de micis, quæ de illius mensa cadebant, saturari cupiebat, nec eas a quoquam consequi valebat. Illius tamen nomen ignoratur; sed de eo tantùm dicitur *homo quidam*; pauperis verò nomen refertur: quantum enim differunt a Mundi viis, viæ Dei? Divites & nobiles dumtaxat æstimat Mundus, hos tamquam dominos solùm noscit; pauperum verò, ac si nusquam essent, nulla habetur ratio. Non ita certè apud Dominum, filii, qui humilibus favet, superbis autem resistit; pauperes complectitur, divites verò avaros odit, qui *refugium factus est pauperi* (*a*), *& cum ipso est in tribulatione; eripiet eum, & glorificabit eum* (*b*). Consolamini pauperes: consolamini fratres carissimi, qui mundanis opibus egetis. Agnoscite in hoc, quàm Deo pauperum Regi, cari sitis & grati. Quam obsecro, filii, Deus homo factus vitam elegit? Divitem-ne, an pauperem; rebus omnibus abundantem, an egentem? Certè pauperrimam, certè miserrimam, cùm nudus non modò sit natus, sed èt nudus vixerit, ac mori voluerit; cùm miserrimis ortus parentibus, collatis eleemosynis vixerit semper; cùm *vulpes foveas habuerint, & volucres Cœli nidos; filius autem hominis non habuerit, ubi caput suum reclinaret* (*c*). Consolamini filii, quòd *nomina vestra scripta sunt in Cœlis* (*d*), quoniam præcipuam vestrî curam gerit Dominus Deus. Fuit quidem Divitis vita mundanis rebus redundans; Lazari verò, omnibus carens. Sed finem, filii, finem attendite: communis fuit utriusque finis mors. Mortuus est pauper, sed mortuus etiam est Dives: verùm priùs mortuus pauper, & ab Angelis in Abrahæ Sinum deportatus; mortuus post Dives, & in Inferno sepultus. Utrobique autem summa Dei eluxit benignitas: nam illum priùs a seculi molestiis & calamitatibus liberavit; huic verò pœnitendi tempus concessit, quo tamen abusus est.

(*a*) *Psalm. IX. v.* 10.
(*b*) *Psalm. XC. v.* 15.
(*c*) *Lucæ IX. v.* 58.
(*d*) *Ibidem X. v.* 20.

eſt. Dives erat, purpurâ induebatur, ſplendidè epulabatur; quidquid optabat, conſequebatur; quòcumque ſua eum trahebat voluptas, ducebatur; ab omnibus magni ei tribuebantur honores; felix ſibi videbatur & beatus: ſed momentanea fuerunt hæc omnia, ſed breviſſima, quibus quadraginta tantùm, aut quinquaginta, vel paulò plures, aut pauciores annos, eſt uſus. Hæc omnia tamen inexpectata ſtatim abſtulit mors: breve gaudium, perpetua triſtitia, breviſſimum riſum, æternus conſecutus eſt luctus. O qualia, Munde, gaudia proponis, o quales perniciofas lætitias, quàm venenata ſolatia! Væ iis, qui fraudibus tuis capiuntur, qui blandienti tibi credunt, quos Sirenum more tuis cantilenis obdormire facis, ut devores! Tuæ tecum divitiæ ſint, peſſime; tuos tibi habeto honores. Nos pauperes eſſe malumus Lazari, quàm Divites; æterna namque magis attendimus, quàm fluxa & caduca, quæ polliceris.

Perpendite, obſecro, quantæ calamitates brevibus illis Divitis deliciis ſucceſſerint! quàm in ipſum Dei verba quadraverint, dicentis: *Reddite illi, ſicut & ipſe reddidit vobis, & duplicate duplicia ſecundùm opera ejus; in poculo, quo miſcuit, miſcete illi duplum. Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum* (a)! Videbat Divitem mendicus ſplendidè epulantem, cupiebat de micis, quæ de menſa cadebant, ſaturari; nec poterat. Jacet in Inferno ſepultus nunc Dives, & elevans oculos ſuos, cùm in tormentis eſſet, Lazarum vidit exultantem, & in Abrahæ Sinu glorioſum reſidentem. Jam, filii, oculos elevabat, cùm jam elevandi tempus non ſuppetebat. Elevandi, miſer, tibi fuerant priùs in pauperem oculi, ejus ſubveniendum neceſſitatibus. Non eſt, filii, in Infernum differenda pœnitentia, non procraſtinandum, cùm nunc vivi neſciatis, an ante veſperam ſitis morituri. Stulti, qui vobis ſenectutem & annos multos promittitis, cùm nec de hora ſitis ſecuri. Quot hìc veluti caſu vivunt; omnia ſua, ac ſi Deus, mors, & Infernus non eſſent, agunt; qui inſipientium animalium more *oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram* (b), ac ſi Cœlum nuſquam eſſet? Creata tantùm conſiderant, neque Creatoris magnitudinem animadvertunt, in his omnibus latentem. Elevate oculos, filii; oculos in Cœlum, ùt homines decet; tollite, non humi ſemper fixos retinete. Cùm peccata committitis, cùm injuſtos exercetis contractus, conſiderate,

(a) *Apoc. XVIII. v. 6. & 7.* | (b) *Pſalm. XVI. v. 11.*

rate, num hæc Dominus, qui vos judicaturus est, videat: at si videt (ùt videt certissimè) qui *corda scrutatur*, *& renes* (*a*), ac qua intentione quodlibet faciatis, cognoscit; in eum oculos sustollite, ne, sicut hic Dives, sustollere velitis, cùm aspicere nihil proderit.

Epulatus fuerat quotidie Dives; pauper verò continuâ fame vexatus. At in tormentis hic Dives postea constitutus, vidit Abraham a longè, & Lazarum in sinu ejus, *& clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Et in his omnibus, inter nos & vos, chaos magnum firmatum est; ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare*(*b*). Essent singula hæc verba diligentissimè, filii, perpendenda, utpote quæ, veluti pixides quædam, suavissimis sint plena liquoribus, ac efficacissimis medicinis. A tantis divitiis in tantam devenisse paupertatem: O inexplicabilem hominum ignorantiam atque miseriam, qui, cùm extremam facillimè possint egestatem effugere, renuunt tamen! Possunt hìc sibi thesauros congerere, & in regiones illas præmittere, in quibus nihil, nisi quod defertur, invenitur; & negligunt: abundare in æternum cùm valeant, inopiâ maximâ premi malunt. Ad breve tempus cum Divite voluptatibus perfrui eligunt, ac perpetuò cruciari, quàm cum beato paupere modicum pati, & æternis voluptatibus potiri. Audite, filii, præsentes pauperum ærumnæ quàm magnis sint gaudiis excipiendæ: imo quod olim per Prophetam suum prædixerat & promiserat Dominus, hoc in paupere Lazaro, & in divite Epulone videte, quàm ad unguem, & literaliter etiam fuerit adimpletum. *Propter hoc* (inquit Isaias Cap. LXV.) *hæc dicit Dominus Deus* ad impios, & Diviti huic similes, *Ecce servi mei comedent, & vos esurietis; ecce servi mei bibent, & vos sitietis; ecce servi mei lætabuntur, & vos confundemini; ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis.*

Cruciabatur tamen præcipuè miseri hujus Divitis lingua, quia linguâ fortè potissimùm Deum offenderat. Sunt namque in

(*a*) *Psalm. VII. v.* 10. | (*b*) *Lucæ XVI. v.* 24. *& seqq.*

in Inferno singulis corporis partibus singulæ etiam pœnæ dispositæ; hic linguâ peccaverat, in linguâ ideo puniebatur; & fortè epulas peccata linguæ fuerant consecuta. Comessationum & ebrietatum fructus, o fratres, sunt maledicentiæ, blasphemiæ, murmurationes, & alia hujusmodi, quæ non modò hominum, sed Civitatum & Regionum pernicies sunt & infelicitates. *Terribilis est in Civitate sua* (Dominus ait Ecclesiastici IX.) *homo linguosus, & temerarius in verbo suo odibilis erit*. *Ecce èt naves*, inquit Jacobus (*a*), *cùm magnæ sint, & a ventis validis minentur, circumferuntur* tamen *a modico gubernaculo, ubi impetus dirigentis voluerit. Ita èt lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat. Ecce quantus ignis quàm magnam sylvam incendit! Et lingua ignis est, universitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata a Gehenna: omnis enim natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & ceterorum domantur; & domita sunt a natura humana; linguam autem nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena veneno mortifero*. Et verè magna sunt linguæ peccata; graviter ideo quoque in Inferni ignibus punienda. Quis enim exprimat hominum ingratitudinem, qua præcipuo Dei munere abutuntur, qua nobilissimum a Deo hominibus membrum concessum, cujus usu ab irrationabilibus animalibus differunt, in eumdem ipsum Dominum retorquent: gravissimis ideo pœnis plectendi; sicut èt Dives hic, cujus lingua ardebat in flammis, nec aquæ guttam obtinere valebat, quia extra tempus eam postulabat? Ne, quæso filii, tempus vobis concessum, in vacuum transire permittatis; sed *facite fructus dignos pœnitentiæ* (*b*), & *dum tempus habetis operamini bonum* (*c*), quod nostræ erit visitationis fructus uberrimus. *Ne dixeritis* (ùt admonet Sapiens Ecclesiastici V.) *Peccavimus, & quid nobis accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. De propitiato peccato nolite esse sine metu, neque adjiciatis peccatum super peccatum; & ne dicatis: Miseratio Domini magna est; multitudinis peccatorum nostrorum miserebitur; Misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius. Non tardetis converti ad Dominum, & ne differatis de die in diem; subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet vos*. Quot ob id vobis a Domino Deo concessa sunt media? Quid sunt tot Sacramenta Sanctissima, nisi comparandæ salutis instrumenta efficacissima; inter ea verò illud, quod

(*a*) *Cap. III. v. 4. & seqq.*
(*b*) *Lucæ III. v. 8.*
(*c*) *Ad Galatas VI. v. 10.*

quod post Sacra solemnia iis, qui id non receperint, conferendum est Chrismatis Sacramentum? Sed non satis est, filii, Dei gratiam percipere, nisi eam bonis etiam operibus conservare studeatis: ac in primis quicumque hodie confirmabuntur, & ceteri omnes firmissimè proponant, in posterum millies potiùs mori, quàm vèl semel Deum offendere; totos dies festos celebrare; eos omnino Divino cultui impendere; nihil in iis exercere servile; animæ solùm spiritualia lucra sectari: ne totum Mundum lucrati, animæ detrimentum faciamus, & cum miserrimo hoc Divite in perpetuo Gehennæ incendio manere cogamur.

Ipsius etiam videte pœnæ ac doloris, sibi a propinquis provenientis, atrocitatem, cùm dixit: *Rogo ergo te, Pater, ut mittas Lazarum in domum patris mei; habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne èt ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: Habent Moysen, & Prophetas; audiant illos. At ille dixit: Non, Pater Abraham; sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moysen, & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent* (a). Non ex caritate hæc illum, aut in fratres amore dixisse credideritis, filii, cùm in Inferno nullus caritati aut amori sit reliquus locus; sed dixit tantùm, ne crudeliùs torqueretur, aut tormentorum ei fieret accessio. Sunt quidem inexplicabiles Inferni cruciatus, nec mente potest eorum amplitudo comprehendi; sed quantum miseris patribus pœnarum afferent filii, qui illorum pravis exemplis eò fuerint adducti! Quam putatis o patres reddituros vos esse de filiis vestris rationem, quos ad Doctrinæ Christianæ Scholas perducere negligitis, coram quibus Dei nomen blasphematis, ac quos peccare docetis? Non modò de vestris, sed de ipsorum etiam peccatis debitas pœnas luetis. Sed hæc, patres, effugite; timorem Domini eos edocete, bonis moribus imbuite, Sacramenta sanctissima frequentare instruite; ipsi vos exemplis vestris eorum estote Magistri, ut duplicia in Cœlis præmia consequamini.

Eja ergo, quotquot adestis filii, & divites & pauperes, & patres & filii, adeste obsecro animis hujus sermonis mei scopo; ad vos namque hodierni Evangelii historia dirigitur divites. Divitiarum vestrarum administratores vos, non dominos esse scitote; quæ vobis tantùm sunt necessaria inde sumentes, reliqua in usus pauperum distribuite. Petenti vos pauperi ne aures ve-

 stras

(a) *Lucæ XVI. v. 27. & seqq.*

ſtras obturetis: theſaurizate vobis theſauros in Cœlo immarceſcibiles: divitiis ne abutamini. Conſolamini pauperes, & gaudete, quoniam veſtrî meminit Dominus; in ejus libro veſtra ſcripta ſunt nomina; calamitatibus veſtris brevibus, æterna præparata ſunt præmia. Vos, ſi patienter tuleritis, non jam Abrahæ ſinus, ſed cœleſtis aula excipiet. Patres attendite filiis, tamquam pro ipſis reddituri rationem; ne commiſſa vobis a Domino pignora, ab antiquo ſerpente incuriâ veſtrâ devorari patiamini, ne eorum ſanguinem de manu veſtra repetat Judex. Filii, legem habetis, & Evangelium: quæ in iis vobis ſunt præcepta, ſervate; nec expectetis, ut ex mortuis ullus accedat ad vos. In Fide ſimplices eſtote, orationibus aſſueſcite, vos ipſos interdum, & animas veſtras diſcutite; ne pœnitere velitis, cùm id pro libito vobis facere minimè liceat. Pœnitentiam demum omnes, quamdiu tempus eſt, faciamus, ut *a ventura ira fugiamus* (a); ac mortis adveniente die hilares hinc recedamus, laborum noſtrorum mercedem in Cœlis recepturi, quam nobis largitor bonorum omnium Deus pro infinita ſua pietate concedat, benedictus in ſecula. Amen.



HO-

(a) *Luc. III. v. 7.*

HOMILIA XXXVIII.

AD POPULUM SANCTÆ BIRGITTÆ DIŒCESIS MEDIOLANENSIS (a)

IN EVANGELIUM LUCÆ CAP. XVI. DE EPULONE ET LAZARO

Habita in ipſius Eccleſia Parochiali *Feria II. Dominicæ IV. poſt Pentecoſtem*

ANNO MDLXXXIII. XXVII. JUNII.



TERRIBILE & amabile, horrendum & carum, dilectiſſimæ Animæ, Salvator noſter in Evangelica hiſtoria hodie proponit exemplum; terribile quidem & horrendum mundanis hominibus; amabile verò & carum pauperibus & afflictis, ſed patientibus: Divitis nempe cujuſdam hominis, quem Mundus admirabatur, cui favebant omnes, cui proſperè omnia & ad libitum contingebant, quem felicem ac beatum prædicabant omnes, qui purpurà & byſſo induebatur, qui ſplendidè quotidie epulabatur: alterius verò pauperis & mendici, quem nemo aſpiciebat, quem omnes negligebant, quem infelicem ac miſerum omnes exiſtimabant, qui plagis & ulceribus plenus ad Divitis illius oſtium projectus, fame conſumebatur, cupiens ſaturari de micis, nec eas conſequi valens. Sic ambo aliquandiu vixere; tamdem mors rerum ultima venit, & mutata prorſus ſunt omnia:

(a) Pagus iſte *Sanctæ Birgittæ*, olim celebris, jacet in Ditione Veneta ultra Abduam, in Valle, quæ appellatur *Averaria*, ad Archiepiſcopum Mediolani in ſpiritualibus ſpectans. Inter Parœcias olim enumerata, amplam ornatamque Eccleſiam continet, quam Donatus Calvi deſcribit in ſua Ephemeride Sacro-profana Bergomenſi Tom. II. ad diem VII. Auguſti. Eam poſtmodum Cardinalis Federicus Vicecomes, Mediol. Archiep. Præpoſituræ titulo decoravit.

Qui miser fuerat pauper & infelix, in sinum portatus est Abrahæ; qui dives fuerat, & in jucunditate vitam duxerat, in Inferno sepultus est, in miseriarum & calamitatum omnium lacu. O Animæ Christianæ, si tantam in vobis rerum humanarum affectus vim habent, ut vos ad cœlestia tendere, & ad superna oculos non permittant erigere; studete saltem eos hodie demittere, inferiora hæc contemplari, descendere in terræ viscera. *Ite saltem in dimidio dierum vestrorum ad portas Inferi* (*a*), ut quæ vestris peccatis sint parata supplicia contemplemini; quàm grave sit scelus, pauperes in hac vitâ non agnoscere, consideretis; quàm infelicem exitum habeant hujus Mundi deliciæ ac divitiæ, si iis abutamur, intelligatis; quàm serò pœnitentia post mortem, & quàm periculosè in senectutem differatur, agnoscatis; quàm magnos laborum, infirmitatum, ac paupertatis tolerantia afferat fructus, videatis; alia denique plurima ex demissa hac cogitatione eliciatis, quæ animabus vestris maximè conferant. Quòd si Dives hic Epulo in Inferis constitutus, oculos in cœlum, extra tempus tamen, extulit; cur vos o peccatores adhuc in tempore, pœnitentiæ adhuc spatium habentes, oculos modò sursum ad Lazari, & sectatorum ejus præmia consideranda non levabitis; modò deorsum ad Divitis, & similium supplicia contemplanda, non demittetis? Duos hos hodie vobis, filii, homines propono, quos sibi invicem & vivos, & mortuos conferemus, eorumque comparatione fructus vos percipietis uberrimos.

Studuerat, dilectissimi, Dominus, Lucæ XVI. capite, pluribus ostendere, quisnam esse deberet divitiarum usus, nempe in eleemosynis pauperibus dandis; ac ad beneficentiam in eos fuerat hortatus, cùm dixerat (*b*), multis aliis præmissis: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula;* quò etiam tendebat villici illius parabola, qui de mala fuerat administratione diffamatus (*c*): sed cùm hæc omnia irriderent protervi illi Pharisæi ac subsannarent, (quales utinam multi, proh dolor! hisce etiam temporibus non essent, quibus Dei verba ludibrio sunt) subdidit tandem Salvator noster Dominus Jesus exemplum hoc admodum efficax ad terrendum, & forte ad suadendum in pauperes caritatem, ac ad docendum, non ex paupertate aut divitiis esse homines reputandos, sed ex eorum ultimo fine.

(*a*) *Isaiæ XXXVIII. v. 10.*
(*b*) *Lucæ XVI. v. 9.*
(*c*) *Ibid. v. 1. & seqq.*

fine. Quod quidem exemplum, licèt multi parabolam, ficut èt ceteras Evangelicas, effe velint, ac eo, per rem non factam, quæ fint facienda & futura, doceri; nos tamen faniùs, & cum pluribus fentientes, hiftoriam fuiffe dixerimus, quoad rei factum, nempe ad divitis, & mendici vitam ac mortem, fupplicia & præmia; cur enim peculiare Lazari nomen Dominus addidiffet? Multa quidem in eà narrari non negaverimus, quæ minimè acciderint, fed allegoricè fint, & fpiritualiter capienda; ut quòd Dives in Inferno Abraham viderit, & Lazarum, cùm oculos illic non haberet, & nondum ejus corpus ibidem exifteret, & hujufmodi reliqua; quæ ideo narrantur, ut Dei juftitiam in impiis puniendis, & juftis præmio donandis agnofcamus.

Duos igitur homines extitiffe Dominus afferit, Divitem hunc, Pauperem verò illum atque mendicum. Quo loco admiranda fe offert hominum varietas, quòd divites quidam, alii pauperes fint; nobiles quidam, alii verò ignobiles; quidam in Mundo profperi femper, alii femper afflicti, perfecutionibus agitati, malis omnibus repleti. Neque verò hoc cafu accidere credendum eft; nam Deus, fine cujus permiffu & voluntate nec ex arboribus folia decidunt, nec minima quævis fiunt, fuaviter cuncta difponens & gubernans, nil inconfultò facit aut cafu; fed quofdam quidem vult divites effe, ut divitiis fibi cœlefte comparent Regnum, ut iis, pauperibus fubveniant, ut *thefaurizent* fibi *thefauros in Cælo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt* (*a*): Alios verò pauperes effe permittit, ac continuò vexari, ut per patientiam & longanimitatem, falutem fuam operentur, ac pauperrimo & afflictiffimo fimiles Chrifto, ejufdem Regni participes, ac cohæredes fiant, adeò ut in die extremi Judicii, quicumque fuerint damnati, inexcufabiles reddantur, cùm omnibus acquirendæ falutis viam aperuerit, mediaque concefferit Dominus.

Quàm hinc multi falluntur, qui in paupertatem, perditionis fuæ transferunt culpam, dicentes: Si dives effem, fi abundarem, quàm effem in omnes beneficus, in ornandis Ecclefiis liberalis, in Dei cultu procurando ftudiofus! Sed, fi non multa, quæ poffunt tamen offerant, hæc noverint æquè Deo grata futura, ficuti plurima quæ Dives obtulerit; cùm non quid, fed quo fine detur, Dominus curet. Meminerint, quòd *refpiciens* Jefus *vidit eos, qui mittebant munera fua in gazophylacium, divites. Vidit autem èt quam-*

(*a*) *Matth. VI. v.* 20.

quamdam Viduam pauperculam, mittentem æra minuta duo. Et dixit: Verè dico vobis, quia Vidua hæc pauper plusquam omnes misit; nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei; hæc autem ex eo, quod deest illi, omnem victum suum, quem habuit, misit (*a*). Felicem Viduam, Christi ore laudatam! Felices etiam pauperes, qui paupertati suæ subtrahunt quod Domino dent! Licèt sit modicum, plus tamen est intentione & affectu, quàm divitum multorum; nam sicut difficiliùs puer infirmus quinque pondo, quàm vir robustus decem portaret; sic èt plus fuit pauperculæ Viduæ duo illa obtulisse minuta, quàm opulento diviti magnam auri summam. Sed multò plus obtulit affectu, quia majori caritate obtulit, eamque Deus magis quàm donum aspexit. At adeò pauper est aliquis, ut nec modicum Deo valeat, & membris ejus offerre; nec ob id tamen paupertate ab orando impeditur, a Sanctissimis sumendis Sacramentis, a Christianæ Doctrinæ Scholis frequentandis, a piis misericordiæ spiritualis operibus impendendis, ab infirmitatibus & necessitatibus patienter ferendis, per quæ omnia in eodem, ac dives, est statu, ut nempe æternam salutem consequi possit. Et ecce, quia summa fuit cum utrisque & divite Epulone, & paupere Lazaro benignitas. Sed non correspondit statui suo Dives, abusus est divitiis suis, licèt Mundus eum tunc ipsis minimè abuti existimaret, cùm non defossas aut occlusas teneret, sed prodigè effunderet in ornatu vestium, ac epularum splendore. Fallebatur tamen Mundus, qui ea, quæ Dei sunt, minimè intelligebat; sed in pauperum fuerant sinu sepeliendæ pecuniæ, quas in corporis ornatu ac cibo profundebat. Lazarus e contra paupertate minimè abusus, eam, & languores, ac dolores, & famem libenti animo tulit, humilis ad Divitis ostium jacuit semper, minimè eidem detrahens aut obmurmurans, non diei nativitatis suæ maledicens, non in Deum excandescens, non multa aviditate repletus, sed paucissimis micis contentus; per quæ omnia etiam postea beatus est effectus: Neque enim divitiæ illum damnarunt, aut hunc beavit inopia; sed illarum abusus Divitem detrusit in barathrum; hujus tolerantia Pauperem evexit in Cœlum. Nam sicut navis (*b*) pretiosa dicitur: *Non quæ pretiosis coloribus picta est, nec cui argenteum rostrum est, sed quæ stabilis & firma est, & juncturis aquam excludentibus spissa, ad ferendum incursum maris solida, gubernaculo parens, velox, & ventum non extimescens.* Gla-

(*a*) *Luca XXI. v. 1. & seqq.* | (*b*) *Seneca Epistola LXXVI.*

Gladium bonum dicetis, non cui deauratus est balteus, nec cui vagina gemmis distinguitur; sed cui ad secandum subtilis acies. Regula, non quæ formosa, sed quæ recta sit, quæritur: Sic èt in homine non quot numeret agros, non quantis opibus abundet, non auri quantum possideat, sed qualiter se in his omnibus gerat, Deus attendit; ut neque paupertas sola hominem Deo reddat acceptum, sed fortis ipsius tolerantia. An putatis, filii, pauperes superbos, maledicos, blasphemos, detractores, avidos, Deo gratos existere? Interrogate vos ipsi Deum super hoc, & respondebit vobis: *Tres species odivit anima mea, & aggravor valde animæ illorum: pauperem superbum, divitem mendacem, senem fatuum & insensatum (a).* Sic èt pauperes impuros ac incontinentes Dominus in primis detestatur, utpote qui eum finem, quem sibi, cùm eos pauperes effecit, proposuerat, defraudant: nàm sicut pater optimus & integer cùm filium viderit amore meretricis alicujus deperire, si admonitiones ejus audire neglexerit, meretricem de medio auferens, in exilia longinqua detrudit; talis est etiam abundantia pecuniæ. Curam igitur de nobis gerens verus Pater, & optimus Dominus, volens nos ab hac læsione liberare, aufert a nobis pecunias, quarum amore mens nostra corrumpitur. Lazarum pauperes imitentur, si Lazari præmia consequi cupiunt, qui opibus pauper, pauper etiam erat affectu ac desiderio; & videte quàm pauper. Splendidè epulantem cernebat Divitem, purpurà vestitum intuebatur; numquid ejus aurum, aut cibos exquisitos, aut generosa vina, aut solum etiam panem desiderabat? Minime profectò; sed saturari tantùm cupiebat de micis, quæ de illius mensa cadebant, nec eas consequi poterat. Sed inter eos licèt multi sint opibus pauperes, vereor tamen, aliquos esse affectibus divites, qui ditari quàm citissimè cupiant, qui id viis omnibus etiam injustis quærant: Hinc festis diebus servilia opera exercent; hinc illicitos contractus non reformidant; & hæc omnia, ut paupertatis onus ipsis gravissimum, aliis certè sapientibus jucundissimum, quo citiùs possint, per fas & nefas excutiant, minimè pulcherrima illa Pauli verba (b) perpendentes, quia *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem: Radix enim omnium malorum est cupiditas; quam quidam appetentes, erraverunt a fide, & inseruerunt se doloribus multis.*

Sed

(a) *Ecclesiastici XXV. v. 3. & 4.* | (b) *I. ad Timoth. VI. v. 9. & 10.*

Sed Divitis, quæſo, & Pauperis vitam, ac vitæ exitum aggrediamur, unde utilitates innumeras percipiamus. Homo quidam in primis erat dives, cujus tamen nomen minimè exprimitur: Cùm enim dives eſſet & nobilis, ei aſſurgerent omnes, illum omnes ſuſpicerent; ejus tamen nomen ignorare vult Dominus, aut ſaltem referre dedignatur, nam ab hominum conſiliis differunt penitus divina judicia, & quos Mundus extollit, deprimit Deus. *Abominatio eſt ſuperbo humilitas, ſic èt execratio divitis pauper* (*a*). Audite, filii, Spiritus Sancti verba, & Mundi de divite & paupere, Deique de utroque judicium deſcribentis: *Venatio*, inquit, *leonis onager in eremo; ſic èt paſcua divitum ſunt pauperes. Dives commotus confirmatur ab amicis ſuis; humilis autem cùm ceciderit, expelletur èt a notis. Diviti decepto multi recuperatores; locutus eſt ſuperba, & juſtificaverunt illum. Humilis deceptus eſt, inſuper & arguitur; locutus eſt ſenſatè, & non eſt datus ei locus. Dives locutus eſt, & omnes tacuerunt, & verbum illius uſque ad nubes perducent. Pauper locutus eſt, & dicunt: Quis eſt hic? & ſi offenderit, ſubvertent illum* (*b*). Mundi hæc ſunt vana judicia; ſed ea Dei audite, & cur Divitis nomen minimè expreſſerit, intelligetis: *Memoriam ſuperborum* (inquit Scriptura) *perdidit Deus, & reliquit memoriam humilium ſenſu* (*c*). Dives terrenus erat totus, ideo in terra notum erat nomen ejus, Cœlo erat peregrinus; hinc Chriſtus cœleſtis totus, eum neſciebat, quod èt per Prophetam ſuum ante prædixerat, dicens: *Nec memor ero nominum eorum per labia mea* (*d*).

Sed propiùs adhuc Divitem Mendico, quamdiu ambo vixerunt, conferamus, ut èt poſt mortem inter utrumque, diſcrimen faciliùs percipiamus. De mundo totus erat Dives; de Cœlo Lazarus totus. Dives quidquid eſt in Mundo poſſidebat, Lazarus iis omnibus carebat: *Omne quod eſt in Mundo, concupiſcentia oculorum eſt* (*e*), quod ad cenſus & divitias ſpectat, & ecce quia ille erat dives; aut *ſuperbia vitæ eſt*, & ecce quia induebatur purpurâ & byſſo, ut omnibus præferretur, & eum omnes plurimi facerent, ac omnibus, quibus poſſent, honoribus proſequerentur; aut *eſt concupiſcentia carnis*, & ecce quia epulabatur, quod eſt libidinis fomes; abſque Cerere enim & Baccho friget Venus, & non quidem ſemel, aut bis tantùm, ſed *quotidie*, & *ſplendidè*, hoc eſt cum læti-

(*a*) *Eccleſiaſtici XIII. v. 24.*
(*b*) *Ibidem v. 23. & ſeqq.*
(*c*) *Ibidem X. v. 21.*
(*d*) *Pſalm. XV. v. 4.*
(*e*) *Epiſt. I. Joann. II. v. 16.*

lætitia. Epulæ musicis instrumentis ac cantibus miscebantur, inter amicos convivabatur; ventri denique, veluti Deo, penitus inserviebat. At his omnibus Lazarus omnino carebat; nam neque *oculorum concupiscentia* in ipso fuit, quia mendicus erat; neque *vitæ superbia*, quia non bysso & purpura, sed plagis totus & ulceribus operiebatur; neque *carnis concupiscentia*, quia fame peribat, & de micis, quæ de mensa cadebant, saturari cupiens eas tamen minimè poterat consequi. Ille juxta Mundi opinionem summè felix erat, hic summè infelix; summam enim Mundus felicitatem in divitiis, sanitate, ac splendore putat consistere; summam verò infelicitatem in paupertate, infirmitatibus, atque languoribus. Sed felicitatem illam innumera vitia, hanc maximæ comitantur virtutes. Ille namque Dei muneribus ac divitiis abutebatur, in primis ad corporis cultum tantùm, & voluptatum omnium perceptionem; carnem suam putridam & fœtidam solùm curabat, animam verò penitus negligebat: durus erat ac immisericors in maximè egentem, quem ante oculos habebat quotidie, cùm omnibus tamen ipse ita lautè abundaret, & prosperaretur. Canes potius enutrire volebat, quàm pauperem; imo canibus ipsis longè erat crudelior, qui ulcera saltem ejus lingebant, cùm aliud ei præstare non possent. At verò e converso Lazarus pauper, dives tamen erat virtutibus, dives patientià, quàm mirum in modum exercuit, & famem tolerans, & morbi gravitatem, & deliciarum Divitis aspectum, quas cùm continuò videret, minimè tamen indignabatur, nec ejus duritiem ac immisericordiam calumniabatur: Dives erat, quia maledictis, quia imprecationibus, blasphemiis, importunis petitionibus carebat, sed miseriam suam tantùm ac calamitatem ostentabat: Dives demum, quia de ejus tantùm loquentes vità, non est quòd cœlestes, quas post mortem obtinuit, adhuc attingamus, quoniam minimè avidus erat, minimè cupidus, quia verè copiosus. Quid est enim aliud copia, quàm cupiditatum omnium inopia? Nihil nisi parum desiderabat, quod facilè ei fuerat donandum, nisi grandis obstitisset Divitis impietas, negans parvas micas panis. Audistis jam, filii, breviter utriusque vitam, quibusdam veluti coloribus depictam; sed vitæ exitum jam obsecro, diligentiùs attendamus.

Mortui ambo sunt, nec a morte Divitem divitiæ liberarunt, nec vestium nobilitas, nec ciborum splendor. Pauperi certè morte nil gratius contingere potuit. Itaque mortuus est Dives.

ves. Ubi ergo ſunt, quæ perpetua quodammodo Mundus pollicetur? ubi gaudia, quæ ſemper proponit? Heu quàm magna ſub dulcibus, quæ nobis propinat, latet amaritudo! Videbam, fratres, Divitem veluti Deum a ceteris habitum, auro fulgentem & gemmis, ſplendidè convivantem; & quis umquam hunc moriturum exiſtimaſſet? O miſerum Divitem! Regis, in vitæ comœdià ſeu potius tragœdià, geſſit perſonam; ſed ubi ultimus ei eſt actus impoſitus, diadema depoſuit, regias veſtes exuit, pauper remanſit & vilis, vulgi fabula & Mundi, vermibus cibus, Dæmonibus eſca, Inferni deſtinatus incendio: *Cùm enim morietur homo, hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes. Exhonoravit Dominus conventus malorum, & deſtruxit eos uſque in finem.* Quia *radices gentium ſuperbarum areſecit Deus; Terras gentium evertit Dominus, & perdidit eas uſque ad fundamentum. Areſecit ex ipſis, & diſperdidit eos, & ceſſare fecit memoriam eorum a terra* (*a*). Quales ergo amicæ ſunt divitiæ; qualis Mundi familiaritas, qui in neceſſitatibus ſibi devotos deſerunt? Amici ſunt Mundus, & divitiæ, filii, ſecundùm tempus ſuum, ſed non permanebunt in die tribulationis: *Amici ſunt ſocii menſæ, qui non permanebunt in die neceſſitatis* (*b*). Mortuus eſt etiam Pauper, ſed *pretioſa in conſpectu Domini* fuit illius *mors* (*c*); nam cùm mors, animæ ſit tranſitus a præſenti ad æternam vitam, Divitis quidem Anima a felicitatibus tranſivit ad pœnas; Lazari verò ab infirmitatibus ad gaudia. Sed ėt in ipſo met tranſitu, Lazaro fuit longè pauperior Dives; Lazarus enim bona ſecum incommutabilia illuc aſportavit, pretium ſecum cœleſtis attulit Regni: nudus verò, & omnibus bonis ſpoliatus hinc Dives receſſit: *Ne* enim *timueritis*, fratres, *cùm dives factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus ejus. Quoniam cùm interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria ejus. Quia anima ejus*, ſicut Divitis ejus, *in vità ipſius benedicetur*, ſed moriens *in æternum non videbit lumen* (*d*). Sed quale fuit in morte Lazari gaudium, quale Divitis ſupplicium; cùm inſpicere Dominus cœpit utriuſque mores, & vitam inveſtigare; cùm libri utriuſque producti ſunt! Quàm tutus ac hilaris obviam Domino Pauper proceſſit; quàm tremens & dolens ad Dei tribunal attractus eſt Dives? Cur hæc, quæſo? *Audite hæc omnes gentes; auribus percipite omnes, qui habitatis orbem, quique terrigenæ, & filii hominum, ſimul in unum*

(*a*) *Eccleſiaſtici X. v.* 13. *& ſeqq.*
(*b*) *Ibidem VI. v.* 10.
(*c*) *Pſalm. CXV. v.* 15.
(*d*) *Pſalm. XLVIII. v.* 17. *& ſeqq.*

unum dives & pauper (*a*): ſecurus proceſſit Pauper, quia caritate repletus, quæ *forâs mittit timorem* (*b*); timuit *in die mala* impius quia *iniquitas calcanei* ejus *circumdedit* eum (*c*): Timebunt etiam in morte, filii, *quicumque confidunt in virtute, & viribus ſuis, & in multitudine divitiarum ſuarum gloriantur* (*d*). Sed hæc de corporis morte. Verùm quid poſt ipſam utriſque acciderit, audite.

Joſeph cùm filios adduxiſſet ad patrem ſuum Jacob benedicendos, poſuit Ephraim ad ſiniſtram Jacob, Manaſſen autem ad dexteram. Jacob verò in crucem brachiis compoſitis, *extendens manum dexteram, poſuit ſuper caput Ephraim minoris fratris; ſiniſtram autem ſuper caput Manaſſe, qui major natu erat, commutans manus* (*e*). Duos habet filios Mundus; majores ſunt Divites, hos magnifacit, hos admiratur, his defert; minores ſunt Pauperes, hos non eſt qui aſpiciat: ad dexteram illos, hos ad ſiniſtram collocat, quia proſpera illis cuncta ſuccedunt, iſtis adverſa. Sed adveniente morte, magnus Patriarcha Deus, pauperes tolerantes, inter oves a dextris collocat; divites verò inſolentes, inter hædos a ſiniſtris. Lazarum Angeli plures in Abrahæ ſinum portarunt, in quietis & deliciarum locum, ac voluptatum ſolidarum, qui fortè inſepultus jacuerat; quem Dives, quia non paverat, occiderat, quem omnes deſeruerant. Homo fuerat laborans quamdiu vixerat, marcidus, egens nutritione, ornatus virtute, & abundans paupertate, & *oculus Dei reſpexit illum in bono* (*f*); *Quia oculi Domini ſuper juſtos*, ut miſereantur, & retribuant; *vultus autem Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum* (*g*). Erexit Lazarum ab humilitate ipſius, & exaltavit caput ejus, & mirati ſunt in illo multi, & honoraverunt Deum. Quis enim noſtrûm jam Lazari virtutes non admiratur? quis ad eas non aſpirat? quis ejus non malit paupertatem, languores, & famem, quàm Divitis opes, purpureas veſtes, & opiparas dapes? Glorificamus te nunc Cœli, & terræ Rex Deus, ac benedicimus tibi, ſummam juſtitiam tuam veneramur & colimus; juſtiſſimum te Judicem agnoſcimus, qui nec ſine præmiis bona, nec ſine ſuppliciis peccata eſſe permittis; qui, Lazari exemplo, nos omnes in firmiſſimam ſpem adduxiſti, & laboribus finem, & vigiliis terminum eſſe ſtatuendum. Dives autem ſepultus eſt in Inferno.

(*a*) *Pſalm. XLVIII. v.* 2. & 3.
(*b*) *I. Joannis IV. v.* 18.
(*c*) *Pſalm XLVIII. v.* 6.
(*d*) *Ibidem v.* 7.
(*e*) *Geneſ. XLVIII. v.* 14.
(*f*) *Eccleſiaſtici XI. v.* 13.
(*g*) *Pſalm. XXXIII. v.* 16. & 17.

no. O horrenda tragœdia! *Extrema gaudii luctus occupavit, & risus dolore fuit mixtus* (*a*). O qualis mutatio! Ecce quia venerunt væ, & væ, & maledictiones, quas dederat divitibus Dominus, dicens: *Væ vobis divitibus, væ vobis, qui ridetis* (*b*). Repleti sunt pauperes promissis sibi a Domino benedictionibus: *Beati* namque *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum. Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*c*). Adimpleta sunt verba, quæ per Isaiam ad impios dixerat Dominus: *Ecce servi mei comedent, & vos esurietis. Ecce servi mei bibent, & vos sitietis. Ecce servi mei lætabuntur, & vos confundemini. Ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis* (*d*). Lazarus in Abrahæ sinum, qui pater fuit Hebræi populi, & dives ac opulentus, fuit ab Angelis depositus. Quem homines despexerunt, Angeli honorarunt. Quem Dives aspicere noluit, plures Angeli portant. Qui ad illius ostium jacebat, in sinu jam Abrahæ requiescit: Abrahæ enim divitiæ & opes, divitias non in se malas esse, sed earum damnandum abusum ostendunt; nam, etsi dives, hospitalis tamen fuit, quem si Epulo imitatus fuisset, in ejus ipse etiam sinum ascendisset. Sed auri & argenti pondere Dives oppressus, ac cibis distentus & pinguis, in Inferni centrum præceps ruit; unde èt in Inferno, hoc est in ejus centro, sepultus dicitur: Lazarus verò nudus & agilis, nullo pondere pressus, macilentus & tenuis evolavit in Cœlum. O infelicissimum Divitem, quàm momentanea fuerunt, quæ ipsum delectarunt; æternum verò, quod cruciat! Illic sine fine inter Dæmones ardebit, Dei perpetuò visione carebit, in cujus intuitu est omnis felicitas, ac beatitudo. Igne in perpetuum cruciabitur sævissimo, cujus tanta vis erit, ut èt animas torqueat; & numquam consumetur, sed quamdiu Deus regnabit, tamdiu ipse perdurabit.

Nec immeritò, filii, licèt brevia & momentanea quodammodò sint, quæ committimus, æterno tamen igne puniuntur; nam breviter impii peccant, quia breviter vivunt; at si in æternum viverent, numquam peccare desinerent. Sed si post mille annorum millia, aliqua spes esset veniæ, quanta miseris esset consolatio! At post infinita millium annorum millia, numquam finis erit tormentis, numquam terminus ullus. Quàm eos conscientiæ vermis torquebit, cùm se

(*a*) *Proverb. XIV. v.* 13.
(*b*) *Lucæ VI. v.* 24. & 25.
(*c*) *Matth. V. v.* 3. & 5.
(*d*) *Isai. LXV. v.* 13. & *seq.*

se ipsos maledicentes, sic intra se loquuntur: Nos infelices, qui tam magno pretio tàm multa nobis supplicia comparavimus; qui huc ultro & sponte prolapsi sumus; qui cum Deo in perpetuum regnare potuissemus, & hic semper elegimus torqueri! Potuissemus minimos ferre labores, illatas nobis injurias remittere, dies festos sanctificare, Ecclesiis frequentes esse, Sanctissima Sacramenta crebrò suscipere; & neglximus: parvo injusto lucello, denario uno Cœlum vendidimus, Esau scelesto similes, qui *lentis edulio primogenita vendidit, & abiit parvipendens, quòd primogenita vendidisset* (*a*). Ignorabamus nos, quantum esset, quod tàm parvi, dum viveremus, æstimabamus; ideo èt nos parvipendebamus. Sed ecce quàm magnum nobis accidit malum: pauperes & humiles, ac Dei sermones timentes *habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii: Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore; ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos fors illorum est. Ergo erravimus a viâ veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra, & tamquam nuncius percurrens; & tamquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cujus, cùm præterierit, non est vestigium invenire; aut tamquam avis, quæ transvolat in aëre, cujus nullum invenitur argumentum itineris, sed tantùm sonitus alarum verberans levem ventum, & scindens per vim itineris aërem; commotis alis transvolavit, & post hoc nullum signum invenitur itineris illius; aut tamquam sagitta emissa in locum destinatum, divisus aër continuò in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius; sic èt nos nati continuò desivimus esse, & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere; in malignitate autem nostra consumpti sumus. Talia dicent in Inferno hi, qui peccaverint* (*b*); *intra se* inutilem *pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes* (*c*).

Sed dum, filii, hodiernam historiam diligenter perlego, inter alias sanè damnationis illius Divitis causas, hanc invenio; quòd Lazarum mendicum cùm quotidie videret, ejus tamen numquam est misertus; & meritò immisericors, nullum sibi misericordiæ locum invênit, unde èt Abraham dicentem audivit: *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem*

(*a*) *Genes. XXV. v.* 34.
(*b*) *Sapientiæ V. v.* 3. *& seqq.*
(*c*) *Ibidem v.* 3.

autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Et in his omnibus inter nos, & vos chaos magnum firmatum est, ut, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare (*a*). Si ergo Dives ob non præstitam Pauperi misericordiam (& jure, quia quem non paverat, occiderat) ardet in Inferno: quid de iis erit, qui non modò eam non præstant, sed mala in proximum etiam cogitant, & meditantur, mortem iis deprecantur? Si non diligere ita punitur, quomodo punietur odisse, caritatis vincula nescisse, Dei imaginem & similitudinem molestiâ affecisse? Offenditis vos sæpissimè Deum, & vobis oratis *ne irascatur*; & illatas vos injurias remittere recusatis? *Homo homini reservat iram, & de peccatis suis deprecatur* (*b*)? Sanè, filii, hæc in proximum ira displicet Deo maximè, quia nullum vitium sic Deum contemnit, ut ira, qua se contra Deum erigit apertè; imo iratus homo, Dei videtur auferre dominium in hominem, in ejusque se jurisdictionem intrudere, ac se se Deum facere, dum vindictam usurpat sibi, quam sibi Deus retinuit, dicens: *Mihi vindicta; ego retribuam* (*c*). Et alibi: *Mea est ultio* (*d*). Unde in Vitis Patrum, cùm Religiosus quidam vir illatam sibi ab altero injuriam vellet ulcisci, idque Sancto cuidam Abbati accurrens revelasset, in hunc modum vir ille Sanctissimus orare cœpit: Deus, jam non est nobis necessarium, ut pro nobis solicitus sis; quia nos ipsi, ut frater iste dicit, & possumus, & volumus nos vindicare. Quòd si quælibet furta tam graviter vindicat Dominus, hoc, quod ei iratus homo facit, dum ejus vi surripit dominium, inultum remanebit? Sed cui magis odia & iracundiæ vestræ nocent, quàm vobis ipsis? Et primò quidem corporibus vestris, nam *zelus, & iracundia* (inquit Ecclesiasticus,) *minuunt dies* (*e*). Secundò, etiam agris & possessionibus, unde in Scriptura Sacra dicitur: *Objurgatio, & injuriæ annullabunt substantiam* (*f*); hinc enim lites & jurgia exoriuntur, hinc armorum abusus, hinc vulnera, hinc sanguinis effusiones, hinc mortes, hinc Fiscus omnia rapit, & cum vita quandoque substantias etiam omnes amittitis; quo fit, ut odia vestra posteris, filiisque vestris plurimùm obsint, quos ideo mendicos relinquitis; filias impudicas & meretrices etiam quandoque efficiant, cùm pecuniæ, quæ iis pro dote fuerant numerandæ, aut sicariis hominibus distribuun-

(*a*) *Lucæ XVI. v. 25. & seq.*
(*b*) *Ecclesiastici XXVIII. v. 3. & 4.*
(*c*) *Ad Roman. XII. v. 19.*
(*d*) *Deuter. XXXII. v. 35.*
(*e*) *Ecclesiastici XXX. v. 26.*
(*f*) *Ibidem XXI. v. 5.*

buuntur, aut occupantur a Fiſco. Iracundi ſibi magis nocent, quàm hoſtes; nemo enim, ùt Sanctiſſimus docuit Epiſcopus Joannes Chriſoſtomus, læditur, niſi a ſe met ipſo; & cui ſi hoſtes terram aut honorem abſtulerint, ipſe demum ſibi aufert Cœlum. Sed quid de hoſtibus dixi? cùm non majores fortè habeat iracundus homo amicos, quàm quos putat inimicos? At intulit tibi, o iracunde, quiſpiam injuriam, verbo te laceſſivit? Mentis oculos aperi cæce, & vide, quantum aurum tibi & argentum, ac lapides pretioſos projecit, unde iis te redimas, & coronam tibi fabrices æternam. Cur putatis ergo, filii, Dominum præcepiſſe: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui vos oderunt, benedicite maledicentibus vobis* (*a*); niſi quia hi nobis benefaciunt, & ſuper caput noſtrum coronas nobis fabricant immarceſcibiles? Fugite, filii, furores hos, quos ſummo noſtro cum dolore inter vos vigere, multorum ad nos ſermonibus defertur; quia *omnis, qui odit fratrem ſuum, homicida eſt* (*b*). Cavete, ne dum orationem Dominicam profertis, vobis ipſi maledicatis; dicendo ſcilicet Deo: *dimitte nobis debita noſtra, ſicut èt nos dimittimus debitoribus noſtris* (*c*); nam ſi non dimittitis injuriam, quæ vobis facta eſt, non orationem pro vobis facitis, ſed maledictionem ſuper vos inducitis, cùm dicitis: *ſicut èt nos dimittimus; in qua* namque *menſura menſi fueritis, remetietur vobis* (*d*), & *niſi dimiſeritis*, vobis *non dimittetur* (*e*); unde de vobis illud Eccleſiaſtici dici poteſt: *Unus orans, & unus maledicens: cujus vocem exaudiet Dominus* (*f*)? Neque tamen eos peccare dixerimus, Dominicam orationem proferentes; nam ad remittendas ſaltem injurias diſponi petunt, unde nec inutiliter penitus orant. O graviſſimum ſcelus! Et multi ne parcant, in Paſchate non communicant; aut ſi communicant, *judicium ſibi manducant, & bibunt* (*g*). Pacem cum proximo ſuo non habentes, cum ipſo etiam Deo bellum gerunt, in cujus manu eſt vita & mors, qui eos in gehennæ profundum demergere poteſt ictu oculi. Non ſic, filii, non ſic; ſed perpendite ipſi, quoties & quàm graviter Deum læſiſtis, & tamen ab eo remiſſionem obtinuiſtis. Adhuc èt hodie vobis eſt condonare paratus; cur ergo etiam vos fratribus veſtris, ejuſdem, cujus vos, Dei filiis, ad eamdem hæreditatem creatis, minima in vos commiſſa

(*a*) *Lucæ VI. v. 27. & ſeq.*
(*b*) *Epiſt. I. Joann. III. v. 15.*
(*c*) *Matth. VI. v. 12.*
(*d*) *Ibid. VII. v. 2.*
(*e*) *Ibid. VI. v. 15.*
(*f*) *Eccleſiaſtici XXXIV. v. 29.*
(*g*) *I. ad Corinth. XI. v. 29.*

missa non condonabitis? considerantes, quòd, si tanto supplicio Divitis immisericordiam & non dilectionem Deus punivit, multò sit graviùs cum illis acturus, qui etiam malum proximis facere addiderint.

Animadvertebam etiam in misero hoc Divite, miram quamdam ex prosperitate, rerum omnium incuriam profectam, ut ėt quæ maximi erant momenti, nihili faceret; nec ipsum Pauperem, quem præ oculis semper habebat, videret. Hic est Mundi felicitatum, & earum etiam cupiditatis effectus præcipuus. Quot, quia nimis appetunt ditari, ac opes comparare student, cetera omnia parvipendunt & negligunt, illis solis intenti? Venimus ad vos hodie nos, quibus animarum vestrarum cura commissa est, ut Ecclesias vestras materiales, spirituales etiam, hoc est Spiritus Sancti templa, quæ estis vos, invisamus, reformemus, ac earum subveniamus necessitatibus. Tam magnos vobis attulimus thesauros, nempe Divini verbi prædicationem, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, communicantibus plenariam criminum omnium Indulgentiam, ita Sanctissimo Domino nostro Domino Gregorio Papa XIII. concedente. Attulimus vobis Chrisma Sanctissimum, quibus fortes efficiamini, ut resistere possitis omnibus Diaboli incursibus, & ejus conatus eludere. Quæ si singula tantùm attulissemus, longum etiam ad ea suscipienda vobis fuisset iter suscipiendum: Et tamen cùm omnia simul attulerimus, quid causæ est, obsecro, cur tam pauci hìc adsitis; nisi quia corpus pluris, quàm animam facitis; quia terram Deo præfertis; quia incurii estis; quia casu vivitis? Hinc vestra hæc in ornanda Ecclesia negligentia, quæ, ùt vos videtis, adeò est inculta & deserta, cùm tamen jam toties ad id fueritis a nobis excitati; hinc propriis tantùm commodis incumbitis, de Dei autem domo nihil estis soliciti. Hæc, filii, Dei ac divinarum rerum oblivio, quot erit malorum, quot calamitatum initium? nam inde fiet, ut Deum ipsum despiciatis, Ministros ejus Sacerdotes contemnatis; pecudum denique more vivatis, quarum cum corpore animæ intereunt. O Christiani miseri (si tamen re, & non solo nomine Christiani estis) ostendite mihi Fidem ex operibus vestris. Creditis-ne, quòd animam habeatis mortis expertem, in perpetuum aut regnaturam cum Deo, aut cum Dæmonibus puniendam? Creditis-ne, quòd morituri omnes estis, ac rationem exactissimam Deo reddituri? Si hæc creditis, cur

cur factis vos credere non ostenditis? cur injurias non dimittitis? cur fratres non diligitis? cur de salute vestra, ac si ad vos nihil spectaret, soliciti non estis? cur Dei domum non exornatis? cur ejus Ecclesiam non amplificatis? cur Christo, qui se totum vobis donavit, aliquid non rependitis? cur ei, quam debetis, reverentiam non exhibetis? cujus cultui dictæ res omnes, tot ab Ecclesia Sancta benedictionibus, tot sacris unctionibus, tot thurificationibus præparantur, prout in mox per nos facienda æris Campani benedictione videbitis: ut quanti spiritualia sint facienda intelligatis, ut qua religione in Ecclesiis sit consistendum discatis, ut Dei tandem voces audiatis. Quoties vos Dominus vocat, & audire renuitis? Quid Campana, nisi Dei vox est, quæ vos ad Sanctissima Sacrificia, ad Vesperarum Officia, ad divini Verbi auditum, ad Doctrinæ Christianæ Scholas invitat; per quam tot vobis beneficia conferuntur; Dæmones a vobis fugantur; aëreæ pelluntur tempestates; ac alia vobis plurima, Sancta Mater Ecclesia orationibus suis a Domino postulat concedi? Cavete fratres, ne si tot vocibus surdi, tot beneficiis ingrati extiteritis, subtrahat a vobis dona sua Dominus Deus, & infinitum liberalitatis ejus fontem exsiccetis. Moveant vos Divitis, & Pauperis hujus exempla; ut imitemini eorum virtutes, & vitia fugiatis; quò præmia consequamini, & supplicia vitetis. Faxit Deus Optimus Maximus, ut divinæ semper justitiæ memores, ejus numquam misericordiâ abutamur, sed quamdiu nobis permittitur, palatia nobis fabricemus in Cœlis; ubi cum paupere Lazaro sine fine vivamus, Deum semper collaudantes, cui sit honor & gloria per infinita secula seculorum. Amen.



HOMILIA XXXIX.

AD

POPULUM CALOLCII

DIŒCESIS MEDIOLANENSIS (a)

Habita in Vigilia SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli

Feria III. Dominicæ IV. poſt Pentecoſtem

ANNO MDLXXXIII. XXVIII. JUNII.



INVITAT nos hodie, dilectiſſimi filii, Sancta Mater Eccleſia ad celebrandam glorioſiſſimorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Vigiliam, & ob id Evangelium proponit, quo, cùm Dominus noſter hominum de ſe ipſo opinionem interrogaſſet, quidnam Apoſtoli ſentirent, quæſivit. Cui cùm Petrus reſpondiſſet, tot & tam inſignes a Domino promiſſiones accepit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam* (*b*). Certè hæc ſola meditatio, quòd tantam Deus hominibus auctoritatem ac poteſtatem reliquerit, ſolvendi atque ligandi, peccata remittendi, Cœlum claudendi & aperiendi, diligentiſſimos deberet homines reddere atque promptiſſimos, ad fructus hinc eliciendos copioſiſſimos, ad Sanctiſſima crebrò Sacramenta ſumenda. *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto* (*c*). Qualis, & quanta iſthæc Dei benedictio reputanda eſt, quòd talem hominibus nobis ſimilibus auctoritatem reliquerit! Venimus nos

(*a*) Jacet Calolcium in Valle Sancti Martini, quæ nomen accepit ab Eccleſia Sancto Martino dicata ejuſdem Pagi. Parœcia eſt ſub Plebe Olginati. De ea agit Donatus Calvi in Ephemeride Sacro-profana Bergomenſi Italicè ſcripta, ſub die xxix. Septembris.

(*b*) *Matth. XVI. v.* 18.

(*c*) *Ad Epheſ. I. v.* 3.

nos ad Ecclesiæ hujus visitationem; tam magna & præstantia vobis attulimus Sacramenta. Nihil hoc aliud fuit, quàm hujusmodi concessam Apostolis exercere potestatem. Iis etiam Dominus Evangelii prædicationem, ac voluntatis suæ expositionem mandavit. Accessimus nos quoque, eam vobis aperituri, ac spiritualia vobis monita & documenta relicturi. *Pro Christo* apud vos *legatione fungimur* (*a*); Sanctæ Matris Ecclesiæ, cujus vos omnes filii estis, Ministri, huc accessimus, quam qui non audit, Deum non audit, & *sicut Ethnicus*, *ac Publicanus* (*b*) habendus est. Ex multis, quæ in hujusmodi Ecclesiarum visitationibus efficere tenentur Animarum Pastores, unum, neque id quidem minimum, est divini verbi prædicatio; populorum verò munus, ejusdem verbi auditus ac susceptio, non uti ab hominibus dicti, sed, uti pro rei veritate est, a Deo. Hoc igitur, præ ceteris, vobis officium præstituri, operæ pretium fore existimamus, si, diei opportunitate adducti, de Vigiliis ipsis tum temporalibus ac corporeis, tum etiam spiritualibus nonnulla breviter dicamus, quibus vos & rectè Vigilias agere, & congruè celebrare Festa discatis.

Cetera desunt.



(*a*) *II. ad Corinth. V. v.* 20. | (*b*) *Matth. XVIII. v.* 17.

HOMILIA XL.

DE SANCTIS PETRO ET PAULO APOSTOLIS

Habita in Ecclesia Parochiali Varcuragi (a) Diœcesis Mediolanensis

Feria IV. Dominicæ IV. post Pentecostem

ANNO MDLXXXIII. XXIX. JUNII.



MAGNA est, dilectissimi filii, in universa Ecclesia hodierna solemnitas, qua non modò Sancti alicujus, sed duorum, nec simplicis Sancti, sed Apostolorum, nec Apostolorum solùm, sed eorum, qui Principes fuerunt Apostolorum, colimus Festum natalis diei; atque Martyrii, quo Mundo morientes Cœlo sunt nati, memoriam agimus. Hi namque Sanctæ Ecclesiæ fundamenta & columnæ, hi Fidelium patres, hi gentium Doctores, ac præcipui Christi Domini extitere discipuli: & quemadmodum duplex hodiernum est Festum, duplici etiam esset ab omnibus devotione peragendum. Verùm vos amatissimi in Domino, quibus ad geminam solemnitatem, Pastoris animarum vestrarum & Episcopi vestri jungitur visitatio, videte, num etiam triplicem vos hodie non deceat habere religionem. Munera vobis quatuor deferimus, quorum quodlibet vel e longinquo vos omnes huc compellere debuisset. Primò quidem munerum omnium Datorem vobis in cibum hodie proponimus, Sacratissimam nempe

(a) Varcuragum, sub Plebe Olginati, Parœcia est in Valle S. Martini, agri Bergomensis, cum ampla Ecclesia SS. Martyribus Protasio & Gervasio dicata, quam describit Donatus Calvi ad diem x. Novembris.

pe Synaxim. Quantum hoc sit, temporis angustiæ me dicere non permittunt; sed vos ipsi cogitate, quid non sit vobis hodie petentibus concessurus, qui se ipsum vobis exhibet manducandum? Adferimus secundò omnibus iis, qui de manibus nostris Angelicum panem sumpserint, plenariam Indulgentiam; sic Sanctissimo Domino nostro Domino Gregorio XIII. Romano Pontifice pro sua in vos dilectione concedente. Tertio loco Chrismatis Sacramento quicumque hactenus confirmati non sunt, post sacra solemnia inungentur a nobis. Quartò demum, panem vobis divini verbi rumpemus, & utillima quædam, prout eloqui Spiritus dederit, monita proponemus. Dixeram quidem triplicatam a vobis hodie religionem requiri; sed munerum numerum atque præstantiam fortè non animadverteram, quorum singula totos requirunt homines. Toti igitur toties hodie Deo deditì; procul hinc mundana omnia pellite, curas seculi omnes abigite, vires & animum ad Dei solius obsequium prorsus intendite. Ac in summæ hujus pietatis comprobationem, quæ breviter ex hodierno, quod audistis, Evangelio de hujus causâ visitationis, nec non èt de iis, quæ gloriosos Apostolorum Principes ad tantum Dei amorem impulerunt, ut pro eo hodie vitam tradiderint, quæque nos itidem deberent eorumdem in Dei amore imitatores efficere, dicere aggredior, vos diligenter attendite.

Cùm Salvator noster Dominus Jesus a mortuis surrexisset, ac Cœlos jam esset conscensurus, & Ecclesiam suam Sanctam, quæ sumus nos, mirè dilexisset; licèt se ei semper astiturum pollicitus fuisset, Sanctum etiam Spiritum Paraclitum, quo invisibili capite regeretur, & Magistro instrueretur, missurus esset; in majoris tamen adhuc amoris indicium, visibile ei caput relinquere cupiens, cui vices suas in terris committeret, ac divinam suam traderet potestatem, Simonem Petrum Apostolorum Principem, sibi Vicarium elegerat. Verùm cùm, sicuti qui alicui dominium aliquod, aut Oppidi sive Civitatis est administrationem relicturus, de ejus primùm ad id onus ferendum sufficientia & aptitudine diligenter inquirit; sic Deus & Dominus noster, non quòd omnia ei nota non essent, qui *corda scrutatur, & renes* (a), sed quò suum magis patefaceret amorem, Petrum hodie ad tam sublimem dignitatis apicem evehendum, trino subjecit examini, & triplici interrogationi, quæ tamen tres omnes unius tantùm vim habue-

(a) *Psalm. VII. v. 10.*

habuerunt, earumque unicus hic & folus fuit fenfus: *Simon Joannis diligis me plus his* (*a*)? cui ter (fed tertiò non fine aliquo dolore) Petro refpondente: *tu fcis, Domine, quia amo te*; fingulis etiam ejus refponfionibus Chriftus fubjunxit: *pafce agnos meos, pafce agnos meos, pafce oves meas*, & fic eum fibi inftituit Vicarium, cum ea poteftatis plenitudine, de qua in hefterno Evangelio ei prædixerat: *Tu es Petrus, & fuper hanc petram ædificabo Ecclefiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam; & tibi dabo claves Regni Cœlorum. Et quodcumque ligaveris fuper terram, erit ligatum èt in Cœlis; & quodcumque folveris fuper terram, erit folutum èt in Cœlis* (*b*). Poterat quidem Dominus Petrum adeò fublimandum doctrinæ, & aliarum qualitatum examini fubjicere; fed gregis curam accepturum, de amore tantùm interrogat, bis & tertiò an ipfum amet perquirit. Quis id fine myfterio effe, audeat affirmare? Si quis veftrùm e domo propria, ac patriâ fede difceffurus peregrè proficifcens, cariora pignora fua & filios domi cogatur relinquere, nonne omne ftudium adhibebit, ut intrinfeco alicui amico illa commendet? Annon quos fibi familiaritate, atque amicitiæ vinculis obftrictos effe meminerit, recogitabit, atque fæpius animo revolvens perquiret, quocum major ei intercedat neceffitudo, ut ei animæ fuæ partem, quam domi dimittit, commendatam habeat? Diligebat amore infinito Ecclefiam fuam Dominus nofter Jefus Chriftus, & meritò, quam tanto Sanguinis fui pretio redemerat; defcenderat e fummo Cœlorum folio in vallem lacrymarum, triginta tres annos per montes & nemora, per vicos & oppida, per Civitates & regiones difcurrerat, quærens ovem, quæ perierat (*c*); quam cùm inveniffet, humeris fuis impofuerat, ac in Crucis altari obtulerat Patri; ejus ipfe dolores omnes tulerat, & languores portaverat (*d*). Tam caram ovem relicturus, quam vitâ propriâ habuerat cariorem, tam gratum depofitum, cui potiùs fuerat relicturus, nifi a quo præ ceteris fe diligi cognoviffet? O Anima, o Anima ingrata & peccatrix, omni meretrice fceleftior (*e*), quæ amatori tuo, & fponfo tantam rependis ingratitudinem! O Vinea infelix, quam tanto ftudio Dominus plantavit, & tot miniftris ad te miffis excoluit, ad quam èt ipfe acceffit; nec tamen nifi labrufcas reddis! Vide, vide, & intellige vèl ex hoc, quàm Deo fis grata; cujus ita refpuis caftiffimum amorem, & impuros fequeris. Cur om-

(*a*) *Joannis XXI. v. 15. & feqq.*
(*b*) *Matth. XVI. v. 18. & feq.*
(*c*) *Lucæ XV. v. 4.*
(*d*) *Ifaiæ LIII. v. 4.*
(*e*) *Jeremiæ II. v. 20. Ezech. XVI. v. 35.*

omnia, quæ in Ecclesia Dei fiunt, instituit, nisi ut te sepiat muris, ut a feris tueatur, ne te *exterminet aper de sylva, & singularis ferus depascatur te* (a)? Cur nos te visitatum jubet accedere? Cur Episcopos omnes, & animarum Pastores, nullis vult pro te parcere laboribus; sed juga, ac montium aspera cacumina conscendere, flumina navigare, vicos & oppida peragrare, nisi ut ostendamus omnes, qui in Petri, & successorum ejus administrationis partem fuimus vocati, immensum illum, quo te supremus Pastor dilexit amorem; ut caritatis illius partem in nobis adimpleamus?

Sed velim hic primùm, singuli vestrûm diligenter considerent. Ergo tam de mea salute Christus Dei Filius solicitus fuit; tantam in perquirendo mihi idoneo Pastore adhibuit diligentiam: Et ego, ubi propria mea res agitur, semper obdormiam, & desidiosa tantùm consuetudine omnia peragam? Divini illius amoris numquam meminero, quo me sic est prosequutus, ut licèt pro omnibus Mundi hominibus Deus sit mortuus, pro mea tamen anima sola, omnia illa, quæ passus est, tormenta pertulisset; ac, si unus ego & solus peccator extitissem, ea omnia pro mei fuisset redemptione subiturus: Et ego tanti Regis amicitiam, qui Cœlum & terram verbo creavit, qui corpus meum potest & animam perdere in æternum, qui adeò bonus est ac suavis, tribus aut quatuor denariis, minimâ lucri spe vendam? illius me Dei inimicum constituam? diabolicæ tyrannidi subjiciam? Effudit Dei Filius sanguinem, ut legem suam gratiæ & Evangelii, hominum cordibus inscriberet; eam Petri & Pauli, ac tanto innumerorum Martyrum sanguine voluit confirmari: Et miserrimus ego pater non modo ipse ignorabo, sed nec eam filios meos discere patiar? non eos ad legis illius Scholas, licèt diei etiam itinere hinc distarent, perducam? Tantus ab illis est sanguis effusus; me minimus labor terrebit? Nesciunt profectò homines, nesciunt, quantì facienda sit anima; quantì eam optimus rerum omnium arbiter & æstimator Deus fecerit, quam non corruptibilibus auro & argento, sed sanguine, non Sanctorum aut Prophetarum, sed Unigeniti Filii sui redemit. Si Rex quispiam potentissimus, ut aliquem morte damnatum a pœna liberaret, unicum, quem haberet, filium Regni hæredem, morti exponeret; o quantì æstimaretur hic amor! Animam, animam suam, filii, dedit pro nobis, a quibus millies lacessitus, provocatus, offensus, blasphematus fuerat & est, Christus

(a) *Psalm. LXXIX. v. 14.*

ftus Jefus. Quis majorem hac caritatem umquam vidit? Eft quidem nobiliffimum aftrum Sol, in æthere fulgens, cujus fplendore, atque virtutis infufione tot generantur in terris. Nobiliffimum Cœlum, atque pulcherrimum eft, tot diftinctum luminibus, tam multis ftellis, veluti pulcherrimis coloribus depictum; fed mille Solibus, mille Cœlis, mille Mundis, imò millies & infinitè millibus illis longè nobilior & præftantior eft anima tua, o Chriftiane. Sed *fi ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poft veftigia gregum tuorum* (*a*); fi Dei refpuis fimilitudinem, Diaboli indue imaginem; fi cœleftis effe non vis, terrâ gaudeto; fi Angelicum panem faftidis, beftiarum vefcere cibis; fi cùm tanto in honore fis, non intelligis, comparare jumentis infipientibus, & fimilis efto illis (*b*). *Appofui tibi* (inquit Dominus) *aquam, & ignem; ad quod volueris porrige manum tuam. Ante te vita, & mors*, Infernus & Cœlum; æternum *bonum*, & duraturum fine termino *malum; quod placuerit, dabitur tibi* (*c*).

Sed perpendite adhuc, filii, diligentiùs: Examinat Petrum Chriftus, & de caritate tantùm interrogat, ac fui dilectione. Veniet idem ipfe judicare vivos & mortuos; & cùm de omnibus diftricta fit ei ratio reddenda, de caritate tamen in proximum, quæ a Dei dilectione proficifcitur, folùm interrogabit, cùm dicet: *Efurivi enim, & dediftis mihi manducare; fitivi, & dediftis mihi bibere; hofpes eram, & collegiftis me; nudus, & cooperuiftis me; infirmus, & vifitaftis me; in carcere eram, & veniftis ad me* (*d*). Si hodie ad quemlibet veftrùm hujufmodi examen inftitueret Chriftus, & diceret: *Amas me? diligis me?* quid, obfecro, ei, cui mentiri non licet, cujus oculis nuda funt omnia & aperta, refponderetis? An fortè quod Petrus: *Tu fcis, Domine, quia amo te?* Minimè profectò; nam non amorem, fed odium potiùs & contemptum factis exprimitis. Unde hæc Ecclefiæ veftræ indecentia? unde folicitudo hæc? An ab amore? Cur jacet inculta? cur inornata domus Dei? Num quia inhabitatorem Deum diligitis? Amicum, quem vos fummè diligeretis, in ftabulone, an in pulcherrimo ac ornatiffimo domus veftræ cubiculo permanere velletis? Scitis quem ametis? Vos ipfos, filii, amatis, non Deum; campos veftros amatis, non Deum; vineas veftras amatis, non Deum: Et hæc omnia tamen a Deo habuiftis, qui quando placuerit fubtrahet. Signa hujus, quod dicimus, videte manifeftiffima. Orna-

(*a*) *Cant. Cant. I. v. 7.*
(*b*) *Pfalm. XLVIII. v. 13.*
(*c*) *Ecclefiaftici XV. v. 17. & 18.*
(*d*) *Matth. XXV. v. 35. & feq.*

Ornatæ ſunt domus veſtræ, Dei domus inornata; pulchræ ſunt domus veſtræ, hæc ſquallida; campi veſtri exculti ſunt, inculta hæc. Imo cultui divino detrahitis, ut illos colatis, cùm feſtis ac ſacris diebus, quos Eccleſiæ deberetis ac Deo, partem ſubtrahitis, quam vos lucrari exiſtimatis, cùm animæ tamen jacturam faciatis, eam ſecularibus negotiis obruentes.

Sed docebo ego vos ſigna, filii, quibus noſcatis, num Deum ametis; ea autem ſunt hæc. Si de Deo in primis libenter cogitaveritis; ubi enim amor, ibi oculus; *ubi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum* (*a*). Secundò: ſi in Dei domo libenter permanſeritis, ùt juſtæ Annæ, *quæ de Templo non diſcedebat*, erat in more (*b*); vos autem Eccleſiam fugitis; quælibet quarta pars horæ, qua in ea perſiſtitis, integra vobis hora videtur; quælibet hora, dies. O quot illic conſiſtentibus tædia, quot moleſtiæ! Nuſquam, niſi in Eccleſia, calor & æſtus; nuſquam culices, niſi in Eccleſia, mordent; Eccleſiæ parietes fornax ſunt; operimentum ejus ruinam vobis minitatur, niſi citiſſimè egrediamini; idcirco propriâ etiam Parœciâ relictâ, alias quæritis Eccleſias, in quibus citiùs Miſſæ perſolvantur, & Officia Divina recitentur, nec Dei verbum prædicetur. Et vos Deum amatis, qui talia agitis? Tertium ſignum erit, ſi de Deo, aut cum Deo libenter loquamini; unde *ſi quis loquitur*, præcepit Petrus, *quaſi ſermones Dei* (*c*). Quartum: ſi libenter Deum audieritis, & ab eo audita memoriæ commendaveritis. Sic Maria Chriſti Mater, Virgo Sanctiſſima, *conſervabat verba in corde ſuo* (*d*). Sic Magdalena Chriſti amore æſtuans, *ſedebat ſecus pedes Domini, & audiebat verbum illius* (*e*). Quintum: ſi libenter pro Dei nomine veſtra dederitis; *Si enim habueritis ſubſtantiam hujus Mundi, & videritis fratrem veſtrum neceſſitatem habere, & clauſeritis viſcera veſtra ab eo; quomodo manet caritas Dei in vobis* (*f*)? Sextum: ſi pro Deo libenter adverſa ſuſtinueritis; *quoniam in igne probatur aurum, & argentum; homines verò receptibiles in camino humiliationis* (*g*). Septimum: ſi Dei mandatis obedieritis; nam *ſi quis diligit me*, Dominus dixit, *ſermonem meum ſervabit* (*h*). Inter cetera verò præcepta illud maximè ſervandum eſt, quod propter excellentiam Dominus *ſuum* vocavit, dicens: *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem* (*i*); ſi enim non dili-

(*a*) *Matth. VI. v. 21.*
(*b*) *Lucæ II. v. 37.*
(*c*) *I. Petri IV. v. 11.*
(*d*) *Lucæ II. v. 19.*
(*e*) *Ibid. X. v. 39.*
(*f*) *I. Joann. III. v. 17.*
(*g*) *Eccleſiaſtici II. v. 5.*
(*h*) *Joann. XIV. v. 23.*
(*i*) *Ibid. XV. v. 12.*

diligitis fratrem vestrum, quem videtis, quomodo Deum, quem numquam vidistis, diligetis (a)? Octavum signum divini amoris erit, si quæ Deo placent ametis; quæ verò ipse odit, vobis displiceant. Unde Sanctissimus Pater noster Ambrosius inquit: Si is, qui non relinquit parentes propter nomen Dei, non est Deo dignus; quantò magis, qui diligit ejus inimicos acceptus Deo esse non poterit (b)? Nonum erit, cùm vobis Mundus cœperit displicere; tantò enim quis a seculi curis frigescit, quantò surgit ardentiùs in amorem Dei: & anima, quæ divino amore verè est inflammata, sicut amentes & ebrii contemnunt ignem, & ferrum, & feras, & pelagus, & omnia; sic ipsa furore quodam spirituali insanit, ac omnia, quæ videt, negligit. Et certè, si corporalis amor ita devinctam sibi tenet animam, ut ab omnibus etiam necessariis actibus eam cogat abscedere, & illi soli, quem amat, operam dare, atque in ejus cogitatione se fixam tenere; quomodo amor Christi ab omnibus reliquis non abstrahet animam, sibique consociabit; atque desiderii sui vinculis constringet? Num ignoratis, quia caritas ignis est, & flamma? Quomodo ergo sibi quidquam patietur appropinquare, quod mox non exurat? Decimum postremò ac ultimum signum erit: si eos, qui Deum vobis repræsentant, dilexeritis, si debitos eis honores præstiteritis; ii autem inter ceteros sunt Sacerdotes, quos qui audit, Deum audit; quos qui spernit, Deum spernit (c); quos qui diligit, Deum diligit; quos qui odit, Deum odit; quos qui lædit, Dei lædit pupillam; quibus qui infert injuriam, Deum exasperat: ideo præcipit multis in locis Dominus, sed in Ecclesiastico præsertim: *In omni virtute tua dilige Deum, qui te fecit, & Ministros ejus ne derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes* (d).

Hæc sunt, fratres, caritatis & divini amoris signa; hæc vestis est nuptialis, qua in novissimo die qui induti non fuerint, ab Agni cœna excludentur; eosque Dominus uti suos non cognoscet. Sed videte, obsecro, quàm in gloriosissimis his Apostolorum Principibus Petro & Paulo signa hæc omnia amoris effulserint. Quis enim ipsis de Deo libentiùs cogitabat, qui eò studia sua omnia dirigebant, ut ejus Regnum propagaretur? Quàm constanter ipsi in domo Dei & in Ecclesia persistebant; imo quot ipsi

(a) *I. Joann. IV. v. 20.*
(b) *Serm. XV. in Psal. CXVIII.*
(c) *Lucæ X. v. 16.*
(d) *Eccles. VII. v. 32. & seq.*

ipsi Ecclesias Deo dicarunt, atque erexerunt! Quàm jucundè cum Deo loquebantur, orationibus semper intenti, ut èt in ecstasim sæpe raperentur! Quid verò umquam, nisi de Deo, loquebantur? Annon eructavit cor eorum semper verbum bonum (*a*); nonne lingua eorum fuit calamus Spiritus Sancti, & *in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum* (*b*)? Nonne jubebat Petrus: *Si quis loquitur, quasi sermones Dei semper loquatur* (*c*); & Paulus clamabat: *Quis nos separabit a caritate Christi* (*d*)? quia hic amantium mos est, ut amorem suum silentio tegere nequeant, sed necessariis & caris suis indicent & prodant, ejusque flammas intra pectus suum cohibere non possint. Enarrant frequentiùs, ut, ipsa assiduitate narrandi, solatium amoris sui capiant, & refrigeria immensi ardoris assumant. Quàm libenter duo hæc Cœli astra Deum audierunt! Numquid pluribus ipsi ad eum audiendum fuerunt impellendi? Videte: Petrus vix jussus sequi, accurrit (*e*); Saulus vocatus, statim respondet: *Quid me vis facere* (*f*)? Jam verò substantias suas omnes nonne pro Christo dederunt? Nonne Petrus relictis retibus & navi secutus est Christum; & Paulus, qui primarius inter adversarios esse poterat, nonne pro Christo pauper esse voluit quamdiu vixit, omnem a se humanum abdicans affectum? Sed pro Deo quàm multa sunt passi? Quot carceres Petrus, quot vincula, quot labores, Cruci denique tulit affixionem? De Paulo verò quid dicam? Dicat ipse de se, *in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Judæis quinquies quadragenas, unâ minus, accepi. Ter virgis cæsus sum; semel lapidatus sum; ter naufragium feci; nocte & die in profundo maris fui; in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in Civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus; in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate; præter illa, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror* (*g*)? Bone Deus! Quid de ipsiusmodi vita vobis, filii, videtur? Jam verò quàm promptè ambo divinis mandatis obedierunt! Audite Petrum liberè dicentem: *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus* (*h*). Paulus verò

(*a*) *Psalm. XLIV. v.* 2.
(*b*) *Psalm. XVIII. v.* 5.
(*c*) *I. Petr. IV. v.* 11.
(*d*) *Ad Roman. VIII. v.* 35.
(*e*) *Matth. IV. v.* 20.
(*f*) *Act. Apost. IX. v.* 6.
(*g*) *II. ad Cor. XI. v.* 23. *& seqq.*
(*h*) *Act. Apost. V. v.* 29.

verò ſuis omnibus ſcriptis quàm crebrò hanc docuit obedientiam! Quomodo quæ Deo diſplicuerunt, ipſis exoſa fuerunt! quàm acriter vitia & peccatores arguerunt! Videte quid Ananiæ, & Saphiræ fecerit Petrus (*a*). Videte quàm liberè alium Ananiam Principem Sacerdotum reprehenderit Paulus (*b*). Quàm mundana omnia ac terrena deſpexerunt Sanctiſſimi Petrus & Paulus, qui nec vitæ propriæ rationem ullam pro Dei nomine habuerunt! Unde nec ſe continere poterat, quin diceret Paulus: *Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta. Verumtamen exiſtimo, omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Jeſu Chriſti Domini mei; propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam* (*c*). Demum quàm ipſi fuerunt non modò pro Chriſti Miniſtris, ſed ėt pro Fidelibus omnibus ſoliciti! Eorum vos Acta, Vitas, & Epiſtolas perlegite, & Sole id clarius conſpicietis. Erat Sacerdotum omnium Princeps ſupremus Petrus, nec cui eorum ſe ſubmitteret, habebat; in ſacris tamen Conciliis & conventibus ſummè etiam ipſos æſtimabat. Paulus verò, quòd Ananiæ Sacerdoti ignorans maledixiſſet, videte quomodo ſe ipſum corrigens nos erudierit: *Neſciebam*, inquit, *fratres*, *quia Princeps eſt Sacerdotum* (*d*); *ſcriptum eſt enim: Principi populi tui non maledices* (*e*).

O feliciſſimos viros, qui Deum adeò dilexerunt, qui ab eo adeò diligi meruerunt! O fortiſſimos Athletas, qui inimicorum multitudinem expugnarunt! O patientiſſimos viros, qui tanta pro Chriſto ſunt paſſi, qui propter Chriſtum tradiderunt animas ſuas; quos Mundus ita contempſit, ita afflixit ac agitavit, quibus tamen minimè dignus erat! O conſtantiſſimos Duces, qui mori maluerunt, quàm Chriſti umquam aciem deſerere! O ſuaviſſimos & benigniſſimos gentium Patres, & Doctores, qui divinam Legem, ſanguineis notis cordibus noſtris inſcripſerunt! Mirentur alii inclytam urbem Romam, amplitudine Imperii inſignem, quæ tot ſibi Reges inſervire coëgerit; tot vaſtiſſimas Provincias, tot opulentiſſima Regna ſuo adjunxerit Imperio. Mirentur alii ejus magnitudinem, ædificiorum pulchritudinem, viarum ornatum, auri copiam & argenti, ſuperbiſſimas columnas, coloſſos, amphiteatra. Ego certè tibi, Roma, hos invideo theſauros, has gemmas & aſtra, quibus veluti Sole & Luna circumdata, glorioſa præ ceteris

(*a*) *Act. Apoſt. V. v. 1. & ſeqq.*
(*b*) *Ibid. XXIII. v. 2. & ſeqq.*
(*c*) *Ad Philipp. III. v. 7. & 8.*
(*d*) *Actor. XXIII. v. 5.*
(*e*) *Exod. XXII. v. 28.*

teris omnibus Mundi Civitatibus incedis. Quis mihi nunc det prosterni ad corpora Apostolorum, eorum ossa lambere, cineres osculari, tangere, contemplari: corpus illius venerari, qui dum viveret in tertium cœlum rapi meruit; & alterius, qui terreus cùm esset, super aquas tamen ambulabat? O sanctissima omnium Mundi urbium Roma! O terque quaterque felix, beatissimis his Patronis ac Protectoribus commendata!

Sed videamus, obsecro, ut tamdem finem dicendo faciamus, quid præstantes hos Viros ad tantum Dei amorem impulerit; ut èt nos his ipsis ad eumdem incitemur. Magna sanè, & quæ fortè absurda videatur, est hæc interrogatio. Quid enim in Dei amore causas quærere contendimus, qui sinè ulla causa amandus est, quem qui propter aliud, quàm propter se ipsum amaret, non Deum amaret, sed illud ipsum, propter quod eum amaret? Sed dum id quærimus, non veluti causas quærimus, filii; solus enim ipse amoris sui causa debet omnibus esse; sed veluti stimulos quosdam inquirimus, quibus ad Dei amorem Sanctissimi Viri incitati atque adjuti fuerunt: cùm ea sit humanæ naturæ fragilitas, ut nisi continuò adjuvetur, nihil per se possit efficere.

Ac primus quidem stimulus fuit ipsius Dei gratia, in qua ipsi omnia potuerunt, quam Deus ipse nobis omnibus dare semper est paratus; neque enim abbreviata est dextera Domini, imo eam nobis hodie abundantiùs Sanctissimo Chrismatis Sacramento est concessurus, quo gratiæ in vobis vires augentur, quibus, sicut Apostoli illi Sanctissimi, possitis èt vos liberè Christum profiteri, ac pro ejusdem etiam Fidei confessione sanguinem effundere. Sed non projicit Deus dona sua ante porcos, nec vult in invitos beneficia conferre. Dare vobis paratus est gratiam; tantùm, ut velitis, requirit; tantùm, ut petatis; tantùm, ut quantum in vobis est, cooperemini. Imo èt ad gratiam hanc ipsemet vos invitat: *Petite*, clamat, *& dabitur vobis; quærite, & invenietis* (*a*). Gratia Dei ergo primum fuit adjumentum; ideo Paulus, *gratiâ Dei*, dicebat, *sum id, quod sum* (*b*), ex persecutore sum prædicator, ex vase perditionis factus sum vas electionis.

Juvit ipsos secundò, amplissima Cœli præmia Christum diligentibus parata vidisse. Quàm putatis Paulo profuerit in tertium cœlum raptum fuisse, ac ibi vidisse, quæ non licet homini loqui? Quàm Petrum juvit, in Monte Tabor Christi gloriæ aspe-

(*a*) *Matth. VII. v.* 7. | (*b*) *I. ad Corinth. XV. v.* 10.

aſpexiſſe portiunculam, cujus ita amore captus fuerat, ut diceret: *Domine, bonum eſt nos hìc eſſe: ſi vis faciamus hìc tria tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum* (*a*). Nos verò, quoniam hæc oculis corporeis non vidimus, videmus certè ſaltem Fidei lumine, ac mentis oculo; ſcimus enim æternam vitam eſſe, qua vel ſumus ſine fine regnaturi, vel in perpetuum Inferni ignibus cruciandi. Quòd ſi hæc ſcimus; quid eſt, quòd ita vivimus, ac ſi cum corporibus eſſent animæ morituræ? ac ſi nullam eſſemus Deo rationem reddituri? ac ſi neque Deus, neque mors, neque Cœlum, neque Infernus umquam exiſterent? ſed Epicureorum more, edimus, bibimus, & ludimus, perinde ac ſi poſt mortem nulla ſit futura voluptas.

Demum tertiò & ultimò impulit illos ad Dei amorem, eorum, quæ in Deum commiſerant, frequens cogitatio. Negaverat ter Dominum Petrus timore perculſus; ſed quot deinceps lacrymis hanc noxam abſtergere ſtuduit? Certè tot, ut, quamdiu vixit, quotieſcumque Galli cantum audiebat, lacrymarum rivuli ex ejus defluerent oculis, ac in facie caveæ quædam apparerent: Paulus verò quoties deflebat, quòd ignorans Dei eſſet Eccleſiam perſecutus (*b*)? Ah filii, ſi hoc ad Dei debet amorem impellere; quàm nos deberemus illum diligere, qui non ter eum, ſed millies negavimus; qui numquam peccare deſiſtimus, cùm ipſe numquam parcere ceſſet! Si ex duobus debitoribus, cui plus donatum eſt, ille plus diligit (*c*); cuinam plura, quàm nobis, condonata ſunt debita? Deberemus certè nos, ex hoc ſaltem capite, multò plus Deum diligere, quàm Petrus, aut Paulus, aut ullus Sanctorum; quia multò magis illis peccavimus, & Dei adhuc nos miſericordia ad pœnitentiam expectat. Quem infinita hæc bonitas toties irritata, nec umquam indignata, non moveat? cujus ferreum & adamantinum cor non rumpat? cujus lapideum pectus in lacrymas non diſſolvat? Si quis vos cædat in faciem, ſi quis conſpuat, ſi quis provocet verbo, illum ſtatim morte conficere cogitatis; omnia tormentorum genera, nulla vobis videntur, ſi iis ille omnibus ſubjiciatur. Et vos, qui millies benigniſſimum Deum læditis, blaſphematis, ejus Miniſtros contemnitis, ejus Eccleſiam negligitis, ejus legem audire recuſatis; filios veſtros, imo potius ſuos, ei adimitis, ac Dæmoni

(*a*) *Matth. XVII. v. 4.*
(*b*) *I. ad Timoth. I. v. 13.*
(*c*) *Lucæ VII. v. 43.*

ni ſubditis cùm ad doctrinam Chriſtianam addiſcendam eos accedere non vultis; ſed tabernas potiùs frequentare, choreis adeſſe, ludis dies feſtos conſumere docetis; nullam demum ſacrorum Deo dierum rationem habetis: & adhuc tamen ſuſtinet, adhuc expectat, adhuc ad oſtium ſtat & pulſat, adhuc extenſis brachiis pendet in cruce, & pedibus confixis, ne diſcedere pòſſit, adhuc vocat & revocat; & vos non modò tam infinito amori amorem non rependitis, quin èt potius novis eum injuriis provocatis? Sed *nemini mandavit impiè agere, & nemini dedit ſpatium peccandi* (*a*). Ne fallamini, filii, quia quos longa ſuffert pietas, cùm juſtitiæ dies advenerit, puniet ſeveriùs. Imitamini vos, propoſitos vobis hos Duces, eorum facta contemplamini, oculos in ipſos conjicite; carnei èt ipſi fuerunt, ùt vos; peccatores, ùt vos: Sed pœnituerunt ipſi, ſed Dei non ſunt miſericordiâ abuſi. Ad eos igitur accurramus omnes, ac proſtrati eorum nobis opem imploremus, ac clamemus: Apoſtolorum Princeps Petre, Chriſti Domini noſtri vices gerens, te ſupplices interpellamus, ut quoniam tibi nos agnos hìc paſcendos Dominus commiſit, jam, cùm multò plus potes ac maximè diligis, quoniam es in caritate confirmatus, reſpicias de Cœlis in ovile hoc tuum. Innumeri nobis inſidiantur lupi rapaces. Circuit adverſarius noſter Diabolus tamquam leo rugiens, quærens nos devorare (*b*); ſed adjuva nos tu: tuam opem nobis debitam imploramus. Pignora fuimus Chriſti, tibi commiſſa; juva ergo nos, ne pereamus. Sanctiſſime Paule, Gentium Doctor & Prædicator: Infirmamur nos miſeri, & ſcandalizamur; ſuper hujuſmodi dum viveres infirmabaris, & urebaris tu quoque (*c*). Jam quoniam neutrum potes, quia ſtatus tui beatitudo nullam admittit infirmitatem aut animi angorem, imo adjunctam habet caritatem certè maximam, eam in nos ſaltem exerce. Cupiebas olim anathema eſſe pro fratribus tuis (*d*); juva nunc ſaltem precibus fratres tuos. Principes ambo Eccleſiæ Sanctæ, quam veſtro ſanguine decoraſtis, quam exornaſtis, quam confirmaſtis, quam Deo diſpoſuiſtis; eam protegere ne deſinite, ut nos veſtra ſoboles, in Cœlis etiam corona veſtra & gaudium veſtrum (*e*) eſſe poſſimus; eo donante, pro cujus vos nomine vitam profudiſtis & ſanguinem. Amen.

HO-

(*a*) *Eccleſiaſtici XV. v.* 21.
(*b*) *I. Petri V. v.* 8.
(*c*) *II. ad Corinth. XI. v.* 29.
(*d*) *Ad Romanos IX. v.* 3.
(*e*) *Ad Philipp. IV. v.* 1.

HOMILIA XLI.

IN CONSECRATIONE ALTARIUM

Habita in Ecclesia Parochiali Galbiati (a) Diœcesis Mediolanensis

Feria V. Dominicæ IV. post Pentecostem

ANNO MDLXXXIII. XXX. JUNII.



UERAT, dilectissimi filii, Hebræus populus, speciali quadam amoris prærogativa, Deo præ ceteris omnibus dilectus, quem multis affecerat beneficiis, cui legem præscripserat, cui manna concesserat, cui Promissionis terram, lacte & melle fluentem, pollicitus fuerat; quem ritus & cæremonias omnes docuerat, cujus Deus esse & appellari voluerat, ab eoque præcipuè coli & adorari. Sed umbræ fuerunt hæc, sed nox, sed figura; cessit diei nox, cesserunt tenebræ lumini, figurato figuræ, lex Evangelio, Christianis Hebræi. Et profectò, cùm nobis a Deo exhibita munera ac dignitates, quibus insigniti sumus, mecum ipse perpendo, apertissimè intelligo, quia quantum differt ortus ab occidente, tantùm longè fecit Deus populum illum a nobis. Magnum hic se mihi chaos offert excellentiarum nostrarum supra illos, quas nec hujus est instituti attingere, nec horæ tarditas, ùt videtis, permittit. Hoc tamen minimè reticendum mihi videtur,

(a) Galbiatum, Pagus est in Collibus Briantæis, amœno feracique agro circumdatus, atque aërem saluberrimum trahens sub Plebe Olginati. De hoc Pago loquitur Paulus Jovius in Descriptione Larii lacus, adnotans, prope ipsum extitisse olim *Barram* Oppidum, quod interiisse memorat Plinius Libro III. Cap. XVII. Ejus tamen nomen retinet mons Barrius Galbiato finitimus.

detur, quòd ab illis uno dumtaxat in loco adorari voluerit Deus, nempe in Salomonis Templo, in Jerosolyma; illic tantùm ei sacrificari; illic cum ipsis benigna precum exauditione versari: At verò nobiscum, & inter nos reipsa Dei Filius existens, non una tantùm in Civitate, sed in Mundo, ac in cujusvis ejus partis Ecclesiis plurimis, ac in earum qualibet, Altaribus in multis permanere dignatus sit: cujus amplitudinem beneficii Malachias praenoscens, longè ante prædixerat: *Ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus* (*a*), ut verè hodie de nobis gentes omnes & populi dicere cogantur; quia (*b*) *non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus* ubique adest Christianis; præsertim verò in Sanctis eorum Ecclesiis atque Altaribus, cujusmodi duo in hac Ecclesia vestra paulò ante, ùt vidistis, consecravimus. Quæ cùm maximis sint plena mysteriis, neque sicco prorsus pede præteriri debeant: Idcirco postulat officii nostri ratio, ut de eorum dignitate, ac de hujusmodi Consecrationis fructu, tum de Fidelium Christianorum, ac vestro in primis munere & officiis, ne in hoc Deo appareatis ingrati, pauca dicamus.

Fuit antiquissima, filii, Altarium institutio atque dedicatio; nam cùm a natura homines ita sint instituti, ut cum ipsis nata videatur religio; hinc est, quòd omnibus temporibus homines variis sacrificiis & officiis Deo cultum exhibuerunt, atque Altaria ad id instituerunt. Nec est quòd de iis, qui falsa Religione ducti Diis immolabant, verba faciamus; sed de Altaribus tantùm, Deo vivo & vero erectis. Ac primùm quidem Noë vir ille justissimus ac Deo acceptissimus, cùm Arcâ egressus fuisset ipse, & quæcumque secum erant animalia, *ædificavit Altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocausta super Altare. Odoratusque est Dominus odorem suavitatis, & ait: Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines* (*c*). Sed qualiter *odorabitur*, fratres, Dominus Deus non agnos ac pecora, sed Filii sui corpus & sanguinem, in illis adumbratum, in vestris hisce Altaribus offerendum? Quomodo hac oblatione placabitur atque disponetur, *non ultra* hominibus *maledicere?* Abraham etiam Pater multarum gentium, ubi a Domino audierat, quòd semini ejus daturus esset Ter-

(*a*) *Malach. I. v. 11.*
(*b*) *Deuteron. IV. v. 7.*
(*c*) *Gen. VIII. v. 20. & seq.*

ram Canaan, Altare Domino ædificavit; eriguntur enim Altaria in beneficiorum a Deo acceptorum memoriam (*a*). Sed èt Moyses, & primi illi Patriarchæ omnes, Altaria plurima Deo ædificasse in Sacris Literis perhibentur. Inter hæc insigne fuit Jacob Sanctissimi Altare, quod erexit in lapide, cui hærens obdormierat, ac scalam stantem super terram, & Cœli cacumen tangentem viderat; *Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ;* ubi cùm evigilasset, ait: *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Pavensque, quàm terribilis est, inquit, locus iste! Non est hìc aliud, nisi domus Dei, & porta Cœli* (*b*). O si vidisset Altaria nostra Jacob, scalas has cœlestes, nostris Altaribus innixas, super quibus Sacerdotum preces & verba ad Deum ascendunt, & divinæ miserationes, ac ipsiusmet Dei corpus & sanguis descendunt ad homines; quantò veriùs ac vehementiùs exclamasset: *Verè Dominus est in loco isto*, non, sicut in illo, tantùm seminis propagationem promittens, sed se ipsum comedendum mortalibus exhibens, ac secum thesauros omnes elargiens! *Terribilis est locus iste* Dæmonibus, ubi eorum vires infringuntur; hominibus amabilis, ubi bona omnia consequuntur. *Non est hìc aliud nisi domus Dei, & porta Cœli:* verè hìc tabernaculum suum paravit Altissimus; verè hìc habitat, prout regnat in Cœlis; & porta Cœli est, qui de se ipso adhuc vivens dixerat: *Ego sum ostium* (*c*); nec ulli ad Cœlum, nisi per ipsum, datur ingressus.

Est quidem propriè Ecclesia nostra amabilis; sed etiam *terribilis*, primò propter Dei inhabitationem atque præsentiam, qui sicut ex Cœlis, sic inde hominum corda scrutatur & renes; unde verè de Altari potissimùm dicere possimus: *Dominus in Templo sancto suo; Dominus in Cœlo sedes ejus; oculi ejus in pauperem respiciunt; palpebræ ejus interrogant filios hominum. Dominus interrogat justum; & impium; qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam* (*d*). Hic namque *oculi Domini super justos* sunt, *& aures ejus in preces eorum: vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum* (*e*). Ex Altari hoc Sanctissimo Pœnitentes respicit Dominus oculo misericordiæ, ut iis peccata dimittat; justos oculo amicitiæ, ut iis præmia largiatur; impios oculo justitiæ, ut *ligatis manibus & pedibus eos in tenebras mittat exteriores* (*f*): quocirca ne hoc

(*a*) *Gen. XIII.*
(*b*) *Ibid. XXVIII. v. 12. & seqq.*
(*c*) *Joannis X. v. 9.*
(*d*) *Psalm. X. v. 5. & 6.*
(*e*) *Psal. XXXIII. v. 16. & 17.*
(*f*) *Matth. XXII. v. 13.*

hoc oculo nos compellatur aſpicere, benigniſſimus ac noſtrî amantiſſimus Dominus hodierno Evangelio admonet: ſi ad Altare accedens recordatus quis fuerit, quòd habeat aliquid adversùs fratrem ſuum, relićto ibi munere, vadat priùs, & fratri reconcilietur (*a*). Unde terribilis ob id certè eſſe deberet Eccleſia Dei peccatoribus eam ingredientibus, ſi ſe ante Deum accedere recordarentur, qui eorum cogitationes videt & corda, ac vivorum, & mortuorum futurus eſt Judex. Eſt etiam, ùt diximus, Dæmoni terribilis & tremenda Eccleſia, quòd hìc ejus inſidiæ Confeſſariis a Pœnitentibus aperiantur; quòd ſanćtis conſiliis ejus hìc laquei rumpantur; quòd quas Deo furatus eſt animas, hìc reſtituere ſæpe cogatur; quòd hìc Chriſti Cruces, Sanćtorum Imagines atque copioſæ Reliquiæ adſint, & innumera Angelorum millia Sacroſanćtum Chriſti Corpus in Altari conſiſtens circumdent. Sed heu! peccatores viſitantes Eccleſiam, nihil horum pertimeſcunt; imo èt quandoque nonnulli in ea peccare præſumunt, ac Deum præſentem offendere: Dæmonibus ſanè in hoc multò nequiores, qui credunt & contremiſcunt; hi autem quia non contremiſcunt, quis ſcit an credant? de quibus per Prophetam Dominus queritur: *Quid eſt, quid dilećtus meus in domo mea fecit ſcelera multa* (*b*)? quòd is, quem ego adeò dilexi, pro quo animam meam poſui, quem ſanguine meo redemi, *in domo mea*, quam mihi ſingulari ejus beneficio elegi, qui cum eo habitare non dedignor, *fecit ſcelera multa?* turpes exercuit amores, vana colloquia miſcuit, contraćtus, & fortè illicitos iniit; *domum* denique *meam, domum orationis, fecit ſpeluncam latronum* (*c*)? Sed eſt èt terribilis Eccleſia, quòd eam contemnentes terribiliter ſint puniendi; cùm illam mira deceat ſanćtitudo; quod Chriſtus Dominus noſter innuit fortè, cùm, licèt in omnes piiſſimus ac humillimus eſſet, nuſquam adeò ſeveram vindićtam exercuit, ſicut in Templo contra ementes, & vendentes ea etiam, quæ Deo erant offerenda (*d*); zelus enim domus Dei comederat eum (*e*). Et ſi ubique Dei honor eſt procurandus, hìc certè potiſſimùm, ubi èt peculiariter inhabitare dignatur.

Quanta hinc ergo Eccleſiæ hujus dignitas inſurgit; ſed in primis Altaris, ob quod tantâ ipſa excellit dignitate! Et profećtò ſi Salomonis Templum illud egregium, tantâ impensâ fabricatum, per tot annos extrućtum, tot muneribus locupletatum,

(*a*) *Matth. V. v.* 23. & 24.
(*b*) *Jeremiæ XI. v.* 15.
(*c*) *Matth. XXI. v.* 13.
(*d*) *Ibid. v.* 12.
(*e*) *Joannis II. v.* 17.

Dei domus erat; ac in eo tam multa Hebræo populo concedebantur, juxta quæ prolixâ oratione in eo Dominum precatus fuerat Salomon (*a*); unde èt *apparuit ei* idem *Dominus nocte, & ait: Audivi orationem tuam, & elegi locum istum mibi in domum sacrificii. Si clausero Cœlum, & pluvia non fluxerit, & mandavero, & præcepero locustæ, ut devoret terram, & misero pestilentiam in populum meum: conversus autem populus meus, super quos invocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquisierit faciem meam, & egerit pœnitentiam a viis suis pessimis; èt ego exaudiam de Cœlo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum. Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit* (*b*): Certè quantò magis hæc omnia Christi Fideles ad hanc accedentes Ecclesiam, ante Altare hoc Sanctissimum prostrati, a Domino consequentur; ubi non Arca fœderis tantùm cum tabulis legis lapideis, sed Christi corpus adest, & sanguis; ubi non hæc Salomon postulat, sed a Deo nobis largiri Sancta Mater Ecclesia, Christi Sponsa, ei adeò dilecta, communi efflagitat oratione, cùm dicit: *Exaudi propitius Domine, & concede, ut quisquis hoc Templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse lætetur*; ubi præcipuos habebitis Advocatos gloriosissimos Sanctos, quorum auspiciis Altaria hæc consecravimus; Joannem Evangelistam, dilectum Dei discipulum; ac Pastorem Sanctissimum Patronum & Patrem nostrum Ambrosium; invictum etiam Christi Martyrem Maximum, cujus venerandas Reliquias hic reposuimus? Promisit hæc omnia, quæ Salomon petiit, sed longè copiosiùs Dominus noster, cùm dixit: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (*c*). Intrabit huc pauper, & Dominus sublevabit ejus inopiam. Accedet huc afflictus, & a Domino consolationem accipiet; hìc filiorum sanitatem flens mater obtinebit; hìc frugum copiam a Domino impetrabimus; hìc peccatorum sarcinam gravissimam omnes deponent: Hæc virtutum omnium est amplissima officina; hìc *haurietis* sitientes *aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* (*d*). Ipse vobis sum divinæ sponsor misericordiæ, quia *aperti* hìc *erunt Domini oculi, & aures ejus erectæ* ad eorum preces (*e*), qui in loco isto oraverint; hìc elationis spiritus debellabitur; hìc iracundiæ calor moderabitur; hìc libidinis æstus temperabitur; hìc torpor omnis tol-

(*a*) *III. Reg. VIII. v. 15. & seqq.*
(*b*) *II. Paral. VII. v. 12. & seqq.*
(*c*) *Joann. XVI. v. 23.*
(*d*) *Isaiæ XII. v. 3.*
(*e*) *Psalm. XXXIII. v. 16.*

tolletur, & cordis glacies diſſolvetur. Huc quandocumque malueritis accedere poteritis. Quantum hoc, & quàm grande beneficium, poſſe Deum præſentem alloqui ſemper! in infirmitatibus noſtris ad cœleſtem Medicum poſſe convenire! Hic jam vos ampliùs pauperes non eritis; Regem gloriæ ac divitiarum inter vos habentes, a quo certò ſcitis, quia quidquid peticritis, accipietis; quòd ſi non accipietis, aut quia malè petieritis id eveniet, aut quòd quæ petieritis, pernicioſa vobis ac nociva fuiſſent, ſi obtinuiſſetis. Excitetur ergo Chriſtianus tanti conſideratione myſterii, ad tam dignas Eccleſias, ad tam nobile Altare debito honore proſequendum; ad tantos, qui inde proveniunt, fructus percipiendos, *ne in vacuum recepiſſe* videatur *gratiam Dei* (*a*).

Sed jam, quæ ſint veſtræ futuræ partes, animadvertamus; ac quid facientes, utilitates ex Altari manantes ſitis percepturi. Primùm quidem amare vos ſummoperè debetis Dei cultum, ac quæ ad id ſpectant, cordi ſemper habere; hinc fiet, ut divina & ſpiritualia omnia ſplendidè, privata demiſsè ac exiliter tractetis: hoc efficiet, ut auro tantùm & argento, ſericis pretioſiſque veſtibus, quæ ad Altaris pertinent miniſterium, cooperta eſſe velitis. Uxorem qui diligit, novas ei quotidie ac pretioſas veſtes parat, aureos annulos, torques, inaures, & hujuſmodi mille; cur id faciat interrogatus, ſanè quia eam diligit, illico reſpondebit. Cur ergo, ſi Chriſtum diligitis, ejus domum ornare non ſtudebitis, Altare ejus perpolire? Intuemini Salomonem, & videte aurea vaſa, & mira, quæ ad Templi illius cultum exſtrui juſſerat; quo tamen, ùt audiſtis, tabulæ tantùm legis lapideæ continebantur. Hìc verò, ubi Chriſti Corpus & Sanguis eſt, pecuniæ aut ſumptibus parcendum eſſe putabitis? At pauperes ſumus, dicetis; vix, ſi id faceremus, vivere poſſemus. Annon quidquid habetis, a Domino accepiſtis? nonne ſua ſunt omnia? Quid prohibet ergo, quominus neceſſitatibus etiam veſtris aliqua ſubtrahatis, quæ ad ejus Altaris ornatum conferatis? Hoc ergo a vobis primùm hoſpes veſter Chriſtus requirit, ut eum amantes, illius etiam Altare, Tabernaculum, ac ſedem diligatis.

Secundò verò, ut ſummâ veneratione ad hæc Altaria accedatis; nam ſicuti reus mortis, Principem, a quo gratiam expectare poſſet, ſumma demiſſione atque obſequio conveniret; ita nos

(*a*) *II. ad Corinth. VI. v.* 1.

nos mortis toties, quoties peccavimus, reos, ad illius conſpectum, qui poſtquam corpus noſtrum morte mulctaverit, poteſt èt animam perdere, religioſiſſimè huc ingredi, hicque permanere oportet. Hinc in Eccleſiis cachinnos, riſus, fabulationes, vana colloquia, multò magis obſcœna, detractiones, murmurationes, & hujuſmodi reliqua vitabitis. Hinc mulieres velatis huc capitibus accedent, perniciosos aſpectus cavebunt, orationibus tantùm intentæ, & ei ſe adeſſe cogitantes, quem Angelorum infinita millia circumſtant.

Tertiò demum; quando tot nos muneribus Deus ditavit, tot eſt proſequutus officiis, exigit a nobis, ut promptè ea amplectamur, accipiamus, exoſculemur, iis utamur. Quid enim prodeſſet infirmo, medicinam præſtari, ſi eam renueret adhibere? Aut quis veſtrùm munus aliquod donans amico, ſi id ipſe dedignaretur accipere, aut vix id aſpiceret, non ægrè ferret? Si una tantùm in quavis Diœceſi eſſet Eccleſia, in qua unicum tantummodo Altare reperiretur, deberemus omnes ad id creberrimè proficiſci, ut cœleſtes conſequeremur theſauros, ut Regem noſtrum, & Deum noſtrum videremus. Jam verò, quando adeò nobis appropinquat, qua erimus excuſatione digni, ſi ad Eccleſias frequenter non acceſſerimus, cùm potiſſimùm tot hinc poſſimus emolumenta percipere? Eja igitur, amatiſſimi fratres (quoniam temporis coarctamur anguſtiis, ob celebratæ Conſecrationis longitudinem) ſint jam in poſterum animæ veſtræ Altaria Domino Deo conſecrata; ac ſicut Altaria hæc in perpetuum divino ſunt cultui mancipata, ut in nullos umquam alios uſus poſſint converti; dicate vos corda veſtra, ac animas veſtras Deo viventi. Et cui, obſecro, utiliùs dicare poteſtis? An Mundo, qui hypocrita eſt, & cujus gaudium *inſtar gaudii hypocritæ* eſt (*a*)? qui tàm multa ſpondet, & nihil reddit? qui *totus in maligno poſitus eſt* (*b*)? qui Dei ſemper fuit inimicus? An verò Carni, quæ ſpiritui ſemper repugnans, vos præcipites in barathrum trahere nititur? An Dæmoni, antiquo humani generis hoſti? Aut potius Dei Filio Chriſto, qui tanto vos amore proſequitur, qui tantam ſe ſequentibus hæreditatem præparavit? *Sicut enim exhibuiſtis* hactenus *membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem* Spiritus Sancti (*c*). Templa pura ei ſemper conſervate,

(*a*) *Job XX. v. 5.* | (*b*) *I. Joannis V. v. 19.* | (*c*) *Ad Romanos VI. v. 19.*

ſervate, imo ornare in dies virtutibus ac bonis operibus contendite, ut veſtrì amore captus, inhabitationes veſtras numquam deſerat, qui *non habitat in anima ſubdita peccatis* (a). Scio quidem, quia tanto hoſpiti debitos ornatus parare non valetis; ſed inſtruet ipſe ſibi domum, ipſe exornabit; gratiæ ſuæ plenitudinem hodie Sanctiſſimo Chriſmate vobis daturus, accedit; ſolam requirit domum, ſi non ornatam, mundam ſaltem terrenis omnibus ſolicitudinibus, & peccatis in primis vacuam. Obicem vos ei ne ponatis; hilari tantùm animo obviam procedite; nudam ei domum offerte; quidquid poteſtis ſpondete, ac quod in vobis eſt exhibete. Et ne vereamini; quoniam ipſe ſibi parabit, ornabit, atque diſponet; gratiâ ſuâ hìc animas veſtras, ac poſtmodum cœleſti gloria replebit. Et quoniam maximi Reges, aut Principes in alicujus domum divertentes, prævios mittere ſolent, qui ſuis aulæis & tapetibus, domos eas inſtruant: ſic vos, filii, Dei Filium hodie ſupplices exorate, ut Sanctum in vos Spiritum ſuum mittat. Quod ut libentiùs faciat, qui promptus eſt facere, vos ipſos ei hodie, cùm ori veſtro apponetur, in Altaria dicate, in tabernacula offerte; nullo enim palatio magis, quàm cordibus veſtris oblectatur. Veniet ad vos Chriſtus Dominus, mille Angelorum cohortibus circumdatus, ut vos paſcat, ac carnibus ſuis nutriat. Sed occurrite vos illi, ac in ipſo ſtatim ingreſſu, ſupplices ſic eum orate: Fuerunt hactenus animæ noſtræ, bone Deus, ſerpentum ac Dæmonum ſpeluncæ, peccatorum cloacæ fœtidiſſimæ; en quia jam rei indignitatem exhorremus; eas tibi in Altaria conſecrare cupimus. Da tu, ut tuo ſemper cultui reſerventur; nullatenus in poſterum polluantur aut profanentur; nihil iis inſideat, quod Majeſtatis tuæ dedeceat magnitudinem: unge tu oleo gratiæ tuæ Altaria hæc, miſericordiæ tuæ ablue aquis; thus in iis orationum adoleatur. Statuimus nos, fore ea ſemper tua, nullum ampliùs Dæmoni in iis locum, aut Mundo, ſive Carni relinquendum; ſed adjuva tu infirmitatem noſtram. Vota in iis tantùm, & orationes tibi offerantur; cordis noſtri exhibeatur ſacrificium; eam piam voluntatem operibus comprobemus. Sepi tu ea ferreis cancellis timoris tui, quò eis appropinquare indigna prohibeantur; ut ſicut in materialibus tabernaculis ſuper lapideis Altaribus permanes, ſic èt in cordibus noſtris, quamdiu vivimus, ſemper inhabites; donec perfectè tibi nos unias in Cœleſti illa Jeruſalem, in qua cum Patre, & Spiritu Sancto vivis & regnas Deus per infinita ſecula. Amen.

HO-

(a) *Sapient. I. v. 4.*

HOMILIA XLII.

AD POPULUM VALLIS MATRERIÆ DIŒCESIS MEDIOLANENSIS (a)

IN EVANGELIUM MATTHÆI CAP. XX.

Ecce aſcendimus Jeroſolymam

Habita in Eccleſia Parochiali

FERIA VI. DOMINICÆ IV. POST PENTECOSTEM

ANNO MDLXXXIII. I. JULII.



DICATUS eſt, dilectiſſimæ Animæ, dies hodiernus memoriæ vivificæ Chriſti Salvatoris noſtri Paſſionis, quæ fuit ſalutis noſtræ principium: eſt enim id tam ſublime & ſingulare Myſterium, ut cordibus hominum ſemper inſculptum eſſe debeat; eamque ob cauſam unum ei quavis hebdomada diem Eccleſia Sancta deſtinaverit, cùm magna ſit ingratitudinis pars, tantorum oblviſci beneficiorum, & nihil hujuſmodi oblivione Deo ſit magis exoſum. Ideo nos, occaſione etiam præſentis viſitationis, pauca de ea, ex ipſamet Evangelii lectione, quam nunc audiviſtis, conſideremus.

Duo erant in Chriſto, amatiſſimi filii, duæ reperiebantur naturæ, divina ſcilicet, & humana; ſecundùm primam glorioſus erat & ſublimis Deus, Patri coæqualis, ſecundùm quam de ſe ipſo dicebat: *Ego & Pater unum ſumus* (b): Humanitate verò, omnibus noſtris ſubditus erat infirmitatibus & afflictionibus. Utramque naturam Apoſtolis ſuis, qui Mundi erant futuri Doctores, & Teſtes Evangelii ipſius, aliquando dum viveret, manifeſtavit: Deum quippe ſe eſſe oſten-

(a) Matreria Vallis non longè abeſt a celebri Cœnobio Sancti Petri de Clivate, & uſque ad Larii lacus partem, quæ Leucum attingit, protenditur, adſcripta Plebi Olginati.

(b) *Joannis X. v. 30.*

ostendit, inter cetera in Monte Tabor, cùm *transfiguratus est, & resplenduit facies ejus sicut Sol; vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix* (*a*); Humanitatis verò infirmitatem & plurimis factis comprobavit, & Apostolos suos etiam verbis edocuit: Sed utrumque diversimodè non sine maximo mysterio præstitit; nam tribus tantùm Apostolis gloriam in parte manifestavit, fragilitatis autem suæ miseriam, duodecim hodie Discipulis aperuit, unde Matth. XX. dicitur: *Et ascendens Jesus Jerosolymam assumpsit duodecim discipulos secretò, & ait illis: Ecce ascendimus Jerosolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget*. Quo loco summam attendite Christi Domini humilitatem, qui non immeritò dixerat: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde* (*b*); gloriam enim suam tribus tantùm, infirmitatem verò pluribus ostendit; ut discamus èt nos, si quid in nobis sit boni, si quid singularis, si quid rari, id occultum retinere, ac virtutis ignem humilitatis veluti cinere operire; si quid verò etiam insit, quod nos reddat contemptibiles, ac miseriam nostram exprimat, id liberè fateamur; nam *qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur* (*c*).

Sed cur Discipulis, quos adeò diligebat, tam lugubrem ac mœstum exitum prædicit? Non sine causis, filii, quarum fortè præcipua est, ut sic eos disponeret, ne, cùm Christi opprobrium ac ignominiam postea viderent, scandalizarentur, ac purum dumtaxat ipsum hominem esse existimarent: jacula namque prævisa minus feriunt, & quæ quisque prænoscit futura, ad ea fortiùs ac faciliùs armatur: & verè mira in hoc etiam Christi apparuit benignitas, quòd Apostolorum suorum infirmitatibus non modò præsentibus, sed etiam imminentibus, quibuscumque potuit rationibus, mederi studuerit. Verè fuerant hæc Apostolis prædicenda; nam si, quamvis ea multo ante præsciverant, adveniente tamen Passionis tempore, alii Christum negaverunt, alii eum inter satellitum manus fugiendo reliquerunt, alii post mortem eum resurrexisse non crediderunt: Ecquid fuisset, si eis Christus mortem suam non prædixisset? Arbitror quidem, quòd omnis ex eorum mentibus Fidei scintilla excidisset. Fuit ergo hæc Christi prædictio, Apostolorum præparatio ac dispositio, ex cujus quidem defectu plurima in nobis mala exoriuntur. Innumeris, quamdiu vivimus, expositi sumus calamitatibus; fluxa sunt quæcumque hìc possidemus; licèt multa habeamus, statim tamen perdere possumus,

(*a*) *Matth. XVII. v.* 2. | (*b*) *Ibid. XI. v.* 29. | (*c*) *Lucæ XIV. v.* 11.

mus, ac pauperrimi fieri; filiorum veſtrorum vitæ in manu Dei ſunt; mortem poteſt in eos quandocumque libuerit, mittere. Quod ergo remedium quis afferat, ut patienti ea animo, cùm nobis obvenerint, ſuſtinere valeamus? Ecce efficaciſſimum hic Chriſtus Dominus noſter innuit, cùm Apoſtolos præmonendo nos inſtruit, plurimum ad id conducere, ſi in die bonorum memores ſimus malorum; ſi numquam ita gaudeamus, quin ſtatim flere parati ſimus; ſi ita divitias poſſideamus & bona temporalia, ut iis illico privari non pigeat. Uxores ac filios ita diligant homines, ut, cùm tempus mortis advenerit, non immodicè doleant: *Qui habent Uxores, tamquam non habentes ſint; & qui flent, tamquam non flentes; & qui gaudent, tamquam non gaudentes; & qui emunt, tamquam non poſſidentes; & qui utuntur hoc Mundo, tamquam non utantur; præterit enim figura hujus Mundi* (*a*). Si hanc vitæ noſtræ fragilitatem ac varietatem homines ſæpe recogitarent; ſi meminiſſent, quia *numquam* homo *in eodem ſtatu permanet* (*b*), quia vapor eſt ad modicum parens vita noſtra; quot effugerent mala, quot vitarent peccata, quot blaſphemias, quot murmurationes, quot detractiones, quot oblocutiones, quot temeraria judicia, quot denique & quanta, quæ, quia præparati non ſunt, cùm adveniunt, graviùs homines feriunt? Non ſic affligeret grando aut tempeſtas, quæ omnes conſumpſiſſet ſegetes, ac ſemina etiam in terram jacta abſtuliſſet; non inopinata amicorum mors tantum dolorem afferret; non inſultantium in nos injuriæ atque calumniæ provocarent, ſi hæc multò ante expectarentur a nobis. Ecce igitur quia Chriſtus, quem Apoſtoli Deum eſſe crediderant, qui ejus doctrinæ aſſenſerant, moriturus, ac tantà ignominià notandus, hac ipſos munivit prædicatione: Et quidem, ùt attigimus, neceſſaria verè illis fuerat prædictio, magnum ſcandalum viſuris; nulla enim re, doctrinæ Chriſti fides omnis magis ablata fuiſſet, quàm ligno, quod in panem miſerant Phariſæi (*c*), nempe in vitam Chriſti Judæis ſcandalum facti (*d*); turpi eum morte inter latrones condemnari poſtulantes, ut ejus tamquam latronis doctrinæ nullatenus crederetur: cujus enim vita deſpicitur, ejus quoque prædicatio contemnitur.

Sed cupiebat etiam Chriſtus Dominus, tam ſingulare beneficium in hominum genus ſuo ſanguine collaturus, eorum, ac Diſcipulorum in primis ſuorum, per quos ceteri fuerant erudiendi, cordibus illud inſculpi; ideo id non modò jam, ſed èt aliàs prædixit Apoſtolis: felices

(*a*) *I. ad Cor. VII. v. 29. & ſeqq.*
(*b*) *Job XIV. v. 2.*
(*c*) *Jeremiæ XI. v. 19.*
(*d*) *I. ad Cor. I. v. 23.*

lices illos, ac verè felices, qui in medio cordis sui Christum Crucifixum habent impressum, e quorum animis numquam elabitur; est enim eis continua hæc recordatio, fortissimus clypeus ac armatura adversùm omnes Dæmonis insultus; si enim exurgat contra hujusmodi viros Diabolorum prælium, si adversùs eos tentationum castra consistant, hoc aggere firmissimo protecti, omnes eorum ictus facilè excipient; quin potius e cavernis illis Sanctissimarum Christi plagarum, in quibus erunt absconditi, eminùs hostes ferient, & a se procul pellent. Hæc Passionis Christi meditatio, durissima quæque reddet suavissima, difficultates omnes tollet. Quis non omnia, licèt asperrima, ferat æquissimè, ita secum cogitans: Christianus cùm sim, nonne Christi asseclam & imitatorem esse me convenit? Cur ergo, qua ille ambulavit viâ, non incedam? Ipse a Passione & morte transivit ad gloriam; unde èt de Passione hodie loquens, Resurrectionis prædictione suum concludit sermonem: Et ego ante gloriam quidquam pati recusabo? Spinis caput habet perforatum; manus & pedes clavis transfixos; *a planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas* (*a*); & ego totus in deliciis versabor? O si sciretis fratres, quàm sit jugis hæc meditatio Dæmoni exosa atque tremenda, semper in ea profectò versaremini; hæc namque Crux fuit, quæ vires ejus omnes debilitavit, quæ Infernum expoliavit, quæ in profundo ipsum abyssi ligavit, quæ animas ei ademit. Quòd si Diabolus materiales refugit Cruces, eum magis (mihi credite) corda perterrent, in quibus Cruces sunt spiritualiter insculptæ. O illos felices, qui id continuò possent meditari; qui vivificæ hujus Passionis semper recordarentur! Audeo dicere, quia impossibile esset quodammodo ipsos peccare. Te felicissimum, Christi Martyr Ignati, qui cordi tuo Jesu nomen intimè etiam insculptum habebas (*b*). Te beatissimum, Francisce Patriarca, qui Christi Stigmata portare meruisti, quæ paupertatem tuam ac mendicitatem, Imperatorum omnium & Regum

(*a*) *Isaiæ I. v. 6.*

(*b*) Vincentius Belloacensis in Speculo Histor. Lib. X. Cap. LVII. primus fuit, qui loquens de Sancto Ignatio Martyre, hæc scripserit: „ Hujus Cor, cùm minutatim divisum esset, nomen Domini Jesu Christi literis aureis „ inscriptum, ùt legitur, in singulis partibus „ inventum est; dixerat enim, se habere Christum in corde. „ Godefridus Henschenius in Actis Sanctorum Bollandi ad diem primum Februarii, ægrè huic narrationi fidem accommodat; tum quia exarari cœpit ab Auctore memorato, & Martino Polono, ultra mille & centum annos post obitum Sancti Ignatii, silente universa Græcorum & Latinorum antiquitate, apud quos mentio aliqua legi debuisset de tam illustri miraculo (si factum fuisset) ad gloriam Dei, tantique Martyris famam amplificandam; tum quia Græci tradunt de Sancti Ignatii martyrio, Carnem omnem a Leonibus comestam, & solidiora tantùm ossa relicta. Sanctus Carolus, qui de morum sanctimonia, non de Historicis quæstionibus solicitus erat, adhæsit testimonio Sancti Antonini, Bonini Mombritii, atque aliorum, qui rem hanc scriptis suis inseruere.

diadematis, & divitiis longè feliciorem reddiderunt! Et quid mirum, quòd tantis excellueris virtutibus; quòd tuî exemplo tam multos ad pœnitentiam converteris; quòd innumeris gentibus religionis habitum, & sanctam vivendi regulam tradideris; quando totus viva lex eras, quia regularum omnium perfectissima Regula non solùm in mente spiritualiter, sed in corpore etiam tuo visibiliter apparebat? *Christus passus est pro vobis*, fratres, *vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus* (a): Quò ergo Dux præcessit, Miles subsequi non audebit? Si Dux ipse nobis viam paravit, & aspera fecit plana; cur nos passionum viam ac tribulationum hilares non percurramus?

Si tam ergo studiosus fuit Dominus noster hujus memoriæ in Apostolorum cordibus insculpendæ, æquum est, filii, ut ea numquam nostris animis excidat. *Ecce*, inquit, *ascendimus Jerosolymam* (b). Magnam vox illa *ecce* emphasim habet. Ecce, Christiane, Ducem tuum; Deum tuum; eum, qui verbo cuncta creavit; eum, quem Angeli adorant, atque Archangeli; eum, coram quo sancta illa animalia procidunt, & clamant: *Regi seculorum immortali, invisibili, soli Deo honor, & gloria in secula seculorum. Amen* (c): Ecce eum, qui Diluvii aquis omne ferè hominum, & creaturarum genus extinxit; eum, qui *operit Cælum nubibus, & parat terræ pluviam* (d); cum, cui *venti, & mare obediunt* (e): Ecce eum, qui *manna pluit de Cælo* (f); eum, qui populum suum in columna ignis per desertum deduxit (g); eum, qui *equum & ascensorem projecit in mare* (h): Ecce eum, qui nutu omnia in nihilum potest redigere; eum, qui vivorum & mortuorum futurus est Judex; eum, quem tu toties anima infelix læsisti; cujus similitudinem repudiasti, & bestiarum imaginem maluisti; quem furtis, rapinis, & cupiditatibus tuis, veluti alter Judas prodidisti; quem odiis in fratrem ac proximum tuum, & conviciis, maledicentiis, ac detractionibus toties occidisti: Ecce; ecce: hunc intuere, in hunc oculos fige, hunc contemplare; hunc, qui *via, & veritas, & vita* est (i), qui *verba vitæ æternæ habet* (k), hodie audi loquentem: Et quid quæso dicentem? *Ecce ascendimus*. Facilè quidem descenditur, filii, sed non sine labore ascenditur; lata namque via est, quæ præcipites deorsum ad damnationem homines trahit; ardua verò, quæ per juga montium & aspera cacumina ad tam altam ac longinquam Cœli regionem eos ducit. Quia autem

(a) *I. Petri II. v. 21.*
(b) *Matth. XX. v. 18.*
(c) *I. ad Timoth. I. v. 17.*
(d) *Psalm. CXLVI. v. 8.*
(e) *Matth. VIII. v. 27.*
(f) *Psalm. LXXVII. v. 24.*
(g) *Exodi XIII. v. 21.*
(h) *Ibid. XV. v. 21.*
(i) *Joann. XIV. v. 6.*
(k) *Ibid. VI. v. 69.*

autem ad Paſſionem Dominus tendebat, ideo aſcendit; ideo ima & valles reliquit: proinde qui Chriſto adhærere volunt, aſcendant neceſſe eſt. In montibus tutus eſt, filii, inceſſus: at in Vallibus, ubi flumina ſunt & maria, o quot latent pericula, quot reptilia, quorum non eſt numerus! Et profectò licèt in altum Chriſtianorum hominum vita tendat, non tamen difficilis dici debet; eſſet quidem ardua, imo èt invia, ſi neminem haberent, qui viam illis præmonſtraret, ac eos etiam juvaret. At cùm is, qui *omnia portat verbo virtutis ſuæ* (*a*), gratià ſuà nos portet, quis arduam dixerit viam? Annon meminiſtis, quia ovem amiſſam Paſtor Chriſtus quærens, cùm reperiſſet, humeris ſuis impoſuit, ac ad ovile attulit (*b*)? Si nos ergo Chriſtus portat, quis adeò demens erit, qui de viæ difficultate queratur; quis adeò timidus, qui hilaris omnia etiam ardua non aggrediatur? ſi ipſemet Deus id aſſerit, cùm dicit: *Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum* (*c*). Sunt quidem in paſſionibus prærupta quædam ac ardua, ex quibus facilè in præcipitium homines ruunt; ſed ſi ſoli eſſent, id meritò timerent; verùm cùm *juxta ſit Dominus iis, qui tribulato ſunt corde*, quis dubitet, quòd non *humiles ſpiritu ſalvabit* (*d*)? At quando Dei mandata lata nimis non eſſent, ſed difficillima, res tantùm aſperrimas præciperent; eſſent profectò, filii, libentiſſimè ſuſcipienda, quoniam *momentaneum*, quod ad præſens patimur, *æternum operatur in nobis gloriæ pondus* (*e*). Nemini igitur in poſterum arduum ſit ad Deum properare, apud quem eſt fons vitæ, & omnium bonorum cumulus; in Deo diem incipere atque concludere, ejus auxilium manè implorando, & de acceptis ei ſerò gratias referendo. Neminem hodie pigeat dies feſtos omnes divino cultui dicare, crimina ſua crebrò confiteri, ſacratiſſimum Chriſti Corpus frequenter percipere; quando Chriſtus hodie tam arduum Crucis iter aggreditur. Cur materialem veſtram Eccleſiam, quam aliquot ab hinc annis inchoaſtis, perficere non curabitis, aliquo etiam veſtro cum incommodo? Tradidit pro vobis Chriſtus Animam ſuam, totum ſuum Sanguinem; & vos ei ſudorem, ac modicum ſubſtantiarum veſtrarum non hilares dabitis, ſcientes, quia *hilarem datorem diligit Deus* (*f*)? Ille tam amplam vobis in Cœlo gloriam præparavit; & vos, an ei detis modicum terræ, quam non eſtis vobiſcum hinc aſportaturi, *quoniam cùm interierit* dives, *non ſumet omnia* ſecum, *neque deſcendet cum eo gloria ejus*

(*a*) *Ad Hebr. I. v. 3.*
(*b*) *Lucæ XV. v. 4.*
(*c*) *Pſalm. XC. v. 15.*
(*d*) *Pſalm. XXXIII. v. 19.*
(*e*) *II. ad Corinth. IV. v. 17.*
(*f*) *Ibid. IX. v. 7.*

ejus (*a*), cogitabitis? Tobias, quòd tanta ab Angelo recepisset, filio dicebat: *Quid possumus dare viro isti Sancto, qui venit tecum?* Et *respondens Tobias dixit Patri suo: Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus* (*b*)? Sed èt ipsum Angelum alloquens junior Tobias dixerat ante: *Si me ipsum tradam tibi servum, non ero condignus providentiæ tuæ* (*c*); & ille quidem, quia filium ejus incolumem duxerat atque reduxerat. Vos autem, qui tanta a Christo accepistis, qui quidquid estis, ab eo habetis ut sitis, vestrarum substantiarum portiunculam ei tribuere, ejus ornandæ domui impendere, multum existimabitis; cùm si etiam pro ejus nomine quotquot tormenta pertulere Martyres, qui ab initio Mundi ad hæc usque tempora pervenerunt, vos soli subiretis, nihil tamen ei condignum referre possetis, & pretiosissimo ejus Sanguini, quem pro vobis effudit adeò copiosè?

Sed ut ad Domini verba, quæ innuebamus Apostolis dicta, cùm de futura Passione eos admoneret, redeamus; mirum sanè quoddam occurrit, quòd cùm apertè illis loqueretur, & clarè sine parabolis aut ambagibus diceret, quia Jerosolymis esset illudendus, flagellandus, & crucifigendus: ipsi tamen, ùt perhibet Lucas, nihil horum intellexerunt, & *erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur* (*d*); non quòd difficilia aut obscura essent verba, sed quòd parabolicè dicta aut per metaphoram ipsi existimarent. Admirationem etiam non modicè auget, quòd, cùm aliàs de Passione sua Dominus loquens dixisset: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum* (*e*), quorum verborum sensus, præterquam quod erat obscurissimus, ad alia multa poterat contorqueri, nihilominus tamen perfidi illi Pharisæi intellexerunt, & ideo responderunt: *Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum, & quomodo tu dicis: Oportet exaltari filium hominis* (*f*)?

Sed multum in hominum cordibus amor potest & odium: hi duo animi affectus tantam vim habent. Amabant tenerrimè Christum Discipuli, ideo, quod eis valde displicuisset, futurum minimè credebant. At Pharisæi, qui intestino illum odio prosequebantur, facilè mala omnia, quæ eidem ardentissimè cupiebant, futura credebant; sic veraci Prophetæ Micheæ, quia non juxta Regis beneplacitum prophetabat, Achab Rex fidem minimè adhibebat (*g*). Nempe excæcant hominum animos amor & odium; & quæ non sunt, videri

(*a*) *Psalm. XLVIII. v.* 18.
(*b*) *Tob. XII. v.* 1. & 2.
(*c*) *Ibid. IX. v.* 2.
(*d*) *Lucæ XVIII. v.* 34.
(*e*) *Joannis XII. v.* 32.
(*f*) *Ibid. v.* 34.
(*g*) *III. Regum XXII.*

videri faciunt ac si essent, quæ verò sunt, minimè credi. O quantum obest Avaris inordinata hæc auri cupiditas, de qua meritò Paulus: *Qui volunt*, inquit, *divites fieri*, *incidunt in tentationem*, *&* *in laqueum Diaboli*, *&* *desideria multa inutilia* *&* *nociva*, *quæ mergunt homines in interitum* *&* *perditionem*. *Radix enim omnium malorum est cupiditas*, *quam quidam appetentes*, *erraverunt a Fide*, *&* *inseruerunt se doloribus multis* (*a*). Tentatio sunt divitiæ in acquirendo; laqueus, cùm jam sunt acquisitæ: Et profectò, quàm duris funibus est irretitus Avarus, qui licèt sciat, injustè se opes comparasse, pauperum sanguine eas acquisivisse, restituendas esse, aliàs æternam sibi damnationem imminere; adeò tamen est strictè alligatus, ut extricare se nequeat; differat quotidie restitutionem facere, ac crescant in dies opes restituendæ. Repentè tamdem mors veniens eum in barathrum præcipitat, ac filios suos laqueorum, tricarum, & dolorum relinquit hæredes: & eò progreditur hæc maledicta cupiditas, ut *a Fide* etiam homines recedere faciat; nam cùm Fide Catholica doceantur, aliena retineri non posse, nec usuras exerceri, ablata restituenda esse, & id ipsi, cum ligati & illaqueati sint, pravæ eorum voluntatis vitio facere nequeant, eò amentiæ deveniunt, ut sibi ipsis hæc omnia vera non esse suadeant, ac *Magistros* sibi quærant *auribus prurientes* (*b*). Sic Avari multi evadunt hæretici & athei, insano auri amore id efficiente. Quis mercator turpi lucro mercimonia augens sua, Concionatorem pium, ac juxta Evangelii præscriptum de restitutione loquentem libenter audiat? At si in quempiam imperitum inciderit, qui ex sua sententia loquatur, quàm hunc attentè auscultabit? Et quàm *multis se* hujusmodi homines *inserunt doloribus*, quot exponunt periculis, hac auri cupiditate attracti! ut èt multi, quòd majus speretur lucrum, apud hæreticos mercaturam filios suos exercere velint, modicum opum augmentum pluris, quàm animam propriam facientes, quam manifestis periculis objiciunt. Et licèt aliqui etiam eò impietatis non progrediantur, sed justè mercaturam exerceant; tantùm tamen hic inordinatus affectus in eis potest, ut in divinis rebus, & ad animæ salutem spectantibus, ipsos saltem negligentissimos reddat. Hinc Sanctissima Sacramenta non frequentant, ad Ecclesias raro accedunt, Doctrinæ Christianæ Scholis non sunt assidui, ut tempus eis suppetat, quod terrenis negotiis impendant.

Sed non minus obest hominibus odii etiam affectus, filii, ac eorum mentibus tenebras offundit; unde rectè dictum a quopiam fuit:

(*a*) *I. ad Timoth. VI. v. 9.* *&* 10. | (*b*) *II. ad Timoth. IV. v.* 3.

fuit: *Impedit ira animum, ne possit cernere verum*, imo cæcum hominem facit, ut Dei vivam imaginem in fratre, quem odit, non videat; quin etiam stultissimum eumdem reddit, atque adeò temerarium, ut cum Deo pugnare non dubitet; qui enim pacem non habet cum proximo suo, neque habet cum Deo. Tristari illum facit de iis, de quibus esset gaudendum, fratris sui scilicet bonis, atque virtutibus; quod adeò grave peccatum est, ut inter ea connumeretur, de quibus dicitur, quòd *non in hoc seculo remittentur*, *neque in futuro* (*a*). Sed quàm bonum est, filii, diem videre, ac lumine frui! quàm miserum, Solis aspectu gaudere non posse! Si qui vestrûm cæci hactenus fuerunt, en hodie me, tria vobis medicamenta afferentem, quibus & visûs beneficium facilè recuperent, ac recuperatum non magno negotio conservent. Primum quidem erit Dominicæ Passionis assidua memoria ac meditatio; nam sicut serpentem æneum in sublime elatum quicumque aspiciebant, a venenatis morsibus curabantur (*b*); sic Christum Crucifixum quicumque Fide viva in corde gestaverint, ab omnibus etiam cæcitatis infirmitatibus sanabuntur. Secundum verò potentissimum medicamentum visûs recuperandi atque servandi, erit ipse met Medicus, ipse met Sol justitiæ, qui illuminabit abscondita tenebrarum, qui oculos vestros aperiet, quem vobis paulò post in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento manducandum proponemus. Tertium demum erit Chrisma Sanctissimum, quo Spiritus Sancti plenitudinem, qui eo hactenus uncti non fuerunt, recipient, quæ eis ad depellendas tenebras plurimum proderit. Tu Christe Salvator ac Redemptor noster, qui tot in terris inter homines vivens mirabilia signa fecisti, inter quæ cæcis etiam natis, divinitatis tuæ potentiâ, visum benignus reddidisti; redde, obsecro, hodie populo huic visum, effuga ab eorum oculis cupiditatis & odii cataractas, aperi oculos eorum, ut videant inimicorum agmina, eos omni ex parte circumstantium, & te verum justitiæ Solem aspiciant. Jesu Fili David miserere nostrì, quem nostrì amor e Cœlis in Virginis uterum, ex altissimo Solio Majestatis in patibulum Crucis attraxit; ut videntes videamus & intelligamus novissima nostra, ac a ventura ira fugiamus, qui vivis & regnas cum Patre, & Sancto Spiritu benedictus in secula. Amen.

HO-

(*a*) *Matth. XII. v.* 32. | (*b*) *Numer. XXI. v.* 9.

HOMILIA XLIII.

IN FESTO

VISITATIONIS

BEATÆ VIRGINIS MARIÆ

Habita in Ecclesia Præpositurali SS. Protasii & Gervasii Castelli (a) Diœcesis Mediolanensis

Sabbato Dominicæ IV. post Pentecostem

ANNO MDLXXXIII. II. JULII.



HODIE, dilectissimæ Animæ, sanctum illud Festum celebramus, quo colitur memoria Visitationis Beatissimæ Virginis Dei Matris, ad Elisabeth factæ. Ivit hodie Deo repleta Virgo, montes conscendens, viæ asperitatem contemnens, ad Elisabeth, ut cognatæ prægnanti præstaret obsequium; & instrumentum facta est Dei, ad Joannem adhuc in Matris utero latentem, Spiritu Sancto implendum. Prophetavit Elisabeth Mater, tota denique domus illa felix divinis est repleta muneribus. Venimus nos Christi Ministri hodie ad vos visitandos, montes superavimus, colles transivimus, multa viæ spatia confecimus; & Christum quoque vobis attulimus; ad domos vestras ipsi accessimus, ut vos Christo repleamus, ut descendat in

(a) Usque ad annum MDLXXXIV. Pagus iste Præpositurâ, & Collegio Canonicorum insignis fuit; sed cùm Sancto Mediolanensi Antistiti Carolo, nobilior commodiorque locus videretur ad Divina celebranda Officia proximum Leuci Oppidum, illuc Præpositum, & Canonicos transtulit anno memorato. Adnotatum id reliquit Glussianus in ejusdem Vita Libr. II. Cap. XI., nullâ tamen hujus translationis notâ temporis indicatâ. Ex Archivo Leucensis Ecclesiæ discimus, in sacra Diœcesis lustratione, quam suscepit anno MDLXVI., sese ad hunc Pagum contulisse S. Carolum, ibique Sacrosancti Concilii Tridentini Decreta promulgasse, quibus effectum est, ut Præpositus & Canonici, a quibus Divina Officia negligebantur, in ea Ecclesia residerent.

vos Spiritus Sanctus cum suarum plenitudine gratiarum. Magna idcirco vobis etiam suppetit causa lætitiæ, exultationis, & gaudii: sed ut gaudium vestrum adhuc magis impleatur, multiplici vos hodie convivio refecturi, panem in primis suavissimum divini verbi proponemus, eumque vobis rumpemus, ne a Domino nobis in Judicio dicatur: *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis* (*a*). Duo autem vobis panis fragmenta comedenda proponemus; sacram scilicet Evangelii lectionem, Festivitatis hodiernæ mysterium describentem; & paterna quædam monita inde desumpta, vobis plurimum profutura: quæ dum vobis apponimus, attentè vos ac diligenter excipite.

Egerat pluribus Gabriel Angelus cum Maria, de Verbi divini Incarnatione; Sanctissimæ ei Trinitatis legationem exposuerat, cui ipsa, Deo semper obedire solita, statim assensum præbuerat, dicens: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum* (*b*); & illico *Verbum Caro factum* fuerat. Cùm verò, in Mysterii hujus exemplum, Elisabeth sterilem & senem Angelus proposuisset, quæ èt ipsa filium conceperat in senectute sua, & mensis jam ei erat sextus; statim Maria non divinis incredula oraculis, sed Spiritu Sancto ducta atque compulsa, ad illius domum properavit post Angeli discessum. Sed, cùm Reges aut Principes a Regnis ad Regna digrediuntur, aut a Provinciis ad alias transeunt Provincias, quoniam eorum gressus omnes populorum sunt judiciis expositi, eò quòd in alto ipsi sublimitatis sint constituti; ideo varias multi profectionis illius causas exquirunt atque imaginantur. Itaque cùm Rex Cœli & terræ Christus cum Angelorum Regina Matre sua, hodie a Judæa in Galilæam profectionem instituant, æquum est, filii, ut nos populus ejus, & oves pascuæ ejus, itineris hujus causam perquiramus. Quis enim inconsultò susceptum dicere præsumat, quod ab eo, qui nihil umquam facit frustra, dirigitur?

Duabus verò præcipuis de causis hodie montes transgrediens, in Elisabeth domum Virgo Dei Mater proficiscitur; ac primùm quidem, ut prægnanti Elisabeth præstet obsequium. Statim ac Deo plena fuit Virgo, caritatis se totam dedit operibus, & quidem exultans ac cum festinatione. Sumus quandoque nos Divino Spiritu pleni, sancta proposita ac desideria concipimus, sed currere statim deberemus ad executionis effectum. Quot sunt, qui

(*a*) *Thren. IV. v. 4.* | (*b*) *Lucæ I. v. 38.*

qui divinas ſentientes inſpirationes, eas frigeſcere permittunt, ac paulatim deperdi? Quamdiu cor calidum eſt, filii, quamdiu ſancto fervet ſpiritus noſter igne, ſtatim eſt ad opus deveniendum, ne ſupervenientibus Mundi curis atque cogitationibus, fervor hic in cordibus noſtris a Spiritu Dei excitatus obruatur. Exurgent hodie, ſpero, multi a peccatis, dum ea dolentes confitebuntur, ac Dei vocibus per nos attracti, emendationis propoſitum concipient; ſed montana ſtatim petenda ſunt. Scitis quid ſit montana petere? Eſt *converſationem noſtram in Cœlis eſſe* (*a*); eſt *quæ ſurſum ſunt ſapere, quæ ſurſum ſunt quærere, non quæ ſuper terram* (*b*). Vallis lacrymarum eſt Mundus; *mons pinguis, mons coagulatus* (*c*) eſt Cœlum: etiam in hac valle conſtitutis licet, per piæ converſationis affectum, & mentis frequentem elevationem in Deum, eò conſcendere. Cœlum Deus creavit, & terram: terram quidem animalibus potiſſimùm homini inſervientibus; hominibus verò Cœlum: quod èt Ethnicus ille (*d*) noverat, cùm dixit: *Pronaque cùm ſpectent animalia cetera terram: Os homini ſublime dedit, Cœlumque tueri juſſit, & erectas ad ſydera tollere palmas.* Quantam ergo nobilitati ſuæ infert injuriam, qui tam nobilis Regni hæres eſſe cùm poſſit, jumentorum ſocius eſſe mavult? Creavit hominem Deus, ut ſummum bonum diligeret, & diligendo id conſequeretur, eoque frueretur; & ſuì ipſe inimicus ac proditor ſummo malo contentus eſt, ac in vallibus conſiſtens, *levare oculos ſuos* recuſat *ad montes, unde veniat auxilium ei* (*e*). Si quis ei bonum aliquod, licèt minimum atque leviſſimum, arriperet, ei profectò indignaretur, ac illum haberet inimicum, & ſumere vindictam ſtatueret: *Peccantem* verò *in animam ſuam quis juſtificabit? & quis honorificabit exhonorantem animam ſuam* (*f*)? Verè, filii, concludamus, quia nemo læditur, niſi a ſemetipſo; nullus major nobis eſt inimicus nobis ipſis, quando tantum honori noſtro detrahimus, ut cum ſerpentibus ac beſtiis habitare malimus in vallibus, quàm cum Deo & Angelis commoraturi, in montes cum Deipara Sanctiſſima Virgine conſcendere. Quid hìc conſiſtimus in exilio miſeri? quid in via moramur, *non habentes hìc Civitatem manentem, ſed futuram*, quæ in Cœlis eſt, *inquirentes* (*g*)? Cur Chriſtus mortuus eſt, cur tot inſtituit Sacramenta Sanctiſſima?

(*a*) *Ad Philipp. III. v. 20.*
(*b*) *Ad Coloſs. III. v. 1. & 2.*
(*c*) *Pſalm. LXVII. v. 13.*
(*d*) *Ovidii Metamorph. Lib. I.*
(*e*) *Pſalm. CXX. v. 1.*
(*f*) *Eccleſiaſtici X. v. 32.*
(*g*) *Ad Hebræos XIII. v. 14.*

ma? Annon ut gradus nobis essent, quibus montes conscenderemus? O altitudo divinæ vocationis, o demissio humanæ fragilitatis! Volunt homines postea, ubi se debent demittere, seipsos temerè extollere; at hìc, ubi omnibus sanctè licet, imo opus est quodammodo superbire, dignitatem suam ac finis sublimitatem considerantibus, depressi permanere patiuntur.

Abiit ergo *in montana* Maria *cum festinatione:* ubi Christianæ mulieres animadvertite; quia Maria nonnisi caritate coacta domo egreditur, hominum refugit aspectus; ubi verò necessariò in publicum prodire compellitur, currit atque festinat. Sic èt vos per oppida & vias evagationem fugiatis; non nisi, cùm ad Ecclesias, aut ad pium aliquod opus præstandum eundum est, domibus egrediamini, & tunc opertis ac velatis capitibus; in Ecclesiis verò præcipuè ob Angelorum reverentiam (*a*), videre fugiatis homines, & ab iis videri; hoc enim innumera mala producit. *Egressa fuerat Dina*, Jacob, & *Liæ filia*, nec malo quidem animo, sed *ut regionis illius mulieres videret;* ecquid hoc mali fuerat? aut quem illa læserat videndo? Et tamen sola hæc illius curiositas, totius attulit Civitatis excidium; nam *cùm eam Sichem Princeps Terræ Salem* (*b*), Regionis Cananæorum, *vidisset*, ejus statim amore captus, eà ad libitum suum est abusus; quod indignè ferentes Dinæ fratres, *filii Jacob*, *Simeon & Levi*, *arreptis gladiis ingressi sunt Urbem confidenter*, *interfectisque omnibus masculis*, *Hemor* patrem, *&* *Sichem* filium *pariter necaverunt*, *tollentes Dinam sororem suam de domo Sichem*. *Quibus egressis irruerunt super occisos ceteri filii Jacob*, *& depopulati sunt Urbem*, *in ultionem stupri* (*c*). Leve fuit Dinæ delictum, si ejus tantùm curiositatem inspiciamus; sed effectus considerate monstruosos inde provenientes: inde Virginis stuprum, inde filiorum Jacob furor & iracundia, inde tot hominum neces, inde Jacob cum filiis discedere est coactus, quòd omnium illarum gentium odium maximum incurrisset. Levibus, filii, principiis obsistendum est, vitandæ peccandi occasiones; qui enim amat periculum, peribit in illo, & *qui spernit modica*, in gravia *paulatim decidet* (*d*). Unde cùm oculi magnam animæ perniciem possint afferre, summâ sunt diligentiâ custodiendi; *mors* enim *ascendit per fenestras* (*e*), quas ideo occlusas retineri

(*a*) *I. ad Corinth. XI. v.* 10.
(*b*) *Genesis XXXIV. v.* 1. *& seqq.*
(*c*) *Ibid. v.* 25. *& seqq.*
(*d*) *Ecclesiastici XIX. v.* 1.
(*e*) *Jeremiæ IX. v.* 21.

tineri expedit. *Injecit oculos suos Domina in* servum suum *Joseph, & ait: Dormi mecum* (*a*). Vidit David Bethsabee lavantem se ex adverso super solarium suum (*b*), & missis nunciis suis tulit eam; & meritò profectò vir ille justissimus flens dicere poterat: *Oculus meus deprædatus est animam meam* (*c*); nec enim Eva calamitatum omnium nostrarum origo lignum contigisset, nisi incautè id priùs aspexisset. Unde oculorum corruptionem detestans Job Sanctissimus: *Pepigi*, dicebat, *fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine* (*d*). Et cur pepigisti fœdus justissime Vir? nempe, ne prius incautè aspiceres, quod postea invitus amares. Et certè timendi valde sunt omnibus oculi, qui quasi duæ sunt portæ in castro corporis nostri, quibus si dominetur Diabolus, illico erit èt dominus cordis nostri, ac per eas quæcumque in animam voluerit, scelera inducet.

Sed èt lingua est summoperè custodienda, a qua tot monstra etiam proficiscuntur, nempe blasphemiæ, detractiones, maledicentiæ, obscœnitates, & hujusmodi; unde qui linguæ pronitatem in malum noverat, dicebat: *Dixi: Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator adversùm me* (*e*). *Est* quidem *modicum membrum lingua, sed* totam *nativitatis nostræ rotam* corrumpit (*f*); ideo est sine ossibus, & semper humida, quia facillimè prolabitur in malum.; cujus custodiam nos ipsa parens natura, aut potiùs naturæ princeps Deus docuit, cùm eam dentibus & labiis, veluti quibusdam carceribus, inclusit. Sunt èt aures custodiendæ; neque enim sat est quempiam in Deum non conviciari, non blasphemare, non fratri suo maledicere; sed neque qui talia agunt, sunt a nobis audiendi, imo potiùs fugiendi, & torvis oculis aspiciendi, ut corporis etiam compositione ostendamus, quàm hujusmodi pessima horreamus. *Sepiendæ sunt spinis aures* (*g*), ut, sicut spinæ corpus pungunt & lacerant, sic conviciorum & detractionum aculeos effugiamus. *Omni* denique *custodia corda vestra servate* (*h*) filii, & filiæ; nam nihil in vobis est corde pretiosius, tum quoad corporis vitam, in qua id primò nascitur, & moritur ultimò; quàm quoad animæ etiam, secundùm quam *non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore* (*i*), idest ex cordis radice. Unde

(*a*) *Genes. XXXIX. v. 7.*
(*b*) *II. Regum XI.*
(*c*) *Thren. III. v. 51.*
(*d*) *Job XXXI. v. 1.*
(*e*) *Psalm. XXXVIII. v. 2.*
(*f*) *Jacob. III. v. 5. & 6.*
(*g*) *Ecclesiastici XXVIII. v. 28.*
(*h*) *Proverb. IV. v. 23.*
(*i*) *Matth. XV. v. 11.*

Unde cùm multos habeamus inimicos, eosque potentissimos, qui omnes cordi nostro insidiantur, & nil aliud impensè curant, nisi ut id nobis surripiant, vigilandum est diu noctuque, diligentissimâ custodiâ. Ideo, sicuti in medio Civitatis Arx est, & in Arcis medio Regia domus; sic in corporis nostri centro cor est: hoc Dæmones mille impetunt sagittis, in hoc Mundus jaculatur, huic perpetuò Caro insidiatur; in hujus direptionem omnia conspirant, hujus perniciem omnia appetunt. Miserum cor! Et dormiendum vobis super hujusmodi esse putabitis? Minimè profectò. Sed quantum in vobis est, vigilare in primis vos expedit, ac id custodire; quod facilè assequemini, si sensuum portas, quæ ad id ducunt, custodieritis, inimicos ab eis arcentes; nam & ad eas stat vestrì amantissimus Christus, & pulsat (*a*), sibi aperiri cupiens. Duo namque Reges cor hoc nobilissimum appetunt, Rex scilicet tenebrarum Princeps Mundi hujus, & Salvator noster Christus, ut paulò post audietis. Huic aperiendæ sunt fores; illi verò, & omnibus ejus legatis occludendas esse, hodie Virgo Sacratissima docuit, cùm in publicum prodire coacta, ad exhibendum caritatis officium festinavit, insinuans omnibus, eas esse fugiendas occasiones, quæ peccandi periculum secum habent adjunctum.

Alia etiam de causa festinanter abiit Maria ad Elisabeth; nempe, quia inclusus in ejus utero Deus eam festinare compellebat. Descenderat Dei Filius in terras, ut peccatum debellaret, ut id omnino eradicaret. Animarum venerat exercere mercaturam; unde nondum natus, Joannis animam festinat lucrari, ac ab originali eam emundare delicto, & tantâ eum Spiritus Sancti gratiâ replere, ut numquam, quamdiu vixit, mortalis alicujus fuerit peccati labe fœdatus. Quam profectionis hujus celeritatem Propheta Sanctissimus Isaias prædixerat, cùm postquàm dixisset: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium* (*b*), de Christi Domini loquens nativitate, subdidit statim: *Accelera spolia detrahere, festina prædari. Quia ante quàm sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ, coram Rege Assyriorum* (*c*), hoc est: auferet Christus vires Diabolo, & prædam ab ore ipsius extrahet. Cùm ergo tam ardenter salutem hominum sitiret, qui eos venerat redempturus, quid mirum si sacra Virgo, impellente Filio, quem felici utero gestabat, tanta festinatione ad sterilis Elisabeth filium sanctificandum, & ab originali peccato purgandum, & Spiritu Sancto replendum

(*a*) *Apocal. III. v.* 20. | (*b*) *Isaiæ VII. v.* 14. | (*c*) *Ibid. VIII. v.* 3. & 4.

dum properat? Libet hic, filii, immensam Dei in nos caritatem perpendere; neque enim, ubi ullus ejus recogitandæ locus sese offert, sicco pede prætereundus est. Complectuntur se invicem in Deo misericordia pariter & justitia; per eam ad nostri incedit auxilium; per istam verò, quos diu sustinuit, ad eos pergit puniendos. Sed quàm dissimili utrobique gradu incedat, animadvertamus; plurimum enim ea nobis diversitas proderit. Cùm ad puniendos propter inobedientiæ crimen primos parentes nostros Dominus venit, dicitur in Literis Sacris (*a*), quòd *deambulando ad auram post meridiem* venit: quod quidem Dei *deambulare*, & *post meridiem auram* captare, quid aliud est, nisi furoris sui æstum suavissimo clementiæ flatu temperare; & lento gradu, hoc est non celerem non alacrem neque præcipitem, sed quodammodo invitum ad vindictam sumendam procedere? At verò cùm ad salutem hominibus reddendam venit, quonam modo venit? Ecce nondum natus, hodie festinat, quia *exultavit ut gigas ad currendam viam a summo Cælo* (*b*): Hujus dissimilitudinis ratio nimirum fuit; quoniam illuc ad vulnera infligenda, huc ad sananda venit; illuc ad judicandum, huc ad miserandum; illuc ut hominem a Paradiso expelleret, huc ut homini ad Cœlum aditum aperiret: ideoque illic tepet, hic fervet; illic puniturus deambulat, hic servaturus miseros velociter currit, atque festinat; ut sic ejus in puniendo tarditatem, in servando autem alacritatem possimus agnoscere. Cur, quæso, tanta velocitate ignis sursum evolat, terra deorsum præceps fertur, nisi quia id illius levitati, hoc hujus gravitati connaturale est? Quid igitur mirum, si is, cui proprium est misereri semper & parcere, qui summè bonus cùm sit, summè se omnibus pro eorum captu communicare cupit atque diffundere, Matris adhuc virginali inclusus ergastulo, ad misericordiam Joanni exhibendam festinat? O quanta deberet esse Pastorum festinatio, ubi de animabus e Dæmonis faucibus eripiendis, & a peccato liberandis agitur? Nocte & die per montes & valles, per pluvias & æstus, inter latrones & prædones, omnia nihili facientes, quomodo festinare deberent; ut Sancta Mater Ecclesia, Christi Sponsa, eorum fidei commissa, de iis in extremo Judicio, Sponso suo dicere posset: *Ecce isti venerunt salientes in montibus, transilientes colles: similes fuerunt dilecti mei* Pastores *capreæ*, *hinnuloque cervorum* (*c*). Auditur a nobis, aliquos vestrûm peccatis immersos esse, in divinis operibus tepidos ac negligentes; & ubi vobis ad pœnitentiam vocandis, nostra proderit visitatio, æstivum-ne tempus nobis

(*a*) *Genesis III. v. 8.* | (*b*) *Psal. XVIII. v. 7.* | (*c*) *Cantic. II. v. 8. & 9.*

bis fuerit timendum, viæ longitudo aut asperitas formidanda? quin potiùs non omnia subeunda pericula, mors etiam ipsa liberè appetenda, ut Depositum nobis sub tanta custodia commissum servemus, ut oves fidei nostræ traditas salvemus? Numquid Avaris, & Mercatoribus negligentiores nos erimus, qui, ut terrenas opes cumulent citò perituras & fluxas, innumeris se inserunt doloribus, neque pluviis retinentur, neque ardentissimo æstu, quin ad nundinas properent? Et nos, qui animarum mercaturam exercemus, nonne vitam & sanguinem profundemus? nonne nos ipsos impendemus, & super impendemus? Nonne, sal cùm simus, ut animæ per nos sale condiantur, liquefieri, ac in nihilum redigi optabimus; quando cœlestis Mercator Christus a summo Cœlo per tot prærupta descendit, & in tam longinquas se contulit regiones, in quibus & sanguinem, & vitam, & quidquid habuit, quod relinquere potuerit, libentissimè profudit? Sed et vos omnes, quorum res agitur, quàm expedit esse in procuranda salute vestra solicitos, quàm ad pia opera festinare, ubi proponantur, quæ Deo placeant, agenda; cùm maximè promptitudine hac Dominus tantùm delectetur, ut eum, qui citò dat, bis dare existimet! Ubi ad eleemosynas largiendas pauperum precibus excitamini, festinate, filii, & *ne protrahatis datum angustianti* (*a*). Ad pœnitentiam vos Dominus vocat? festinate, & ne differatis eam in senectutem; qui enim scitis, an ad eam sitis perventuri? Pia legata vobis parentes vestri imposuerunt? ea citò persolvite, nec filias priùs in matrimonium collocare velitis, & post, Deo & Ecclesiæ aut pauperibus Christi membris satisfacere: primum enim in omnibus jus competit Christo; ideo omnibus præferendus est. Præterquam quod, *quærenti primùm Regnum Dei, & justitiam ejus*, cetera *omnia adjicientur* (*b*). O infelices illos, qui ad hæc persolvenda sunt tardi! Scitis enim, quid sit aliena retinere? quid sit, non sua domi habere? Est serpentes in sinu nutrire; est proprios carnifices alere; est ignem ardentissimum in medio rei domesticæ collocare, nam sicut ignis apposita sibi facilè consumit ac devorat, sic per nefas acquisitæ opes aut retentæ, legitimè etiam comparatas absorbent & incendunt: *substantia* enim *festinata minuetur; quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur* (*c*); est demum maledictionis & mortis hæredes filios relinquere.

Non sic, filii, non sic: non procrastinanda sunt hæc, non de die in diem differenda; nec enim sufficit, probis repleri desideriis; cupere quidem restituere, sed ad id numquam devenire; velle quidem

(*a*) *Ecclesiastici IV. v.* 3. | (*b*) *Matth. VI. v.* 33. | (*c*) *Proverb. XIII. v.* 11.

dem pœnitere, sed numquam pœnitentiam agere; pigris enim hi similes sunt, qui volunt, & non volunt (*a*); & tepidis, ad quos iratus Dominus dicit: *Utinam frigidus esses, aut calidus; sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo* (*b*). Hujusmodi verò probis votis, numquam ad opus perductis Infernus redundat. Ideo èt apud Evangelistas, in extremo Judicii die multa hujusmodi hominibus comminaturus est Dominus, dicens: *Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus* (*c*)! hoc est qui proposita bona plurima conceperint, sed numquam enixi fuerint. Sed festinate filii cum Maria hodie & Christo, ad salutem in primis vestram, tum etiam aliorum procurandam.

Quòd si attentiùs Mariæ Sanctissimæ profectionem hodiernam consideremus, inveniemus adhuc quod nobis admodum sit profuturum. Nam sicut beatissima Dei Mater, licèt tenella Virgo, & domi permanere assueta, cùm primùm iter aggreditur, montes & laboriosa loca invènit, nec his omnibus ab incœpto destitit; sic èt vos, si aliquod virtutis opus facere incœperitis, scitote, multos labores paratos vobis esse, multa obstacula & impedimenta, quæ omnia forti animo superare debetis. Unde cùm tota Christianorum vita sit quædam per montes arduos via, quos non sine sudore atque labore conscendere possumus, ad eos præparari a Domino monemur, cùm dicitur: *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem* (*d*); *omnes* namque, *qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur* (*e*). Neque verò umquam, difficultatis causà, a bono incœpto vobis est discedendum, ne Israëlitis similes sitis (*f*), qui audientes fertilitatem Terræ promissionis, gavisi sunt valde, & se ipsos paraverunt ad possidendum eam, & ad prœliandum; at postquam difficultatem & laboriosum iter inspexerunt, ingenti sunt timore perculsi. Vellent multi, non ignoro, ad Cœlum pervenire; sed deliciosè viventes, sed curru vecti, sed per amœna prata iter agentes. Verùm stulti hi sunt & amentes: nam Cœlum, quò ipsi aspirant, ùt videtis, altum est atque sublime; montes igitur, antequam eò perveniatur, sunt conscendendi; frustra enim Romam properare desiderat, qui Gallias versùs contrario itinere proficiscitur. Quòd si quis vestrùm, utpote peregrinus, tramitem ignorat, per quem Patriam illam attingat, a Maria hodie, quæ cœlestis erat, & quæ Cœli Regem utero retinebat inclusum, viam

(*a*) *Proverb. XIII. v. 4.*
(*b*) *Apocal. III. v. 15. & 16.*
(*c*) *Matth. XXIV. v. 19.*
(*d*) *Ecclesiastici II. v. 1.*
(*e*) *II. ad Timoth. III. v. 12.*
(*f*) *Numerorum XIII. & XIV.*

petat; & quando ipsa etiam eò properat, cùm in montana abit, sequamur èt nos.

Et profectò non possum hìc, fratres, non mirari summam Mariæ humilitatem, quam nec mox acquisita supremæ dignitatis inexcogitabilis amplitudo quicquàm extulit, imo reddidit humiliorem; & meritò, quando quidquid erat, humilitate fieri meruerat, *quia respexerat Dominus humilitatem* ejus; *ecce enim ex hoc beatam* eam *dicent omnes generationes* (a). Virgo erat, Dei Mater effecta, Angelorum Domina, Cœli Regina, & ad servam Elisabeth prægnantem non dedignatur accedere; imo èt domum intrans, eam primam salutat; ac tres ferè integros menses apud illam constitit, quo temporis spatio, cogitate vos obsecro, quot ipsa humilitatis officia gesserit; quæ quidem licèt in Evangeliis ad unguem descripta non sint, ab humillima tamen Virgine nonnisi omnia ejusmodi possunt expectari. Crediderim ego, eam Cognatæ prægnantis domum everrere solitam, vasa & linteos abluere, cibos parare, lectum sternere, & hujusmodi alia, quæ in domibus ancillulæ facere consueverunt; cùm se non alio quàm *Ancillæ* nomine nuncupavisset. Obstupescite hìc Cœli, obstupesce terra, tantam Dei Matris in utero Verbum æternum gestantis demissionem. O execranda mulierum superbia confundere, erubesce, abscede. Quid te, mulier, nobilem jactas? Quæ nobilior Marià de regia stirpe David? Quid divitem? Quæ ditior Marià, omnes divitiarum thesauros in utero habente? Non dico in campis amplissimas messes habente, quas grando ac tempestas, & hujusmodi mille possunt penitus consumere; non dico aureos annulos & torques, ac auri plurimum & argenti in domibus & in capsis habente, quæ omnia fur statim surripere potest; sed divitiarum omnium thesaurum, Regem gloriæ Christum Deum, in visceribus continente. Quid pulchram dico? Quæ pulchrior Maria, de qua dicitur: *Tota pulchra es Amica mea, & macula non est in te* (b)? Quid sapientem? Quæ sapientior Maria, in qua sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei? Erubesce igitur vilissima mulier; erubescite vilissimi homunciones superbire, quando amplissima Dei Mater, vilissima quæque non dedignatur exequi, cujus *voci dedit Deus vocem virtutis* (c). *Factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus; & repleta est Spiritu Sancto Elisabeth, & exclamavit voce magna* (d), ac prophetavit. Novit adhuc Infans Joannes in

(a) *Lucæ I. v.* 48.
(b) *Cantic. IV. v.* 7.
(c) *Psal. LXVII. v.* 34.
(d) *Lucæ I. v.* 41.

in utero constitutus advenientem ad se Dei Filium, ac se sanctificantem, & intellectum quidem suum in primis illuminantem, & voluntatem quoque caritatis ardore inflammantem. In quo sanctissimi Infantis jubilo observatu dignissimum est, quòd non solùm cordis gaudio, sed etiam corporis motu reveritus est præsentiam Majestatis; amor enim, quo a Spiritu Sancto fuerat inflammatus, per inferiores vires animæ effusus, in corde gaudium excitavit, a quo deinde infantilia membra commota sunt, ut nondum natus cum Propheta dicere posset: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum* (*a*). Cujus exemplo docemur, filii, non solùm interno, sed etiam externo benignitatis studio Deum colere, cùm amor Dei numquam ociosus esse possit. O verè imitandam Joannis exultationem, cùm tot & tanta Dei dona percipimus! O beatissimum Joannem, qui necdum natus, in utero fuit sanctificatus; cujus animam numquam Dæmon possedit; qui Deum numquam offendit, aut lethali aliquo peccato læsit! Sed quando id nobis minimè concessum est; felices saltem illos, qui a teneris annis se divino cultui mancipant, qui ætatis suæ florem Domino dant, qui de primitiis frugum suarum acceptissimum ei offerunt sacrificium!

Elisabeth demum Sancto Spiritu repleta prophetavit dicens: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui* (*b*). Verè *benedicta*, quia *benedictus fructus ventris tui*; alios namque fructus nobilitant arbores; tibi vero fructus nobilitatem attulit. Eva mortifero ac venenato fructu universum terrarum orbem infecit; tu *benedicto fructu*, salutem universo Mundo attulisti. *Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me* (*c*)? ut ad miseram servam Angelorum Regina, ad vilem fœminam Dei Mater accedat? Sed multò hæc vos, dilectissimi filii, magis dicere hodie duplici de causa debetis, non quidem Dei Matri, sed ipsimet Deo, dupliciter ad vos hodie ingredienti: *Unde hoc mihi, ut veniat Dominus meus ad me?* Venit enim primò per nos, qui ejus sumus ministri, & legatione pro Christo fungimur, in Visitatione hodierna Dominus Deus; quare debetis ei vos occurrentes dicere: Unde hoc nobis ingratis, ut ad nos venias? Obliti nos hactenus fuimus tuì; sed non tu nostrì, qui nos per eos, in quibus inhabitas, visitare dignaris. *Quid est homo*, Domine, *quòd memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum* (*d*)? Dormiebamus nos; a peccati somno mittis

(*a*) *Psalm. LXXXIII. v.* 3.
(*b*) *Lucæ I. v.* 42.
(*c*) *Ibid. v.* 43.
(*d*) *Psalm. VIII. v.* 5.

excitatùm. In tenebris errorum versabamur; tu verbi tui lumen ad nos transmittis; tu cœlestia nobis tua dona distribuis. Unde hoc nobis? unde hoc nobis? At adveniente etiam ipsomet Christo Dei Filio glorioso, in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, o quàm hic vos expedit in ecstasim rapi! Clamabat Petrus: *Exi a me, quia homo peccator sum, Domine* (*a*). Clamat Centurio: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum* (*b*); & tamen in illius solùm navim, in hujus item domum intrabat. Verùm venienti in animas vestras, in corpora vestra, ut vobis manducantibus spirituale epulum fiat, quid dicetis filii? Nil aliud certè, nisi *unde hoc mihi?* Unde; ex quo meo merito, qui nihil boni feci, sed plurimum mali? unde hoc, ut tu ad me pascendum miserrimum peccatorem, ad me tibi uniendum venias, non per ministros tuos solùm, non gratiarum tuarum tantùm communicatione, sed tu ipsemet Deus, Cœli & terræ Rex ad me pulverem, cinerem, vermem, indignissimum peccatorem, te quotidie offendentem, qui te millies provocavi? Unde, unde hoc? Non aliunde profectò, nisi ex infinita caritate ac dilectione tua, quæ te de Cœlis traxit in terras, quæ te tot pro me labores ac ipsam etiam mortem pati impulit. Quid ergo tibi Domine pro tam multis retribuam? An aurum, an opes meas, quibus tu nullatenus indiges? Non aliud profectò, nisi cor meum, imo potiùs tuum, quod a te accepi, quod tibi omnibus de causis debetur, utpote a te ex nihilo creatum, &, cùm amissum esset, tanto pretio Sanguinis redemptum. Pudet quidem, illud adeò sordidum & immundum ac carneum tibi, qui mundissimus spiritus es, offerre: sed qualecumque est, tuum sit totum in posterum; nullam sibi ejus partem Dæmon, aut Mundus vendicet; tu tantùm sis Deus meus mihi, & ego tibi. Jam non ampliùs aurum, aut carnem, aut aliud quidpiam, sed te solum Deum verum adorabo; ut filius obsequentissimus tibi in omnibus obtemperabo. *Respice in me, & miserere mei*, Domine, *quia unicus & pauper sum ego* (*c*). *Et ne despicias opus manuum tuarum* (*d*), nec des alteri nominis tui honorem; sed ego tibi jam unitus nullo umquam tempore a te divellar, ut tecum hic vivens, tecum sine fine merear regnare. Amen.

HO-

(*a*) *Lucæ V. v.* 8.
(*b*) *Matth. VIII. v.* 8.
(*c*) *Psalm. XXIV. v.* 16.
(*d*) *Psalm. CXXXVII. v.* 8.

HOMILIA XLIV.

IN EVANGELIUM LUCÆ CAP. XVII.

DE DECEM LEPROSIS.

Habita Leuci (a)

Dominica V. post Pentecostem

ANNO MDLXXXIII. III. JULII.



ISERANDUM spectaculum proponit hodie nobis sacri lectio Evangelii, dilectissimi filii, quorumdam hominum graviter infirmorum, & lepræ morbo laborantium, quæ tot miseras habet conditiones adjunctas; & quia Medicorum arte insanabilis est, & visu fœda, ac abominabilis & contagiosa, ideo ceterorum privans commercio: qua de re èt hi extra Castellum morari cogebantur ex lege Moysis (b). Sed si mentis oculos aperiremus, & spiritualem animæ lepram, peccatum videlicet intueremur, o quàm longè miseriores ejus animadverteremus conditiones! Quàm difficiliùs id curatur! quam fœdos ac turpes homines reddit! quàm denique morbus hic ceteros inficit! Sed compatitur benignissimus & misericors Deus infirmitatibus nostris: & qui sanare venerat quod fuerat infirmum,

(a) De hoc celebri Oppido in ora Larii laeus elegantem descriptionem inseruit Paulus Jovius Libro suo inscripto *Larius*; ait enim: „ Leucum munitionis famâ, & fori celebritate „ frequentatum, a Clarentio, & Calendono „ amnibus includitur. Cingitur muro, & pro„ pugnaculis, arceque turrita ad Portum op„ portunè firmatur, nam in proximo sunt Ve„ neti imperii limites. Inde Abdua e Lario „ auctiores undas trahens, se ipsam rapit, per„ venitque ad incomparabilis structuræ pon„ tem, quem tribus inter se divisis exemptili „ ponte castellis, & turribus, totidemque Cu„ stodum fidei commendatum, Vicecomites ani„ mi magnitudine priscis Romanis comparan„ di, ab hinc ducentis annis ædificarunt. Aloysius Tattus in Sacris Annalibus Comensibus, Italicè impressis, ad annum MCCL. refert, Leuci Comitatum, fuisse dono datum ab Ottone II. Imp. Adelgisio Comeosi Episcopo anno DCCCCLXXVIII.; legiturque ejusdem Diploma tuio in Tatto, tum in Ughello. Postmodum verò subjungit, anno superiùs enunciato excisam fuisse a Mediolanensibus Leucensem Arcem, ac totum Oppidum prædæ militum datum. Paret in hunc diem Mediolani Principibus, qui restaurata hujus loci mœnia militari præsidio muniunt; Ecclesiæ verò jura ad Mediolanensem Archiepiscopum spectant.

(b) *Levitici XIII. v. 2. & seqq.*

mum, mundare quod immundum, sanctificare quod inquinatum, decem illis Viris corporis perfectam restituit sanitatem atque munditiem; sic èt peccati leprâ detentos sanare semper paratus est. Verùm quoniam confido, vos Deo dante jam curatos esse, atque redditos mundos, ex sacri Evangelii brevi discussione viam ac methodum eliciemus curandæ hujus infirmitatis, ac quid ab iis, qui curati fuerint, requiratur, examinabimus. Utile erit admodum quod dicemus: Ideo vos attendite.

Iturus Dominus Jesus in Jerusalem transibat per Samariam, & Galilæam. Hic erat solitus Domini Salvatoris nostri mos, Regiones ac Civitates semper circuire: nam sicuti ejus adversarius Satanas *circuit* semper *tamquam Leo rugiens*, *quærens quem devoret* (*a*), & ovili huic insidiatur; sic bonus Pastor Christus Dominus circuibat semper, quærens omnibus salutem afferre; quo Pastores omnes animarum erudiebat, quàm diligenter huic visitationis officio esset insistendum; & ipse interim verus Sol Justitiæ Orbem terrarum circuibat, ut caloris sui atque splendoris beneficia cunctis impertiret. Hæc autem fecit ultima Christi profectio a Capharnaum Jerosolymam versùs, quò accessit Patris voluntatem adimpleturus, & universum genus humanum turpissima morte redempturus. Et quoniam animas peccati leprâ mundaturus erat, ideo leprosis decem occurrentibus sanitatem restituit. Ejus autem itinera universa miraculis atque mysteriis plena erant; ideo namque de oppido in oppidum, de civitate in civitatem transibat, ut omnibus subveniret, omnibus adesset, occurreret singulis, consolaretur omnes, atque ad pœnitentiam variis exhibitis beneficiis, collatis muneribus, præstitis promissionibus, ac etiam pœnarum comminatione alliceret. Tam cordi ei erat hominum salus: tam nobis Pastoribus esse deberet spiritualis animarum profectus. Idcirco mirari nemo deberet, quòd toties visitemus; & pro nobis, quando nos minimè possumus, alios mittamus, ac tam multa statuamus: cùm *opportunè & importunè*, *coram Christo*, *qui judicaturus est vivos & mortuos*, nobis Paulus testificetur (*b*), debere nos ovibus nostris attendere, ac id ipsemet Christus exemplo suo in primis, tum etiam verbo docuerit, dicens: *Compellite* eos *intrare* (*c*). Dum iret ergo Dominus in Jerusalem, transibat per mediam Samariam, & Gali-

(*a*) *I. Petri V. v.* 8.
(*b*) *II. ad Timoth. IV. v.* 1. *&* 2.
(*c*) *Lucæ XIV. v.* 23.

Galilæam; qui enim & Judæos salvare venerat & Gentiles, per mediam Samariam, & Galilæam transibat. Sed advertite, quia ad Patrem iturus transibat, non immorabatur; ut sciamus, nobis ad Cœlum properantibus non esse in Mundi diversorio immorandum, sed transeundum dumtaxat; peregrinamur enim omnes, quamdiu vivimus, ad Patriam cœlestem; & iis, quæ hìc nobis apposita sunt, utendum est tantùm juxta Apostoli monitum: *Tempus breve est; reliquum est, ut & qui habent uxores, tamquam non habentes sint; & qui flent, tamquam non flentes; & qui gaudent, tamquam non gaudentes; & qui emunt, tamquam non possidentes; & qui utuntur hoc Mundo, tamquam non utantur* (*a*). Inde namque Augustinus Sanctissimus malorum omnium originem duci scripsit, quòd utendis tantùm fruamur, fruendis verò utamur; & quòd non per Samariam, & Galilæam, ùt Christus fecit, transeamus, sed in via diutiùs moremur. Verùm èt per Samariam transiens erat, quoniam Samaritani Idolorum erant cultores, Dei veri cultum negligentes; ideo hujusmodi hominum, qui ad Domini contemptum varios sibi confingunt Deos, ùt aurum avari, corpus suum & carnem luxuriosi, honores & pompas superbi, commercia fugienda esse nos docuit, & per eos neque transeundum, ne *commisti inter gentes, discamus opera eorum* (*b*); imo etiam, si quando inter infideles aut hæreticos nos transire contingat, nec ave quidem eis dicendum, ne *corrumpant bonos mores* nostros eorum *prava colloquia* (*c*).

Occurrerunt ergo ingredienti Domino *decem leprosi*, extra Castellum positi, quòd eorum fugerent homines commercia. Miseranda sanè res est, corporis lepra; sed peccatum, animæ infirmitas longè miserior, eòque magis deflenda, quò corpori præstat anima. Corporis lepram Medicinæ ars curare nequit; animam verò a peccato mundare quis valet, aut *quis potest facere mundum de immundo, nisi solus Dominus Deus* (*d*)? Et putatis fortè, parvam rem esse aut levem, a peccato animam liberari? Certè longè majus est ac difficilius, & majori dignum admiratione, quàm Mundum universum, & mille Mundos ex nihilo creare; magis namque distat a Deo peccatum, quàm nihil ab esse; minor est peccati ad gratiam, quàm nihili ad esse proportio. Lepra contagiosus est morbus; at verò peccatum, quàm sui

(*a*) *I. ad Corinth. VII. v. 29. & seqq.*
(*b*) *Psalm. CV. v. 35.*
(*c*) *I. ad Corinth. XV. v. 33.*
(*d*) *Job XIV. v. 4.*

suî contagio inficit omnes! Interrogate omnes homines, interrogate vos ipsos, an inficiat peccatum, quod a primis nostris parentibus, divini transgressione præcepti, commissum transivit in posteros omnes. Ipsi *comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt* (a); ideo ėt cum impiis familiaritas fugienda præcipitur, ne cum perversis pervertamur. Unum quippe peccatum secum attrahit aliud, & *abyssus abyssum invocat* (b), donec ad Dei perveniatur contemptum, atque propriæ animæ oblivionem. Quo loco consideratione sanè dignum videtur, quàm sint homines soliciti ac diligentes in effugiendis morbis contagiosis, iisque reprimendis, ne omnes inficiant; quot adhibeantur vigiles custodes in locorum confinibus, ne qui eo morbo detenti sunt, aut inter illos degerint, ad sanos transeant, seu eorum res & bona deferantur. Et in effugiendo animarum contagio adeò segnes sunt homines, adeò animarum commoda negligunt? O patres, o matres, ad vos maximè hoc spectat, filios vestros ac filias diligenter custodire, ne inficiantur, ne pravorum hominum conversationibus corrumpantur, ne quamdiu tenellæ arbores sunt, contorqueantur, ac in malam partem flectantur. Investigare debetis, quibuscum sermones misceant atque versentur, quò vadant, aut cum quibus communicent. Sed ėt communis omnibus cura esse debet de omnium filiis rectè educandis; idonei ac probi sunt deligendi magistri, qui eos non modò literas doceant, sed ėt in bonis moribus ac pietate Christiana instituant. Cùm prava aliqua consuetudo irrepere cœperit, omnibus modis obsistendum, ne propagetur aut crescat; sed ei in ipsis initiis radices omnes amputandæ. Dæmoni aditus præcludendus, qui ideo serpenti similis dicitur, quòd, ubi caput intruserit, facilè reliquum corpus ingerat; nisi enim vitiorum principiis obsistatur, serò postea medicina parabitur; adeò namque proni sunt hominum sensus, præsertim verò in tenera ætate, ad malum, ut si illud gustare permittantur, utpote quòd dulce videatur pravæ ac corruptæ naturæ, facilè ebibant totum, nec sub fallaci mellis dulcedine latitans virus agnoscant. Quid enim de ludis dicam, quibus adeò filii vestri sunt dediti, ut totos festos dies in iis consumant, unde postea tam multa & magna mala nascuntur? Putatis vos fortè ludum, peccatum non esse, aut non fugiendum? Sed audite, quæso, quæ breviter dicam, licèt aliquan-

(a) *Jeremiæ XXXI. v. 29.* | (b) *Psalm. XLI. v. 8.*

quantulum digredi videar, cùm in iis potiſſimùm mihi ſit inſiſtendum, quæ animas veſtras præcipuè lædunt; neque digreſſio appellanda ſit hæc, ubi de lepræ contagione tractantes, hanc ſpeciem lepræ filios veſtros inficere noſcimus. Ac primò quidem multa in ludo peccata poſſunt accidere; nam qui ludunt, id faciunt in primis *cupiditate* ducti, quæ *malorum omnium eſt radix* (*a*), ex qua etiam furta procedunt in filiis-familias præcipuè, qui cùm a parentibus pecunias obtinere non poſſint, quibus ludant, eas furari coguntur, ut habeant; hinc, dum amittunt, mille prodeunt blaſphemiæ, ac in Deum injuriæ horribiles jactatæ, & adeò execrandæ, ut eas etiam in hoc Mundo punire Deus compellatur, non expectatà mortis horà. In ludo perjuria abundant, fraudes, & proximorum offenſiones: ludo dies Deo ſacri violantur, Solemnitates profanantur, & quod tempus Deo deberetur, Diabolicis his exercitiis tribuitur, quod plurimùm Salvatori noſtro Chriſto eſt exoſum; nec luſores attendunt quod legitur in ſacris literis, de eo, qui ligna collegerat in Sabbato: *Moriatur homo ille*, ait Dominus, *lapidibus obruat eum omnis turba* (*b*); multò autem eſt pejus ludis attendere, quàm ligna colligere. Sed potiſſimum ludentium peccatum, & fortè a pluribus neglectum, eſt pretioſiſſimi temporis conſumptio. O ſi ſciretis patres, quanti ſit tempus faciendum; quanto ſtudio curaretis, ne vèl minimam ejus partem filii veſtri conſumerent. Audite Dominum in literis ſacris ſæpius monentem: *Fili conſerva tempus, & devita a malo* (*c*); & alibi: *Fili ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli* (*d*); verè crudeli, nempe Dæmoni ſæviſſimo, noſtrum ſitienti ſanguinem, & animarum noſtrarum perditionem avidiſſimè expetenti. Expendite, filii, temporis naturam, quod adeò breve eſt, & velociter tranſit; ac poſtquam tranſierit, recuperari non poteſt. Et certè ſi multum nobis eſſet ætatis, id totum procurandæ ſaluti noſtræ impendi deberet; at ubi tam brevis eſt hominum vita, qualis eſt iſta ſtultitia, eam ludis conſumere, ac tam pretioſo tempore abuti, cujus vèl unica hora pluris æſtimabitur poſt mortem ad pœnitentiam agendam, quàm auri maſſa toto Mundo major? Quare ergo id, quod tantoperè fortè deſiderare poſſetis (quod Deus avertat) nunc adeò vobis abundanter exhibitum, ludis abſumitis? O ſi cognoviſſetis

(*a*) *I. ad Timoth. VI. v.* 10.
(*b*) *Num. XV. v.* 35.
(*c*) *Eccleſiaſtici IV. v.* 23.
(*d*) *Proverb. V. v.* 9.

vissetis patres, quàm multis totius vitæ temporis debitores sint homines, quantâ diligentiâ efficere studeretis, ut filii vestri totum id rectè disponerent! Christo enim in primis debemus omnem vitam nostram, qui pro nostra posuit suam. Secundò exigunt præterita peccata nostra futuram vitam nostram, ut *faciamus fructus dignos pœnitentiæ* (a), & *recogitemus omnes annos nostros in amaritudine animæ nostræ* (b). Peccavit peccatum unicum protoplastes Adam; & nongentis ampliùs annis e Paradiso deliciarum ejectus, in hac lacrymarum valle consistens, pœnitentiam egit. Peccaverat peccatum unum David; & ob id tamen toties Dei deprecabatur misericordiam. Peccavit Petrus, Christum negando; & quamdiu vixit, peccatum amarissimè flevit. Peccavit ignorans Paulus, Dei persequendo Ecclesiam; & sanguine tamdem post multa crimen expiavit. Quòd si unum peccatum tanta consequitur pœnitentia: nos infelices, qui toties peccavimus, & tempus tamen, quod lacrymis continuis esset tribuendum, ludis consumimus! Sed nonne etiam cœlestis gloria, ad quam aspiramus, omne vitæ nostræ tempus sibi jure vendicaret, quod quando etiam totum consequeretur, adhuc tamen *condignæ non essent passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (c)? Ei debemus demum tempus omne, a quo quidquid habemus & sumus, accepimus. Videte ergo vos patres, quàm sit grave delictum, tempus hoc jam vobis descriptum, a filiis vestris in ludis consumi. Annon vos infelicis illius terret exemplum, qui quòd accepto talento alia superlucratus non esset, in tenebras missus est exteriores (d)? Quàm strictam erimus Deo reddituri rationem temporis malè consumpti! Sicut capillus non peribit de capite, ita nec momentum de tempore peribit; & qui de quovis ocioso verbo rationem reddituri sumus, multò magis reddemus de tam pretioso tempore, adeò nequiter consumpto. Lepram igitur hanc, dilectissimi filii, quam inter vos regnare publicè fertur, effugite, ludos cavete. Deo potiùs laudando, ac vestræ curandæ saluti id tempus impendite. Agitur, miseri, de ferenda in vos æternæ damnationis sententiâ in cœlesti aula, de vobis æterno igni subjiciendis; & luditis, ac ridetis? Quænam major dementia hac excogitari potest! Si quis latro ad furcam damnatus, & mox suspendendus, aleis luderet, nonne a ceteris

(a) *Luc. III. v.* 8.
(b) *Isaiæ XXXVIII. v.* 15.
(c) *Ad Roman. VIII. v.* 18.
(d) *Matth. XXV. v.* 30.

ceteris ſtultus exiſtimaretur? At nos longè illo ſtultiores, quò pejoris ac diuturnioris mortis ſententiam peccantes accepimus! Ille eam nequit effugere; nos verò, ſi velimus, veniæ adhuc locum habemus, ſi lacrymantes ac pœnitentes eam petamus; & id tamen negligimus facere, ac aleis potiùs ludere malumus, tempus conterentes inutiliter.

Sed corporis lepra eſt etiam viſu fœda atque abominabilis; multò tamen turpiorem atque fœdiorem reddit peccatum animam ſibi ſubditam, itaut ſi ejuſdem turpitudo ac fœditas oculis conſpici poſſet, impoſſibile eſſet, quempiam hujuſmodi animam videntem vivere. *Quàm vilis facta eſt nimis* (clamat Jeremias,) *iterans vias ſuas* (*a*)! At non modò coram Deo id accidit, ſed èt coram hominibus. Ignobiles apparent peccatores, ac confuſione replentur; unde iniquitatum ſuarum fructus eſt pudor, eiſque ab Apoſtolo dicitur: *Quem fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis* (*b*)? Exiſtimant multi ſe nobiles eſſe, quòd a claris parentibus ortum duxerint; a quibus tamen degenerantes, non animadvertunt, quòd nobilitas illorum conſpicua magis reddat ac manifeſta vitia, quibus inficiuntur. Vera nobilitas in hoc eſt poſita, ut pluribus refulgeat virtutibus, ut ad Deum magis accedat, ut animarum zelo magis ardeat; denique in quo conſiſtat, Jeremiam dicentem audite: *Hæc dicit Dominus: non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur dives in divitiis ſuis; ſed in hoc glorietur qui gloriatur ſcire & noſſe me, quià ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam, & judicium, & juſtitiam in terra* (*c*). En igitur audiſtis, quàm miſeranda ſit ſpiritualis lepra, & quàm corporali pejor.

Cùm audiſſent itaque decem illi Viri leproſi, miraculorum & virtutum Chriſti famam, occurrerunt ei inde tranſeunti; ubi ejus animadvertite immenſam caritatem illos prævenientis, atque prope eos tranſeuntis; nam quis poteſt ad Deum accedere, niſi ad nos prior ipſe appropinquet? Appropinquat autem omnibus eum quærentibus. Quid putatis ſit, nos huc hodie ad vos viſitandos acceſſiſſe? Adventus eſt Domini per Caſtrum veſtrum tranſeuntis, ac videntis, num apud vos ei ſit locus. Ille dum viveret Templum ingreſſus, ac honorificè in illo exceptus, infirmis ſtatim omnibus, qui ei offerebantur, varia cœpit curatio-

(*a*) *Jeremiæ II. v. 36.*
(*b*) *Ad Romanos VI. v. 21.*
(*c*) *Jerem. IX. v. 23. & ſeq.*

num genera exhibere, a quibuscumque detinebantur ægritudinibus eos liberans. Hodie per nos intrat ad vos; & ecce quia statim lepras vestras ac morbos curare festinat spirituales, per Sacramenta Sanctissima, quæ vobis afferimus, ac divini Verbi prædicationem. Benedicti, qui hodie Christo Domino occurrent, ac obviam procedent, ùt decem isti fecerunt, qui *a longè steterunt*, Christi Majestatem reveriti; Publicano fortè similes, qui *stans a longè, pectum suum percutiebat, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori* (a); *Et levaverunt vocem suam* clamantes ore simul & corde, sed corde magis quàm ore (qui clamor nubes penetrat, & ad Dei pervenit aures) ex flagranti recuperandæ sanitatis desiderio: quia qui infirmitatis norunt magnitudinem ac sentiunt, hi profectò ad medicum exclamare coguntur. Et certè hi nos orare suis illis verbis docuerunt, & quæ in oratione requirantur indicavere. Nam primò quidem clamandum esse ostendunt ex contritione cordis, ac propriæ agnitione ægritudinis: Secundò subdunt: *Jesu*, quo Salvatorem signant, & quo innuunt, ad orationem cum fiducia esse accedendum, eò quòd salvare possit Deus, & velit; ideo dicitur: *Postulet in fide, nihil hæsitans* (b); maximam quippe tanto Regi & tam bono infert injuriam, qui de ejus potentia aut voluntate diffidit. Potest omnia, fratres, quia omnipotens, quia ex nihilo Cœlum & terram, & omnia creavit. Vult bona omnia, quia summè bonus summè se nobis communicare desiderat. Diligit nos amore præcipuo, & magis quàm proprios filios mater; ideo sperare possumus, & debemus omnia ab eo, quæ petimus orantes: aliàs autem esset eum irritare. Addunt: *Præceptor*. O qualis hìc latet doctrina! Petunt multi instantissimè in tribulationibus positi ab iis liberari; sed non statuunt Deo in posterum obedire, ùt discipulos decet Præceptoribus obtemperare. Malum quidem a se cupiunt averti, sed mali causam ipsi amputare recusant, nempe peccatum, propter quod venit ira Dei super nos; aut si id facere proponunt ac vovent, sublatis tamen afflictionibus, promissorum obliviscuntur, existimantes, se posse Deum illudere, qui tamen non irridetur a quoquam. Hi dicunt quidem ore & labiis: *Præceptor*, sed operibus negant; nam ad eos dicere Dominus potest: Si ego præceptor, ubi obedientia, quam mihi debetis? Et quid petunt leprosi? *Miserere*, ut testentur, se ultro agnoscere miseriam suam, atque

(a) *Lucæ XVIII. v. 13.* | (b) *Jacobi I. v. 6.*

atque a Domino misericordiam expetere, cujus consequendæ prima via est, indigentiæ cognitio. Numquid autem eorum quilibet sibi soli postulat misericordiam impendi? Non certè; imo singuli aliorum compatiuntur infirmitatibus, dicentes: *Miserere nostri*, non autem meì; nam cùm in singulis rebus necessaria sit caritatis virtus, est certè in orationibus maximè adhibenda: Quam tamen quot sunt, qui nusquam exercent! sed in omnibus sua tantùm commoda sectantes, sibi solis consulunt; quod caritati penitus adversatur, cujus est, *non quæ sua sunt quærere* (*a*). O qualis est Rerumpublicarum, Civitatum, Castrorum, ac civilium omnium rerum pestis hic amor privatus, quo jura omnia pervertuntur, ut utilitatis solùm propriæ ratio habeatur! Hic malorum omnium est causa, cùm suis quis magis prospicit, quàm proximi commodis: ei namque, qui suì ipsius dumtaxat trahitur caritate, accidit sæpe, ut nec ipse se amet; nam quemadmodum solet èt in membris contingere, quorum cùm unum aliquod læditur, etiam reliqua lædantur necesse est, quod utique èt ædificia patiuntur; sic pariter dici inter homines potest, eum qui proximum negligat, & se ipsum curet tantùm, sibi ipsi officere. Sed quid de iis dicam, qui Legatorum sunt executores, qui pauperum & Ecclesiæ sunt instituti tutores; qui tamen muneri suo desunt, & impiè sua tantùm quærentes, ea, quorum curam habuisse deberent æquè ac propriarum rerum, deserunt? Sed meminerint hi, quòd licèt ipsi negligant pauperes, Dominus tamen Protector est pauperum, & in eos acerrimè animadvertet, qui debitis illos patrociniis defraudaverint.

Hos ergo leprosos ubi Christus vidit, scilicet compassionis affectu, qualiter etiam postea Petrum negantem vidit, & ad pœnitentiam adduxit; præcepit illis: *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*. In veteri quippe lege cautum erat, ut qui a lepra mundati fuissent, ad Sacerdotes accederent, quorum erat judicare, mundi-ne essent ac liberi, nec ne. Sed o miram horum fidem & obedientiam! Poterant hi jure dicere: tu nos ad Sacerdotes transmittis adhuc immundos & leprosos, quò non fueramus, nisi jam mundi & sani, mittendi, ut judicium de nobis illi ferrent. Nihil horum illi dixerunt; sed cæcè ac minimè repugnantes, quia crediderunt, festinarunt; & *dum irent, mundati sunt*. Fructus hoc fuit obedientiæ uberrimus, qua nihil Deo est gratius.

(*a*) *I. ad Corinth. XIII. v. 5.*

tius. Commendabilem hac ratione fecit Patriarcham illum nobilissimum Abraham, ac Deo gratissimum fides hæc, & prompta obedientia. Promiserat ei Deus, quòd in Isaac filio suo, tot esset benedictiones consecuturus, tam multarum gentium Pater futurus; & præcepit tamen, statim eum occidi ac sacrificari. Poterat Abraham objicere: quomodo ergo tam multa, quæ mihi in hoc filio pollicitus es, Domine, consequar, si eum occidam? Vanæ ergo erunt spes meæ, vanæ pollicitationes tuæ? Sed nihil horum opposuit; quinimo accersito filio, & sumpto gladio ad montem statim perrexit, eum genua flectere jussit, gladium apprehendit, extulit brachium: sacrificium tamen suspensum est, & filio minimè fuit privatus; imo amplissimas consecutus est benedictiones, plurimarum gentium pater fuit, *& reputatum est illi ad justitiam* (*a*), factusque est posteris omnibus perfectæ obedientiæ exemplum. O filii, quàm perniciosum est in obediendo illud *quare*, quod Evæ serpens suggessit: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis* (*b*)? Multi quidem imperata exequuntur, sed eorum priùs causas perquirunt; an melius fieri potuisset, explorant; Superiorum mandata judicant, & magno hi obedientiæ fructu privantur. Audite Davidem vos obedire docentem: *Ut jumentum*, inquit, *factus sum apud te* (*c*). Ducuntur jumenta quò vultis, nec vobis fune collo alligatâ ea trahentibus ullo modo respondent: cur huc, & non illuc est pergendum? Ideo Dominus subdit: *& ego semper tecum* (*d*); quia adest hujusmodi hominibus simpliciter obedientibus semper Dominus Deus, nec eos errare permittit aut labi, imo *tenet eorum dexteram manum, & in voluntate sua deducit illos* (*e*). Displicet, filii, Deo plurimùm in obediendo curiositas, utpote quæ diffidentiæ apertissimum signum est; nam si ipsi cura est de nobis, & nos uti amantissimos diligit filios, quid est, quod dubitemus, quæ præcipit nobis, absque alia inquisitione promptè & diligenter implere? Nec est quòd dicatur: Jam non a Deo nobis, sed ab hominibus præcipi: Per eos enim loquitur ipse, & qui eos audit, illum audit, illi semper, ùt Domino, est obediendum; nam qui in obediendo Superioris & Prælati sapientiæ, prudentiæ, aut sanctitatis rationem haberet, is obedientiæ fructum non a Deo,

(*a*) *Ad Roman. IV. v.* 3.
(*b*) *Genes. III. v.* 1.
(*c*) *Psalm. LXXII. v.* 23.
(*d*) *Ibidem.*
(*e*) *Ibidem v.* 24.

Deo, ſed ab homine expectare deberet. Sint vobis ergo hi leproſi obedientiæ promptæ magiſtri, quorum fides & promptitudo ſanitatem ſtatim conſequi meruit.

Verùm, quid mundatis a peccati lepra atque ſanatis ſit faciendum, videamus. Eſt quidem in donando liberaliſſimus Dominus; at in donorum exigenda ratione ſtrictiſſimus, & quos majoribus cumulat muneribus, ab iis multò plus repetet; nam cui plus datum fuerit, plus exigetur ab eo: & nihil æquè immenſum divinæ liberalitatis pelagus exſiccat, ac ingratitudo. Fuerant decem illi ſanati omnes, ſed unus tantùm rediit gratias Medico Chriſto agens. Mortuus eſt pro omnibus Chriſtus, pro omnibus ſanguinem ſuum effudit, omnes adhuc in Cruce pendens, manibus & pedibus confixis, expectat. Sed o quàm pauci tantum munus agnoſcunt! Queritur de novem illis, qui non redierant, Dominus, dicens: *Nonne decem mundati ſunt; & novem ubi ſunt?* Ubi ſunt? Abierunt; ingratitudo enim eos fecit deperdi. Quid putatis in judicio ad vos Dominus dicet? Audite, audite ipſum ſic locuturum. Ego pro vobis omnibus, *cùm in forma Dei eſſem, exinanivi memetipſum, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ùt homo* (a). Ego in hunc Mundum cùm veniſſem, tot modis vos vocare numquam deſtiti. Ego tot dolores, contumelias, verbera, tot plagas, ſpinas, & ſputa, Crucem denique pro vobis tuli, viliſſimam mortem ſubii, qua & vitæ & honoris, inter latrones deputatus, & parentum, & amicorum, & veſtrûm, & omnium jacturam feci. Ego tot Sacramenta vobis inſtitui; quotidianis plagis veſtris Pœnitentiam Sanctiſſimam, ſalutarem reliqui medicinam; infirmitati veſtræ Chriſmate, fortitudinis Sacramento providi; me vobis, Corpus meum & Sanguinem, in cibum reliqui. Ego ad vos verbi mei Prædicatores, Sacerdotes, Miniſtros meos, Prælatos, Epiſcopos ad vos viſitandum deſtinavi. Ego Doctrinæ Chriſtianæ Scholas erexi, & quò ad eas libentiùs accurreretis, tot per Vicarios meos eas frequentantibus, Indulgentias conceſſi; & cùm hæc omnia parùm vobis prodeſſent, cœpi etiam in virga ferrea vos viſitare, peſtilentiam inter vos miſi, ut etiam, ſi hac ratione ad cor redire velletis, explorarem; ſed veſtrî ſtatim miſertus, iram repreſſi, gladium meum miſi in vaginam: Fructus hinc ampliſſimos percipere debuiſſetis, innumeras hinc diſcere

(a) *Ad Philippenſ. II. v. 6. & 7.*

discere virtutes, orationis assiduitatem, in proximos caritatem, hinc religionem, cordis demissionem, animarum salutis zelum, hinc demum promptam obedientiam; debuissetis vos Sanctissimis Sacramentis uti frequentissimè, quotidie peccantes ad medicinam quotidie accurrere, Carne mea ac Sanguine sæpissimè vesci. Hæc omnia expectabantur a vobis; & ubi sunt? Ubi sunt? Producite huc libros Ministri, chirographa afferte, evolvite diligenter atque perlegite. O nos miseros, quia nihil horum, quæ a nobis fieri debuerant, invenietur! imo prorsus contraria; divinorum neglectus, pauperum oppressiones, proprius amor, Doctrinæ Christianæ contemptus, mira in spiritualibus negligentia, in Sanctissimis Sacramentis sumendis raritas. Istæ igitur sunt uvæ, quas vitis tanto labore a me plantata atque exculta reddit? Hæccine tanti Sanguinis, & amoris sunt præmia? Ergo pro vobis frustra sum mortuus; projectus fuit in vanum Sanguis meus? *Discedite* ergo, *discedite a me maledicti* inter ingratos *in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus* (a); a quo nos liberet Divina Majestas. Amen.

TOMI PRIMI FINIS.



IN-

(a) *Matth. XXV. v. 41.*

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
Quæ in hoc Primo Volumine continentur.

Index Rerum Notabilium.

In

D

E

F

Cogna-

N

O

T

VAL-


G. M.

